Nab. 5.
3.

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM IENENSIS

CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS QVINTVS

DENVO EDIDIT

PLVRIMISQVE ANIMADVERSIONIBVS

AVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.



TVBINGAE

IMPENSIS IO. GEORGII COTTAE.

MDCCLXVI.

KŒN.PR.FR.
UNIVERS.
ZV HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841082-p0006-4



IO. FRIDERICI COTTAE

S. THEOL. DOCTORIS

ET

IN ACADEMIA TVBINGENSI PROF. PVBL. ORD.

PRAEFATIO.

Exhibeo tibi, LECTOR BENEVOLE, *locorum theologicorum*, a IO. GERHARDO olim editorum, tomum quintum, qui continuat id, quod in præcedentibus tomis cœptum erat.

Animo quidem constitueram, volumini huic præmittere dissertationes quasdam, gravissima doctrinæ cœlestis capita, in tomo quarto pertractata, ex historia præsertim ecclesiastica, eaque tum antiquiori, tum recentiori illustrantes, quemadmodum in præfatione tomi quarti, anno superiore editi, promiseram. Sed gravibus inductus rationibus, quas heic non commemorabo, mutavi postea consilium, multoque satius esse duxi, ea, quæ ad historiam doctrinæ christianæ pertinent, peculiari ultimoque reservare volumini, quod operi Gerhardiano si Deus

 vitam

vitam viresque benignissime concesserit, suo tempore adiungetur. In eo quippe historiam dogmatum theologicorum, eundo per præcipua doctrinæ sanctioris capita, succincte iustoque ordine enarrabo, operam simul daturus, ut ea, quæ in prioribus quatuor tomis de *Deo*, de *sacrosancta trinitate*, itemque de *Christo* hominum redemtore, ex historiarum monumentis disserui, ubi id opus esse videbitur, suppleam novisque adaugeam accessionibus. Subiungam quoque nonnulla, quæ in prioribus GERHARDI tomis plane fuerunt prætermissa, speciatim ea, quæ ad controversiam de *processione Spiritus sancti*, Græcos inter atque Latinos inde a quamplurimis seculis acriter agitatam, propius spectant. Historiam eius ex cœtus Romani doctoribus DIONYS. PETAVIUS & MICHAEL LEQUIEN, ex theologis Reformatis GERH. IO. VOSSIUS, IO. FORBESIUS, FRID. SPANHEMIUS, FRID. ADOLPH. LAMPIUS, ex Arminianis seu Remonstrantibus ADRIAN. A CATTENBURG, ex Anglis THOMAS SMITHUS, ex nostris vero DANNHAVERUS, MEISNERUS, GUNDLINGIUS, HEINECCIUS, cancell. PFAFFIUS aliique viri doctissimi luculenter enarrarunt. Eos tamen reliquisse, in quibus & alii sua ingenia exercere queant, ex vero pronunciavit celeberrimus Ienensium theologus, qui & ipse certaminis huius historiam egregie illustravit, IO. GEORG. WALCHIUS (*).

Generatim de studio historiæ dogmatum dudum observarunt viri in hisce litteris versatissimi, illud tam amplum esse totque difficultatibus obnoxium, ut nihil fere hanc in rem scribi queat, quod perfectum suisque numeris absolutum, atque ita comparatum sit, ut nullus plane spicilegio locus relinquatur. Unde sufficere posse arbitror, si in tanta rerum dicendarum copia primas duntaxat lineas, utut duriore penicillo efformatas ducam, aliisque viris, maiori eruditionis adparatu instructis gloriam luculentioris tractationis lubens relinquam. Quodsi ullibi, heic certe locum invenit egregium illud nobilissimi cuiusdam poëtæ effatum:

Nil scribitur totum. Quis hoc mare effundet?
Multum valent recisa parva de magnis.
Momenta rerum, & quæ argumenta sunt summa,
Suffecerit tractasse. Nullus absolvet.

Dum

(*) Vid. eius *narrationem primam controversiae de processione Spiritus sancti p. 5.*

Dum vero historiæ dogmatum, cuius nonnulla in præcedentibus operis Gerhardiani tomis dedi specimina, mentionem heic facio, non possum silentio præterire ea, quæ de ea celeberrimus Lipsiensium theologus, Io. AUGUST. ERNESTI, occasione dissertationis meæ *de Christo hominum redemtore*, volumini quarto præfixæ, monenda censuit.

Existimat vir doctissimus (*), historiam Arianismi, in *dissertatione* modo *excitata* a me traditam, iusto breviorem esse, si cum historia recentiorum controversiarum, quam ibidem enarravi, comparetur. Et sane iure meritoque desiderari id posset, nisi gravissimum hocce historiæ ecclesiasticæ momentum alibi, & quidem in *adpendice* ad *tom. III. loc. theolog. p.* 332. inde a §. *XIII.* usque *ad* §. *XVII.* uberius iam pertractassem. Ibidem enim de Arianis eorumque erroribus, variisque, in quas post concilium Nicænum divisi fuerunt, sectis, nec non de scriptoribus ecclesiasticis, qui veritates divinas contra eorum insultus masculе propugnarunt, ea, quæ necessaria videri poterant, in medium attuli. Atque ad hunc ipsum tomum Gerhardiani operis ablegavi lectores meos in *dissertatione* iam *citata*, & quidem *p.* 12. *not.* (3) Nolui enim ea, quæ de hocce argumento alibi iam dicta erant, ibidem repetere. Conferenda tamen sunt, quæ ipse GERHARDUS *tom. I. loc. theolog. part. II. cap. VII. §. CLXXXVIII. & CLXXXIX. p.* 295. *seqq.* de hæresi Arianorum commentatus est.

Urget quidem laudatissimus vir, non sufficere, si errores horum hæreticorum, nec non ea, quæ contra illos olim acta scriptaque fuerunt, recenseantur, sed ostendendum simul esse, quomodo notiones doctrinæ cœlestis, ab Arianis impugnatæ, hac ipsa occasione magis magisque fuerint amplificatæ distinctiusque determinatæ, quin & rationibus in medium adductis confirmatæ atque stabilitæ. Nec prætermitti posse hancce tractationem, si quidem historia dogmatum in doctrina sanctiore, speciatim in controversiis cum neo-Arianis aliquam præstare debeat utilitatem.

Verum liceat, pace viri doctissimi, paucis regerere, nec hocce momentum a me penitus fuisse prætermissum. In *adpendice* enim, quam modo excitavi, &

 quidem

(*) Vid. eiusdem *neue theologische Bibliothek tom. VI. part. II. p. 118. seqq.*

quidem circa finem §. *XIII. p.* 333. obſervavi, „ in concilio Nicæno ſtabilitam fuiſ„ ſe veritatem cœleſtem, quod *filius patri ſit* ὁμοούσιος, oppoſitumque hæreſi Aria„ næ ſymbolum fidei, quod cum ipſi ſynodo Nicænæ ſuam debeat originem, *Ni„ cænum* fuerit *adpellatum.* In hacce fidei formula, a patribus Nicænis ſancita, „ Chriſtum adpellari *filium Dei unigenitum*, & *ex patre natum ante omnia ſecula*: „ *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, *Deum verum de Deo vero*: *genitum*, *non factum*: „ *conſubſtantialem patri*, *per quem omnia facta ſunt.*„ His mox ſubiunxi ſequentia verba: „ Atque hac ratione fides recte ſentientium de trinitate non tantum denuo „ adſerta fuit atque ſtabilita, ſed & clarius expoſita atque illuſtrata„. Cumque ſymbolum Nicænum abunde nos doceat, ὁμοούσιον filii, antiquiſſimis temporibus dogma characteriſticum catholicorum fuiſſe, in notula textui ſubiecta lectorem remiſi ad ea, quæ de uſu huius vocis in *obſervatione ad p.* 241. a me dicta ſunt, ubi ſimul oſtendi, tempore concilii Nicæni non novam fuiſſe hanc loquendi rationem, ut nonnullis viſum eſt, ſed duntaxat renovatam. Ipſe quoque GERHARDUS de vocis huius, a patribus Nicænis, dedignante eandem ARIO, quaſi conſecratæ, ſignificatu uſuque orthodoxo luculenter diſſeruit *tom. III. loc. III. cap. II.* §. *L -- LIII* (*). Quod vero ad rationes orthodoxorum attinet, quibus ſententiam ſuam de ὁμοούσια ſeu *identitate naturæ atque eſſentiæ* filii cum eſſentia patris, eaque non *ſpecifica*, ſed *numerica*, ſuperſtruxerunt, easdem in hiſtoria dogmatis ſtudio omiſi, partim quod inſtituti mei brevitas id haud permittebat, partim vero, quod hæc tractatio ad theologiam dogmatico - polemicam propius ſpectare mihi videbatur.

Sed mitto iam Arianos, quorum errores fortiter olim debellarunt doctores catholici, meque converto ad ea doctrinæ de Chriſto capita, de quibus nonnulla atten-

(*) GERHARDO ex ſcriptoribus recentiſſimis iungi meretur ven. CHRIST. GVIL. FRANC. WALCHIUS in *dem Entwurf einer vollſtändigen Hiſtorie der Kezereyen*, *part. II. p. 617. ſeqq.* ubi præcipua momenta, ad quæ heic attendendum eſt, egregie ſolideque pertractantur. Idem vir doctiſſimus *loc. cit. p. 622. not. (2)* auctores, qui de voce ὁμοούσιος eiusque auctoritate ac ſignificatione expoſuerunt, recenſuit, quibus IO. FORBESIUS, in *inſtruct. hiſtorico-theolog. libr. I. cap. V. §. 3-5. p. m. 14. ſeqq.* & MICH. WALTHERUS in *diſſertat. de fidei Nicaenae antiquitate, veritate & neceſſitate*, quæ eiusdem *diſſertationibus theolog.* a cel. HOFFMANNO iunctim editis inſerta eſt, §. *27, 30, 37, 38, & 42.* addi merentur. Ut alios taceamus.

attentione noſtra omnino digna, adnotavit vir celeberrimus. Conſtat, ad ſtatum exinanitionis Chriſti ipſam eiusdem *conceptionem* vulgo referri a theologis noſtris, tanquam primum huius exinanitionis gradum. Atque hanc in theologorum ſcholis receptam ſententiam & ego in tradenda hiſtoria doctrinæ de exinanitione Chriſti ſecutus ſum (*), deque eiusdem conceptione primo differui loco, quoniam ea primum fuit humanitatis Chriſti, ad quam proprie exinanitio pertinet, initium, vel, ut eandem rem aliis verbis efferam, quoniam in ipſa conceptione ſervator Chriſtus ſe exinanire cœpit.

Obſervat vero vir doctiſſimus, diſcrepantes quoque theologorum de hocce argumento ſententias commode heic a me commemorari potuiſſe. Neque enim defuiſſe, qui iure meritoque negaverint, conceptionem Chriſti in utero virginis Mariæ ad eiusdem exinanitionem referendam eſſe. Ex iis, qui hoc fecerunt, laudat b. BAUMGARTENIUM, virum poſt fata quoque celeberrimum, cuius ſententiæ & ipſe ſuum adiicit calculum, hac innixus ratione, quod natura tantum humana ſeſe exinaniverit, quod quidem, antequam exſiſteret, facere haud potuerit.

Si dicendum, quod res eſt, quæſtio iſta: *an conceptio Chriſti pertineat ad ſtatum exinanitionis, nec ne?* ita mihi videtur eſſe comparata, ut pro diverſa vocis acceptione & adfirmari queat & negari. Quodſi enim vocabulum *conceptionis* ſumamus in ſenſu eccleſiaſtico, prout ipſam *incarnationem* ſeu adſumtionem humanitatis in ſe, denotat, prout fecit laudatiſſimus BAUMGARTENIUS(**), iure meri-

(*) Vid. diſſert. meam hiſtorico-theolog. *de ſtatibus & officio Chriſti mediatorio, tom. IV. loc. theol.* inſertam, §. *XIII. p. 67.*

(**) Vid. eiusdem *evangeliſche Glaubens-Lehre tom. II. p. 297. & 298.* ubi hæc leguntur verba: *die Menſchwerdung an und vor ſich ſelbſt kan zu den Stuffen der Erniedrigung nicht gerechnet werden: indem ſowohl die Art derſelben durch eine wunderthætige Empfængnis vom heiligen Geiſt, als auch die dabey vorgegangene perſönliche Vereinigung der menſchlichen Natur mit der Gottheit des Sohns GOttes, eine Erhöhung der menſchlichen Natur ausgemacht, und keine Erniedrigung derſelben genannt werden kan.* Loquitur itaque vir iudicioſiſſimus de λογε ασαρκε *incarnatione* in ſe ſpectata, in qua, ut recte monet, exinanitionis forma conſtitui prorſus nequit; licet ea, quæ incarnationem proxime ſunt inſecuta, ad exinanitionis

meritoque negatur, eandem primum exinanitionis Christi gradum constituere. Per hanc ipsam enim incarnationem humana Christi natura non fuit exinanita, sed potius exaltata atque ad summum dignitatis gradum evecta, siquidem verbi sempiterna hypostasis facta est carnis seu naturæ humanæ hypostasis, prout antiquissimi cœtus christiani doctores mysterium hocce expresserunt. Si vero *conceptionem* Christi non præcise *in se* spectemus, sed prout cum eadem coniuncta fuit commoratio per menses novem in utero matris *Luc. II. 6. Ebr. II. 14.* omnino adfirmare licet, inde ab hac conceptione initium exinanitionis Christi repetendum esse. Christus enim, qui homo verus simulque verus Deus erat, ut embryo in utero materno constitutus, aliorum infantum more naturalibus obnoxius fuit infirmitatibus, statum eius humilem satis superque demonstrantibus. Atque hac ratione sententias in speciem diversas facile inter se conciliari posse, prorsus persuasum habeo. Nec consultum esse arbitror, ut ex qualicunque sententiarum seu potius verborum discrepantia nova effingatur controversia. Sequamur potius aream istam, quam viri moderationis theologicæ studiosi, nobis suppeditant regulam, operam dandam esse, ut controversiæ theologorum non tam augeantur, quam potius minuantur.

Attingit quoque vir doctissimus dissertationem meam *de redemtione ecclesiæ sanguine Christi facta*, tomo IV. operis Gerhardiani insertam, notatque inter alia, formulam istam loquendi, a scriptoribus sacris usurpatam, *tropicam* esse, nec aliud vocabulo *sanguinis* denotari, quam *mortem* servatoris *acerbissimam*. Huic enim redemtionem nostram adscribendam esse, non vero *sanguini qua tali*. Addit, negle-

ctam

nanitionis statum omnino pertineant. *Die Umstände und nächsten Folgen der Menschwerdung gehören zur Erniedrigung*, scribit vir laudatissimus, in *der Untersuchung theologischer Streitigkeiten tom. II. p. 309.* Consentiunt hac in re antiquiores nostri theologi, qui magna cum præcisione argumentum hocce pertractarunt. Distinxerunt enim inter unionis *actum* & *statum*, sive inter *unitionem* & *unionem*. Quod ad *actum* unionis seu *unitionem* attinet, illa vocatur *incarnatio*, qua ὁ λογος sive filius Dei divinam suam naturam cum humana natura perfectissime univit, qui quidem actus fuit transitorius; cum contra *unio* stricte sic dicta denotet statum naturarum in unitione iam coniunctarum, qui quidem status permanens est perpetuoque durat. Atque ab hoc ipso *statu*, in quo Christus, tanquam persona συνθετῳ in ipso utero Mariæ exsistere cœpit, exinanitionis initium recte repetunt theologi nostri.

ctam olim fuisse hancce obſervationem, atque exinde enatas esse miras istas de sanguine Christi quæstiones, a doctoribus scholasticis in medium adlatas, nec non superstitiosas de hoc argumento sententias, quæ in Suevia revixerint, indeque late propagari cœperint (*).

Equidem facile largior, phrasin biblicam, Christum *sanguine* suo nos redemisse, *tropicam* esse. Dudum hoc obſervarunt theologi, quorum vestigia & ego secutus sum in *excitata dissertatione §. V. p.* 82. Verum quod per *sanguinem* Jesu Christi, vel potius eius effusionem nihil aliud denotetur, quam *mors* Christi longe acerbissima, uti quidem existimat vir doctissimus, de eo quidem valde multumque dubito. Neque enim in morte duntaxat, quam subiit generis humani redemtor, effudit pretiosissimum sanguinem suum, sed in aliis quoque occasionibus. Septem enim vicibus eiusmodi effusionem factam esse, e sanctioribus litteris colligere licet. Effudit quippe servator sanguinem suum I) *in circumcisione*, *Luc. II.* 21. II) in *agone*, ubi sudorem emisit sanguineum, *Luc. XXII.* 44. III) in *flagellatione*, *Matth. XXVII.* 26. *Marc. XV.* 15. *Joan. XIX.* 1. IV) in *coronatione* spinis, sanctissimum eius caput pungentibus, peracta, *Matth. XXVII.* 29. *Ioan. XIX.* 2. V) in *detractione vestium*, qua vibices vulnerum recruduerunt, *Matth. XXVII.* 31. *Marc. XV.* 20. VI) cum *manus* eius *pedesque perfoderentur*, *Ps. XXII.* 17. ac denique VII) in *apertione lateris*, lancea militis facta, *Ioan. XIX.* 34. Hinc in eam ingredior sententiam, per *sanguinem* Iesu Christi, seu eius effusionem συνεκδοχικως intelligi *omnia παθηματα*, quæ servator optimus pro nobis nostrique loco subiit, adeoque & *mortem*, seu, ut eandem rem aliis verbis, in theologorum scholis receptis, exprimam, illam obedientiæ Christi partem, quæ alias *passiva* dicitur. Unde & phrases *sanguine* Christi redimi, atque eiusdem redimi *passione*,

 pror-

(*) Vid. eiusdem *biblioth. theolog. tom. VI. part. II. p.* 121. ubi hæc leguntur verba: *Der ganze Ausdruck von dem Blute Christi iſt tropiſch, und bedeutet den ſchmerzhaften Tod Chriſti: durch den hat Chriſtus genug gethan, der hat die Erlöſung zuwege gebracht, nicht das Blut als Blut. Wenn man das vom Anfange bemerket hätte, ſo würden alle wunderliche Fragen der Scholaſtiker weggefallen ſeyn, und alle abergläubiſche Meynungen von dem Blute Chriſti, welche wieder in Schwaben aufgelebet ſind, und ſich von dar weiter ausbreiten wollen.*

prorsus æquipollere, alibi observavimus (*). Quod vero effusioni *sanguinis* Iesu Christi sanctior scriptura haud raro nostram adscribat redemtionem, hæc procul dubio caussa est, quia ista passionis pars præ reliquis eximia, insignis, maximeque fuit conspicua, a qua tamen reliquæ neutiquam sunt separandæ. Quod & de *morte* Christi, per quam reconciliati dicimur Deo, *Rom. V.* 10. notandum esse censeo.

Cæterum lubens meritoque viro celeberrimo meum adiicio calculum, quando ait, *sanguini in se spectato* redemtionem ecclesiæ adscribi haud posse. Tribuitur potius eidem, quatenus est sanguis novi fœderis *pro nobis* effusus, adeoque veri *pretii* habuit rationem, quo ecclesia ex infernalis genii captivitate liberata, iustitiæque divinæ plenissime satisfactum est. Idem vero & de *morte* Christi pronunciandum, quæ, utut acerbissima, tamen, si IN SE spectetur, redimere nos haud potuit, sed quatenus fuit mors *vicaria* & *satisfactoria*, seu *pretium* redemtionis pro hominibus a Christo persolutum, idque sufficientissimum. Christus enim dedit animam suam λυτρον αντι πολλων, *Matth. XX.* 28. mortemque volens lubensque *nostri loco* sustinuit, ut peccata mortalium sacrificio hocce cruento expiaret.

Antequam argumentum de sanguine Christi dimittam, de quæstione vexatissima: *an unica sanguinis Christi gutta sufficere potuerit redimendis hominibus*? pauca subiungam. Dixi hanc in rem nonnulla in *dissertatione* sæpius *excitata de redemtione ecclesiæ* &c. §. *XXIX.* & *XXX.* ostendique, certo sensu quæstionem istam adfirmari posse. Verum vir doctissimus in eorum descendit sententiam, qui hancce propositionem in præcisione dogmatica spectatam, minus adcuratam esse censent (**). Unde meam hac de re sententiam paucis heic exponam.

Ingenue fateor, hancce quæstionem, quæ in scholis theologorum moveri solet, quæstionibus minus necessariis atque inutilibus merito accensendam esse Neque enim quærendum heic, *quid fieri potuerit*, sed potius, *quid fieri voluerit Deus*, & quid re ipsa factum fuerit. Certum vero est atque extra omnem litis aleam positum, Deum voluisse satisfieri iustitiæ suæ, non per unicam sanguinis guttulam, vel per unum alterumve opus Christi, sed per plura coniunctim, ac nominatim per passiones & mortem filii sui cruentam, ita, ut omnia παθηματα simul

(*) Vid. *dissertat. sæpius excitatam §. V. p. 82.*

(**) Vid. eiusdem *bibl. theol.* modo laudatam *p. 121.*

simul sumta unum δικαίωμα & absolutissimam infinitæ satisfactionis rationem constituant.

Quum vero diversis cœtus christiani doctoribus, iisque tum antiquioribus, tum recentioribus, sententia ista de *unius guttulæ sanguinis Christi efficacia*, inusitata haud sit (*), nec megalander LUTHERUS ab hocce adserto fuerit alienus,

(*) Ex antiquioribus S. BERNHARDUS, abbas Clarævallensis in Gallia, seculo XII. clarus, sponsum sanguinis, oculis mentis sibi ostensum, contemplatus, in hasce voces adfectu plenas erupit: *Cum posset gutta, redemit unda.* Vid. eius *serm. XXII. in Cant.* Plura, quæ huc spectant loca, non tantum ex BERNHARDO, sed & ex CHRYSOSTOMO, AUGUSTINO, LEONE, cognomine *magno*, aliisque congessit Io. GABR. DRECHSLER in *quaestione: num una gutta sanguinis Christi satisfacere potuerit pro mundo? sect. I. §. VII. p. 9. seqq.* Add. QUENSTEDIUM in *system. theolog. part. III. fol. 467. seqq.* Cumprimis huc spectat *bulla* CLEMENTIS VI. antistitis Romani, gente Galli, *ad archiepiscopum Tarraconensem eiusque suffraganeos*, Avenione VI. Kalend. Februar. anno *MCCCXLII.* Ibi enim de Christo hominum redemtore inter alia hæc leguntur verba: *Non corruptibilibus auro & argento, sed sui ipsius, agni incontaminati & immaculati, pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad verbum pro redemtione totius humani generis sufficisset, sed copiose veluti quoddam profluvium noscitur effudisse, ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas inveniretur in ipso.* Habetur hæc bulla non tantum in *extravag. comm. libr. V. tit. IX. cap. 2. de pœnit. & remiss.* sed & apud ODORICUM RAYNALDUM in *annalib. eccleſiast.* ad *ann. MCCCXLIX.* & cardinalem DE AGUIRRE in *collect. concil. Hispan. tom. III. fol. 612. seqq.* alibique. Recusa etiam fuit ab EUSEBIO AMORT in *notitia indulgentiarum, part. I. fol. 80.* itemque a CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIO, cancellario quondam Tubingensi, qui notas lectu dignissimas textui subiecit, ediditque Tubingæ *MDCCLIV.* Atque ad hancce bullam digitum intendere patres concilii Tridentini in decreto *de indulgentiis*, alibi iam observavimus. Eandem sententiam amplexi sunt doctores scholastici, tum antiquiores, veluti THOMAS DE AQUINO, Io. BONAVENTURA, pater purpuratus, PETR. PALUDANUS, Io. CAPREOLUS, aliique; tum recentiores, ex quibus eminent ROB. BELLARMINUS & VINCENTIUS LUDOV. GOTTI, ambo eccleſiæ Romanæ cardinales. Plures nolo adlegare, qui phalangem scholasticorum heic in aciem producere possem, si opus id esset. Id potius vel tribus notandum heic venit, cœtus Romani sectatores sententiam istam ævo scholasticorum, ut ex supra dictis patet, longe antiquiorem, quod una sanguinis Christi guttula sufficiens λυτρον sit, eum duntaxat in finem amplexos esse, ut exinde thesaurum eccleſiæ, qui indulgentiarum est, exstruerent.

In

nus (*), cuius vestigia & alii magni nominis theologi non Suevi duntaxat, sed & vel maxime Saxonici heic sint secuti (**), id duntaxat in quæstionem heic venit, quonam sensu ista adsertio, sine præiudicio veritatis divinæ in sanctioribus litteris revelatæ, admitti tolerarique queat? Atque ad hanc quæstionem adplicanda sunt ea, quæ in *adlegata dissertatione* hanc in rem leguntur.

Obsservavi ibidem, sententiam eorum theologorum, qui tantum valorem tantamque efficaciam unicæ guttulæ sanguinis Iesu Christi adscribunt, minime admittendam esse, si ad *consilium Dei* idque iustissimum sapientissimumque, prout par est, heic attendamus. Detexerunt istud consilium Moses ac prophetæ in variis de Christo vaticiniis, quæ non guttulam, sed copiosam sanguinis a Christo effundendi copiam, quin ipsam mortem cruentam inferunt. Atque ad hocce Dei consilium toties provocarunt, tum ipsemet servator Christus, tum sanctissimi eiusdem legati. Memorabilis cumprimis est locus *Act. IV.* 26. *seqq.* ubi hæc leguntur ver-

In huncce enim thesaurum reliquam sanguinis a Christo profusi copiam repositam esse contendunt, aiuntque, eundem per Petrum, quem primum ecclesiæ Romanæ præsulem esse perperam supponunt, eiusdemque successores dispensari pro partiali, vel totali peccatorum remissione. Confictus fuit iste thesaurus a tenebricosis scholæ doctoribus, sed explicatius traditus a CLEMENTE VI. pontifice Romano in bulla, quam modo excitavimus. Vid. IO. MORINUM *de administratione sacramenti pœnitentiae libr. X. cap. XVI. seqq.* CHRIST. LUPUM *oper. tom. VI. fol. 262. seqq.* IO. MABILLONIUM in *praefat.* ad *acta sanct. ord. Bened. tom. V. num. 107. seqq.* & vel maxime EUSEB. AMORTUM, *loc. excitato.*

(*) LUTHERUS in explicatione germanica prioris Petri epistolæ, ad locum *1 Petr. I. 18, 19.* sequentem in modum commentatus est: *Welches ist nun der Schatz, damit wir erlöset sind? nicht vergänglich Gold oder Silber, sondern das theure Blut des Sohnes GOttes. Der Schatz ist so köstlich und edel, daß es kein Menschen Sinn und Vernunft begreiffen kan, also daß nur ein Tröpflein von diesem unschuldigen Blute übrig genug wäre gewesen für aller Welt Sünde.* Vid. *tom. II. oper. Ienens. Germ. f. 333. a.*

(**) Sufficiat ex iis heic adlegasse IO. HENR. URSINUM, MEISNERUM, HULSEMANNUM, SCHERZERUM, DANNHAUERUM, QUENSTEDIUM & C. M. PFAFFIUM. Aliter tamen heic sentiunt coetus Reformati doctores, IO. CROCIUS, TURRETTINUS, HEIDEGGERUS, & cumprimis IOSUA PLACÆUS, theologus quondam Salmuriensis, qui eandem multis argumentis in medium adlatis impugnavit in *thes. theolog. de thesauro & indulgentiis eccles. Romanae, part. I. §. IV. seqq.*

verba: *Conspirant orbis reges, coëuntque optimates contra dominum, contraque eius unctum. Coierunt enim profecto adversus sanctum tuum filium Iesum, quem unxerat, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israëliticis, ποιησαι οσα η χειρ σου και η βουλη σου προωρισε γενεσθαι, ad faciendum, quæcunque tu tua manu consilioque facienda destinasti.*

Quodsi vero a consideratione *consilii* huius *decretique divini* mentem tantisper abstrahamus, atque ad *infinitam personæ* nos redimentis *dignitatem*, *sanguinisque*, quo redemti sumus, *pretiositatem* unice respiciamus, adsertionem istam theologorum, quod *una guttula sanguinis Iesu Christi sufficiens fuerit ad nos redimendos*, omnino admittendam minimeque improbandam esse, censeo. Erat enim, prout in *excitata dissertatione* copiosius ostendi, *sanguis* Iesu Christi infinitis prærogativis inclutus. Erat sanguis non nudi *hominis*, nec *prophetæ* tantum, aut *sancti* alicuius; sed sanguis *filii Dei proprius*, *Act. XX.* 28. adeoque non tantum sanguis vere *humanus*, sed & insimul vere *divinus*, per & propter unionem personalem, atque exinde resultantem apotelesmatum communicationem. Proinde hoc saltim respectu effectus redemtionis non dependet a *quantitate* sanguinis pro nobis effusi, sed ab eiusdem *qualitate*. Mundat sanguis Iesu Christi, non quia largiter & sæpius est effusus, sed quia, uti iam dixi, ipsius Dei filique Dei sanguis est, *1 Ioan. I.* 7.

Licet vero, prout ex dictis patet, adsertio ista de *unius guttulæ sanguinis Christi efficacia*, certo sensu omnino admitti queat, minus tamen adcurata est. In hocce enim argumento de valore sanguinis seu perpessionum Christi *consilium decretumque* Dei cum consideratione *qualitatis personæ* Christi componendum, non autem unum ab altero divellendum est. Unde & recte iudicarunt viri acutius cernentes, locutionem istam in scholis theologorum usitatam catachresticam atque impropriam esse (*). Divina enim Christi natura passionibus Christi humanis, (qui-

 bus

(*) Ex eorum, qui hoc fecerunt, numero laudandi heic veniunt CLOZIUS *de doloribus Christi p. 170. seqq.* C. M. PFAFFIUS in *commentariolo in textum extrav. comm. libr. V. tit. IX. de pœnit. & remiss. cap. 2. verba de infinito pretio sanguinis Christi p. 19.* &, qui primo nominandus erat loco, b. BAUMGARTENIUS in *der Untersuchung theologischer Streitigkeiten, tom. II. p. 283.* ubi hæc verba exstant; *Es wird nicht gestritten: ob der Ausdruck, daß*

bus omnino & præcipua quadam ratione *mors* eius *cruenta* accenſenda eſt) non ſeorſim, ſed coniunctim ſumtis infinitum valorem pretiumque addidit. Nec ſanctior ſcriptura δικαιωμα *iuſtitiæ perfectæ opus*, quo redemtio noſtra procurata eſt, guttæ duntaxat ſanguinis Chriſti, ſed perfectæ eiusdem obedientiæ uſque ad mortem crucis adſignavit. *Reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius*, inquit gentium apoſtolus, *Rom. V.* 10. & rurſus: *reconciliavit nos in corpore carnis ſuæ per mortem*, *Coloſſ. I.* 22.

Miſſa hac controverſia, quæ ad infinitum unius guttulæ ſanguinis Chriſti valorem ſpectat, ad eas obſervationes a viro doctiſſimo *novæ bibliothecæ theologicæ p.* 113. *ſeqq.* inſertas progredior, quæ notis meis textui Gerhardiano paſſim ſubiectis ſunt oppoſitæ.

Prima, quam vir celeberrimus *loc. cit.* in medium profert, obſervatio eſt litteraria, ſeu potius critica, ſpectatque ad auctorem librorum *de vocatione gentium*. Circumferuntur quidem ii ſub nomine AMBROSII, epiſcopi Mediolanenſis, ſeculo quarto clari, cui GERHARDUS quoque eosdem paſſim in *locis* ſuis *theologicis* adſcribit. Sed repugnat ſtili diverſitas, repugnant non pauca a ſeculo, quo AMBROSIUS floruit, plane aliena. Unde & doctiſſimi monachi Benedictini congregationis S. Mauri, qui novam eandemque elegantem operum Ambroſianorum editionem ſumma cura adornarunt, eandemque Pariſiis an. *MDCLXXXVI.* & *MDCXC.* fol. luci publicæ expoſuerunt, libros hoſce ex editione ſua haud immerito excluſerunt. Plerique eruditorum eosdem PROSPERO cuidam tribuunt, quorum veſtigia & ego in *notis* ad GERHARDI *tom. IV. loc. theolog. p.* 179. & 209. ſecutus ſum.

Dum hanc meam ſententiam recenſet vir celeberrimus, id ſimul adnotandum cenſuit, nondum ad liquidum eſſe perductum, quod hocce antiquitatis monumen-

daß uns Chriſtus mit einem einigen Blutstropfen hætte erlöſen kœnnen, nicht in einem unſchuldigen Verſtande gebraucht werden kœnne, alſo einer Entſchuldigung fæhig ſeye? Das geben wir zu, wenn man die Worte als eine bloſe Dichter- oder Redner Vorſtellung und als uneigentlich ausgedrukt annimt, ſo kan dergleichen gar wohl entſchuldiget und ſo erklæret werden, daß kein gefæhrlicher Irrtum damit behauptet werde; daraus aber nicht folgt, daß die Sache, die in eigentlicher Bedeutung dadurch bezeichnet wird, richtig ſey und eingeræumet werde.

numentum a PROSPERO (quo nomine procul dubio is a me intelligatur, qui gente *Aquitanus* erat) sit profectum. PASCHASIUM enim QUESNELLUM hocce opusculum LEONI cognomine *magno* vindicasse, idque operibus huius praesulis Romani a se editis inseruisse, atque rationibus maxime probabilibus comprobasse, PROSPERUM *Aquitanicum* pro auctore librorum *de vocatione gentium* haberi haud posse.

Ast fateor, me huic QUESNELLI sententiæ adstipulari haud posse (*), sed iis me adsociare, qui libros istos PROSPERI cuiusdam opus esse iudicant. Suffragatur enim huic sententiæ codicum manuscriptorum fides (**). In eo tamen facile adsentior QUESNELLO nec non doctissimo *bibliothecæ theologicæ* auctori, quod libri isti PROSPERO *Aquitanico* adsignari prorsus nequeant (***). Obstat enim, quo minus id fieri queat, discrimen nonnullorum dogmatum ab iis, quæ PROSPER ille, gente *Aquitanus*, magna animi contentione passim in scriptis suis propugnavit. Eligenda igitur præ cæteris videtur sententia GERARDI IO. VOSSII (*), qui PROSPERUM, episcopum Aurelianensem (**), opusculi istius auctorem esse adseruit, cui GUIL. CAVEUS (***), aliique viri eruditi sunt suffragati. Nisi forte dicere malis, auctorem horum librorum prorsus esse incognitum.

Sed

(*) Abbas ANTHELMI in peculiari dissertatione eaque satis copiosa sententiam QUESNELLI sub examen vocavit, atque ostendere adnisus est, PROSPERUM *Aquitanicum* auctorem esse operis, quod inscribitur *de vocatione gentium*. Utriusque partis argumenta recensuit LUDOV. ELLIES DU PIN dans *la nouvelle bibliotheque des auteurs ecclesiastiques, tom. IV. p. m. 190. seqq.* ubi quidquid hanc in rem dici potest, exhausit vir doctissimus.

(**) Plures eiusmodi codices, eosque antiquissimos, in quibus hi libri PROSPERO tribuuntur, laudat GERARDUS IO. VOSSIUS in *historia pelagianismi, libr. I. cap. XX. p. 71.*

(***) Rationibus gravibus hoc ipsum dudum comprobarunt viri eruditi. Lectu cumprimis digna sunt, quæ hanc in rem disseruit laudatissimus DU PINIUS *loco excitato p. 194.*

(*) Vid. VOSSIUM *loc. cit. p. 72.*

(**) Huius PROSPERI Aurelianensis dissertam mentionem facit SIDONIUS *libr. VIII. epist. XV.* Subscripsit is conciliis Vasensi & Carpentoractensi annis *DXXVII.* & *DXXIX.* celebratis.

(***) Vid. eiusdem *historiam litterariam scriptor. ecclesiast. vol. I. p. 436. b.* edit. recentiss.

Sed pergo vel tandem ad ea, quæ ad theologiam dogmatico - polemicam pertinent, maiorisque sunt momenti.

Heic vero primo loco se mihi offert argumentum arduum de lapsu primorum nostrorum parentum, *tomo IV. locor. theolog. p.* 294. a b. GERHARDO pertractatum, qua occasione & meam hac de re sententiam ea, qua fieri debet, modestia exposui, eandemque lectorum subieci examini. Observavi inter alia (*), progenitores humani generis instigante cacodæmone, qui speciem serpentis alicuius adsumserit, lapsos esse, nec admitti posse b. GERHARDI aliorumque sententiam, statuentium, auctorem lapsus fuisse serpentem naturalem a diabolo OBSESSUM. Inter ea, quæ huic sententiæ opposui argumenta & hoc erat, quod obsessio diabolica in brutis animantibus locum habere nequeat, siquidem ea ex parte *obsessi* supponat peccatum, quod in animantia ratione destituta, adeoque & serpentem, haud cadat.

Hæc ratio, *loco excitato* uberius a me exposita, viro celeberrimo non satis videtur firma. Quum enim genius infernalis, permissione supremi numinis rebus naturalibus abuti queat, prout & homines subinde facere soleant, nihil obstare arbitratur, quo minus cacodæmon serpente naturali ad seducendos primos nostros parentes abuti olim potuerit (**).

Verum, si vir alias iudiciosissimus ad statum quæstionis, prout par est, heic attendisset, procul dubio ipsemet, me non monente, facile perspexisset, hanc obiectionem vim argumenti, quo usus sum, haud infringere. Neque enim de eo quæstio est: an spiritus infernalis rebus a Deo creatis, ac speciatim brutis animantibus ABUTI queat? Hoc enim facile concedi potest. Sed quæstionis cardo in eo vertitur: an cacodæmon brutorum animantium corpora OBSIDERE possit? item-

(*) Vid. *not. ad p. 296.*

(**) Vid. eiusdem *theologische Bibliothek vol. VI. part. II. p. 115.* ubi hæc leguntur verba: *Wenigstens dächten wir nicht, daß der erste Grund* (quem supra indicavi) *sicher genug wäre. Dann da der Satan auf göttliche Zulassung andere Dinge in der Natur misbrauchen kan, wie es auch die Menschen thun; so sehen wir eben nicht, warum er das nicht auch bey einer natürlichen Schlange habe thun kønnen.*

itemque: an serpens seductor, qui *Genes. cap. III.* commemoratur, fuerit *verus & naturalis serpens, at a diabolo* OBSESSUS, *seu* ενεργουμενος (*)? Hancce quaestionem in *animadversionibus* meis ad GERHARDUM (**) negavi. Ea enim, uti abunde constat, est OBSESSIONIS *corporalis* conditio, ut non nisi in creaturis ratione praeditis peccatique labe infectis (***) locum habere queat. Hinc HOMINES obsideri dicuntur, quia hos obsidendi ius habet diabolus, & quidem *propter peccatum*, 1 *Ioan. III.* 8. Aſt *de brutis* ratione destitutis serpentibusque, quatenus aliquam brutorum speciem constituunt, dici haud potest, quod a diabolo corporaliter obsideantur, quoniam in ea, ut modo dixi, peccatum non cadit. Perspexerunt hancce difficultatem solvi nesciam theologi quidam recentiores iique acutissimi, inque eam descenderunt sententiam, *occupari* potuisse serpentem a cacodaemone, *obsideri* non potuisse (*). Nec defuerunt, qui nomine *serpentis*, *Genes. III.* 1. *seqq.* 2 *Cor. XI.* 3. serpentem non naturalem atque a malo genio agitatum, sed *personatum*, nempe solum diabolum, serpentis forma ac forsitan prorsus singulari indutum intellexerunt (**); quorum sententiae & ego lubens meritoque subscri-

c

(*) Ita formandum esse quaestionis statum, ex ipsis b. GERHARDI verbis, quae *tom. IV. p. 295, 296.* leguntur, satis patet. *Nos*, inquit *loc. cit. nec nudum, nec mere allegoricum, sed diabolo* OBSESSUM *ac stipatum serpentem hic describi statuimus*: Eadem fere ratione AUGUSTUS PFEIFFERUS, theologus quondam Lipsiensis, suam hac de re exprimit sententiam: *Serpens seductor*, inquit, *fuit verus & naturalis serpens, at a diabolo* OBSESSUS, *seu* ενεργουμενος. Vid. eiusdem *dubia vexata scripturae sacrae, loc. VI. qu. I. p. 21.* qui & *loc. cit. p. 22.* GLASSIUM, FRANZIUM, CALOVIUM, aliosque theologos laudat idem sentientes.

(**) Vid. notam amplissimam, quam *tom. IV. loc. theol. p. 296. seqq.* subiunxi.

(***) Scilicet obsessio physica seu corporalis *peccatum* in *obsesso* supponit; unde vulgo definiri solet a theologis, quod sit *actio spiritus impuri, qua is permittente, &* PECCATA ANTEGRESSA *vindicante Deo, corpora hominum ingreditur, intra eadem secundum substantiam suam habitat, & in illis operatur.* Vid. HOLLAZIUM in *examine theolog. acroamat. part. I. cap. IV. quaest. XXX. p. 400.* edit. novis.

(*) Ita suam hac de re mentem expressit b. ISRAEL GOTTLIEB CANZIUS, singulare quondam academiae Tubingensis decus, in *compendio theologiae purioris, p. 386.*

(**) Hanc sententiam amplexi sunt recentiores maxime theologi iique praestantissimi, speciatim b. Io-

REIN-

scribo. Eandem enim & veritati, & solvendis, quæ in hocce argumento occurrunt, difficultatibus arbitror esse longe convenientissimam.

Sed progredior iam ad aliam controversiam in theologorum scholis olim agitatam, eam nimirum, quæ ad impeccabilitatem Christi hominis eiusdemque causam respicit. Cum enim Christus veram adsumserit naturam humanam, pravitas autem originalis naturæ humanæ post lapsum intime inhæreat, & ordinaria ratione ad omnes eius posteros propagetur, disputatum olim fuit: *qui fieri potuerit, ut redemtor mundi, qui in Adami lumbis iam exstitit, ab omni labe immunis nasceretur*? Dixi hanc in rem nonnulla in *notis* ad GERHARDI *tom. IV. loc. X. §. CIII. p.* 150. *seqq.* ubi, missis otiosorum, quos vocant, hominum quæstionibus atque adsertionibus, ab aliis iam notatis (*), tres de hac quæstione recensui sententias, siquidem nonnulli nostrorum theologorum massæ illius, ex quâ corpus Christi fuit efformatum, *præservationem*, alii eiusdem *purificationem*, alii denique novam huius massæ in utero virginis Mariæ *creationem*, vi Spiritus S. momento factam, statuerunt. Quod ad ultimam hanc sententiam attinet, eandem *loco citato p.* 351. confutavi, nec quidquam in contrarium heic obiicit vir doctissimus. Proinde nihil aliud superesse videtur, quam ut dicamus, substantiam seminalem producendæ aliquando humanæ Christi naturæ inservituram, inque ipso Adamo, tanquam capite generis humani iam exsistentem, aut *præservatam* fuisse a peccato, aut *purificatam* a Spiritu sancto. Neutrum tamen, ob varias, quæ utramque sententiam premunt, difficultates statui posse, *loco excitato* observavi, inque eam vel tandem ingressus sum sententiam, substantiam seminalem, producendæ humanæ Christi naturæ aliquando inservituram, fuisse quidem in Adamo, sed non ut capite *morali* ac *repræsentativo* generis humani, sed duntaxat ut capite *naturali*, eandemque nullo unquam

REINHARD. RUSIUS in peculiari dissertat. *de serpente seductore*, Ienæ habita, b. ROMANUS TELLERUS in *animadversionibus* ad HOLLAZIUM *p.* 400. *seqq.* IO. ERNEST. SCHUBERTUS in *institut. theolog. dogmat. part. II. cap. I. §. LXXXIX. p. m.* 74. IAC. CARPOVIUS in *theolog. revelata dogmat. tom. I. §.* 1191. *p.* 704. *seqq.* aliique.

(*) Recensuerunt easdem IO. ADAMUS OSIANDER in *system. theol. exercitat. LXIII. LXIV.* & post eum MICHAEL WALTHERUS in dissertatione prorsus egregia *de Christi hominis αναμαρτησια*, Vitembergæ *MDCXC.* habita.

unquam peccato fuisse contaminatam, adeoque nec *præservatione*, nec *sanctificatione* opus habuisse.

Audiamus iam, quid ad infirmandam hancce thesin in medium proferat vir doctissimus.

Ait, se sententiam istam a me adoptatam facile admisurum, si modo firmioribus inniteretur rationibus, ac quidem eæ sint, quæ a me in medium fuerint adlatæ. Ecquis enim, ita pergit laudatissimus vir, sibi hodie persuadeat, materiam, conceptioni Christi suo tempore inservituram, in ipso Adamo iam exstitisse? Addit, discrimen inter caput *naturale* & *morale* generis humani aliud fundamentum haud habere, quam mentis abstractionem. Subiungit vel tandem, omnem, quæ in homine deprehendatur, materiam ex cibo ac potu, qui, secundum testimonium servatoris nostri, impuri haud sint, suam ducere originem; nec ulla concipi aut explicari posse ratione, quomodo in corpore humano impuritatem quandam peccaminosam contrahere queant (*).

Verum hæc non ita comparata esse deprehendo, ut meam destruant sententiam. Ad singulas, quas modo commemoravi, obiectiones ordine respondebo.

Ad *primam* quod attinet, mirum mihi videtur, quod vir doctissimus receptam in theologorum scholis sententiam, *ab initio iam exstitisse seminalem Christi substantiam in ipso Adamo*, in dubium revocet. Nonne omnes, quotquot sunt, homines in primo isto generis humani parente exstiterunt, si non *actu* & *personaliter*, ut in scholis loquuntur, tamen *potentia*, atque *seminaliter*, quatenus in ipso, tanquam totius speciei radice continebantur (**)? Quis inde excipiat Christum,

(*) Verba, quibus *loc. cit. p. 116.* utitur vir clarissimus, ita se habent: *Wir wolten dem Hr. D. in der Hauptsache gerne recht geben: aber nicht um der Gründe willen, die er anführet. Warum soll die Materie schon in Adams Leibe gewesen seyn? Wer kan das heut zu Tage noch glauben? Der Unterschied zwischen dem* capite naturali *und* morali *ist auch eine blosse Abstraction, u. s. w. Alle Materie, die in dem Menschen ist, kömmt aus der Speise und dem Tranke; die sind nach Christi Zeugnisse rein. Was sie in dem menschlichen Leibe für eine sündliche Unreinigkeit bekommen solle, und habe, lässet sich weder begreifen noch deutlich erklären.*

(**) Vid. *Act. XVII. 26.*

qui carnis sanguinisque particeps factus est sicut alii infantes (*), & nobis, ut concilium Chalcedonense habet, est ὁμοούσιος. Et quid aliud innuunt sacræ scripturæ oracula, in quibus dicitur, Christum fuisse *filium Adami* (**), esse & *ex patribus secundum carnem* (***), esse *semen Abrahæ* (*) *germen*que *Davidis* (**), quam quidem hoc, sacratissimam carnis Christi *substantiam seminalem* olim iam extitisse in Adamo, atque ab eodem per patres veteris testamenti ad Mariam virginem fuisse traductam? Nec ab hac doctrina abludunt ea, quæ de opere creationis tradunt recentiores quidam philosophi, illustris LEIBNITII vestigia secuti. Ex eorum enim mente, omnes substantiæ (ad quas & seminalis Christi substantia referenda est) a Deo, cuius actio est infinita, simul fuerunt creatæ, ut aliæ condi haud possint. Quodsi enim hodienum Deus ullas *novas* exsistere iuberet *substantias*, hic ipse conatus actionem argueret finitam, qualis in Deo locum habere nequit. Nec generatio dici potest novæ substantiæ productio, cum potius sit elevatio substantiæ ex statu *seminali* in statum maturiorem. Nolo plura hanc in rem addere, sed philosophis hæc aliaque huius generis plura discutienda relinquo. Sufficit mihi, paucis heic ostendisse, sententiam eorum, qui statuunt, seminalem carnis Christi substantiam una cum cæteris statim AB INITIO exsistere cœpisse, seu, ut veterum nostrorum theologorum loquendi formula heic utar, Christum æque ac alios homines fuisse in lumbis Adami, tanquam stirpis, radicis & capitis generis humani, minime ita comparatam esse, ut nemo eruditorum eidem hodie suum præbere queat adsensum.

Pergo ad *secundam* viri clarissimi obiectionem, quæ ad distinctionem inter caput *naturale* & *morale* seu *fœderale*, in theologorum scholis receptam, qua & ego in *notis* ad GERHARDI *tom. IV. p.* 351. usus sum, spectat. Dixi *loc. cit.* substantiam Christi seminalem exstitisse quidem in Adamo, ut capite *naturali* generis humani, sed non ut capite *morali*, siquidem destinata fuerit formando eiusmodi *capiti*, quod Adamo contradistinguitur, *Rom. V.* 14.

Verum

(*) *Ebr. II. 14.* (**) *Luc. III. 38.* (***) *Rom. IX. 5.*
(*) *Gal. III. 16.* (**) *Ier. XXXIII. 15.*

Verum hancce distinctionem vel eam ob rationem heic attendendam haud esse arbitratur vir celeberrimus, quia mera mentis *abstractione* innitatur (*).

Equidem nolo inficias ire, aliquam mentis abstractionem heic locum habere, quando Adamum, primum hominem, ex duplici latere consideramus, ex uno, quatenus fuit caput *naturale*, ex altero autem, quatenus caput *morale*, seu *fœderale* ac *repræsentativum* generis humani exstitit. Interim tamen duo heic præcipue notanda veniunt. *Primum* est, quod abstractiones generatim spectatæ, si, prout fieri debet, instituantur, minime contemnendæ, sed subinde sint necessariæ, insignemque præstent usum (**), licet earum abusus, qui in scriptis doctorum scholasticorum subinde deprehenditur, iustam commereatur reprehensionem. *Alterum* est, quod distinctio inter caput *naturale* & *morale*, de qua heic sermo est, non sit inane cerebri figmentum, ut fortassis quispiam existimare posset, sed in re ipsa fundamentum habeat, quin & solvendis quæstionibus difficilibus egregie inserviat.

Adamum fuisse caput *naturale* generis humani, vix quisquam christianorum negaverit. Fuit enim, teste scriptore sacro, primus hominum 1 *Cor. XV.* 45, 47. parens communis non Iudæorum duntaxat, uti fingit Isaacus Peyrerius, sed & gentilium, immo omnium hominum, quippe qui in ipso *virtualiter* aut *seminaliter* exstiterunt *Act. XVII.* 26. *Ebr. II.* 11.

Nec tantum *naturalis*, sed & *moralis* ac *fœderalis* capitis personam sustinuisse Adamum, vel exinde colligi potest, quoniam in Adamo, transgressore legis divinæ, omnes peccavisse, omnesque labem originalem cum actualibus peccatis ex Adamo traxisse dicuntur *Rom. V.* 12, 18, 19. Plura, quæ dici hanc in rem poterant, brevitatis studio prætermitto. Unicum hoc adiicio, sine κεφ. ista, qua Adamus consideratur ut caput *fœderale* ac *repræsentativum* totius generis humani, quæstionem difficilem de imputatione peccati Adamitici omnibus hominibus facta,

(*) *Der Unterscheid zwischen dem* capite naturali *und* morali *ist auch eine bloße Abstraction, u. s. w.* inquit vir doctissimus *loc. cit. p. 116.* Optassem tamen, ut suam de hac distinctione mentem uberius exposuisset.

(**) Dudum hoc observarunt philosophi, ex quibus heic laudasse sufficiat illustr. Bilfingerum in *dilucidat. philos. §. CCLXIII. p. 255.* edit. secundæ.

vix enodari posse. Quodsi enim a consideratione ista *capitis fœderalis*, cuius personam Adamus ex dispositione atque ordinatione divina gessit, penitus abstrahamus, nullum consensus, qui ex parte posterorum Adami requirebatur, inveniri potest fundamentum. Unde non tantum antiquiores, sed & recentiores quidam iique magni nominis theologi doctrinam istam de Adamo, capite non solum *naturali*, sed etiam *morali* posteritatis suæ, in scriptis suis propugnarunt graviterque inculcarunt (*).

Supereſt *tertia* viri celeberrimi exceptio, supra iam p. XIX. indicata, quam breviter heic diluam. Urget is, concipi haud posse, quomodo materia labem possit

(*) Ex iis, qui hoc fecerunt, cumprimis nominari heic meretur theologus prorsus eximius, SIGISMUNDUS IACOB. BAUMGARTENIUS, qui argumentum hoc egregie solideque pertractavit in *der evangeliſchen Glaubenslehre*, *tom. II. p. 532. 533.* Ostendit ibidem vir laudatissimus *primo* quidem, in quonam consistat imputatio peccati primi, mentemque suam hisce verbis edisserit: *Was die Beſchaffenheit dieſer Zurechnung des peccati Adamitici betrift, ſo beſtehet dieſelbe darin, daß GOtt das Verhalten des erſten Menſchen anſiehet, achtet und beurtheilet, als ein allgemeines Verhalten des ganzen menſchlichen Geſchlechts, folglich alle einzele Perſonen deſſelben daran Antheil nehmen. Welches Rom. V. 12, 14, 15-19. ausdrücklich angezeiget wird* &c. Differit quoque *secundo* loco de *fundamento* huius imputationis, & quidem sequentem in modum: *Der Grund dieſer ſittlichen Zurechnuug beſtehet in dem Verhältnis aller einzelen Menſchen gegen den Adam, als ihren Gevolmächtigten, ihren Sachwalter, Deputirten und ſittliches Oberhaupt: welcher in dem Verhalten gegen GOtt wæhrender Prüfungszeit das ganze menſchliche Geſchlecht vorſtellet, ſo daß ſein Betragen dem ganzen menſchlichen Geſchlecht vortheilhaft oder nachtheilig werden müſſen.* Atque hunc nexum *moralem* imputationis, a nexu *naturali* distinctum, in subsequentibus uberius exponit vir laudatissimus. Nec his absimilia sunt, quæ hanc in rem scripserunt: b. BUDDEUS in *institut. theol. dogmat. libr. III. cap. I. §. XVI. p. 728. seqq.* b. cancell. PFAFFIUS in *den academiſchen Reden über die Grundlehren der chriſtlichen Religion, p. 123.* & inprimis *p. 128.* IO. ERNEST. SCHUBERTUS in *inſtitut. theolog. dogmaticae §. XCVIII.* IAC. CARPOVIUS in *theologia revel. dogm. tom. I. §. 1117. p. 655.* & *§. 1216. p. 717.* THEODOR. CHRISTOPH. LILIENTHALIUS in *der guten Sache der gœttlichen Offenbahrung, part. IV. cap. IX. §. 117. p. 951. seqq.* aliique ex nostris theologis, quibus ex ecclesiæ Reformatæ doctoribus IO. MARCKIUS in *historia paradisi illustrata, libr. II. cap. VII. §. X. p. 385. seqq.* & DAN. WYTTENBACHIUS, in *tentamine theolog. dogmat. tom. I. §. 763. p. 577.* addi merentur.

possit contrahere, cum omnis materia ex cibo & potu oriatur (*), qui, secundum effatum servatoris, hominem inquinare nequeant.

Sed non satis attendisse videtur vir alias iudiciosissimus, sermonem heic non esse de ea *materia*, ex qua *corpus* hominis *animale* hodie est compositum; sed de *substantiis seminalibus*, in ipso Adamo iam latentibus, efformandæ humanæ naturæ aliquando inservituris. *Materiam* istam, ex qua corpus humanum constat, per usum legitimum cibi potusque, ad conservationem hominis a Deo ordinatorum, non pollui, omnes fatentur. Vid. *Matth. XV.* 17. *Marc. VII.* 15. Verum, quod ad *substantias* istas *seminales*, de quibus heic sermo est, attinet, eæ in primis nostris parentibus legem divinam migrantibus & de fructu arboris vetitæ comedentibus (**), pecca-

(*) *Alle Materie, die in dem Menschen ist*, inquit vir clarissimus, *kommt aus der Speise und dem Tranke.* Nescio vero, an hoc de ipsis quoque *substantiis seminalibus* intellectum velit. Hæ sane non oriuntur ex cibo & potu, sed ab ipso Deo statim ab initio SIMUL fuerunt creatæ. Potentissimum illud verbum יְהִי FIAT! sine ulla temporis successione a supremo numine pronunciatum, omnes substantias SIMUL exsistere iussit. Relinquitur tantum PRIUS & POSTERIUS *relationum* intuitu, non respectu *temporis*. Vid. b. ISRAELIS GOTTLIEB CANZII *compendium theologiae purioris p. 606.* nec non eius *annotationes* ad hocce *compendium*, a doctissimo eius filio GEORG. BERNHARD. CANZIO, ex manuscripto desideratissimi parentis sui cum præfatione mea editas, *p. 565.*

(**) Patet ex his, adsertionem viri doctissimi, quod cibus sit *purus* atque innoxius nullamque adeo labem humano corpori inferre queat, non esse universaliter veram, sed suas pati exceptiones. Ecquis enim dubitaverit, dari cibos corpori hominis maxime nocivos? Talis procul dubio fuit fructus arboris vetitæ, qui toti humanæ naturæ labem intulit. Atque exinde commodissima reddi potest ratio, cur Deus, qui sine ratione obiectiva nunquam agit, pro insigni sua sapientia atque bonitate erga homines, speciatim arboris cognitionis, non vero alterius cuiusdam arboris in horto plantatæ fructus comedere serio prohibuerit, *Genes. II. 16. 17.* Necessarium quoque erat, ut Deus homines in paradisum intromittens iisdem vim letalem fructus illiciti indicaret, ne specie arboris deciperentur. Neque enim ii scire poterant, quinam fructus salubres sint, quinam nocivi, nisi revelatione divina, aut longo rerum usu. Ita & Alexander M. Macedonibus suis, quibus fructus Indici prorsus erant incogniti, ficus cuiusdam fructus δηγμον ποιει και δυσεντεριαν, *alvum mordet paritque dysenteriam*, απεκηρυξε μη εσθιειν, *edixit, ne comederent.* Vid. THEOPHRASTUM *libr. IV. histor. plantar. cap. III.*

peccato fuerunt infectæ mirumque in modum corruptæ (*). Unde & corruptio ista naturalis ex Adamo in eiusdem posteros, hoc est omnes homines, per generationem transiit. Adficit illa, teste scriptura sacra, tum animam, tum corpus hominis, efficitque, ut nullis etiam exemplis corrupti, tamen natura nostra ad mala feramur.

Vix concipi potest, qui ex unico Adami peccato, esuque de arbore vetita, tam horrenda totius naturæ nostræ corruptio oriri potuerit, nisi statuamus, fructum istius arboris virus mortiferum continuisse, idque totam hominis naturam mox pervasisse eandemque penitus corrupisse.

Atque hoc ipso veneno malo, immo pessimo eoque velocissimo, tota hominis natura *omnesque substantiæ seminales* in Adamo latentes, statim fuerunt infectæ, si discesseris a *sacratissima carnis* CHRISTI *seminali substantia*. Quem ad modum enim incomparabilis ille generis humani redemtor, primis nostris parentibus statim post lapsum promissus, peccare non potuit in *statu naturo*; sic & immunis a peccato fuit in *statu* suo *seminali*. Exstitit quidem *seminaliter* in ipso iam Adamo, sed non ex benedictione prima *Gen. I.* 28. quæ ad *naturæ* regnum spectat, sed vi benedictionis secundæ *Gen. III.* 15. quæ *gratiæ* regno præest. Exstitit in Adamo, sed tantum ut capite *naturali* generis humani, ut alibi iam observavi, non vero ut capite *fœderali* ac *repræsentativo*. Neque enim Adamus ipsius nomine pactum cum Deo iniit, sed nomine generis humani *naturaliter* ab ipso propagandi. Christus autem *naturaliter* genitus haud fuit, *Luc. I.* 34, 35. Proinde eius substantia, peccante Adamo, peccato infecta censeri nequit. Exstitit denique Christus in ipso iam Adamo, sed ut caput *secundum*, capiti *priori*, Adamo nimirum, qui *posterioris* typus erat *Rom. V.* 14. oppositum *Rom. V.* 18, 19. 1 *Cor. XV.* 45, 47. Uno verbo, alia substantia seminalis est, cæteras sanctificatura, alia vero sanctificanda olim.

Plura de hoece argumento, quod theologorum ingenia olim plurimum exercuit, dici possent, nisi temporis brevitas, adpropinquantibus iam nundinis Lipsiensibus, id prohiberet.

Cæterum

(*) Lucem ex hac observatione accipiunt oracula scripturæ sacræ *psalm. LI.* 7. *Ioan. III.* 6. aliaque.

Cæterum quæcunque hactenus a me dicta sunt, non ex inconsulto contradicendi studio, non ex morosa semel tradita mordicus defendendi pertinacia, sed ex firma animi mei persuasione sinceroque veritatis amore sunt profecta. Hoc nimirum veritati officium me debere intellexi, ut, quoad fieri a me potuit, haud invita eadem veritate, adsertiones meas, in notis præcedenti volumini operis Gerhardiani subiectis, in medium adlatas uberius, ubi id opus esse videbatur, explicarem, easdemque solidius confirmarem, atque ab exceptionibus speciosis, quæ in *nova bibliotheca theologica* contra easdem motæ sunt, ea, qua fieri debet, modestia vindicarem. Haud ægre id feret, uti omnino sperare licet, eruditissimus diarii istius litterarii auctor, vir veritatis studiosissimus mihique amicissimus, cuius in rem sacram ac litterariam merita eaque prorsus eximia dudum veneror, mecumque venerantur omnes, quotquot æquum rebus pretium statuere didicerunt.

Atque sic vel tandem ad id revertor, unde digressus sum, nimirum ad GERHARDI nostri *locos theologicos*, quorum *tomus quintus* in conspectum orbis eruditi iam prodit. Complectitur ille tria doctrinæ sanctioris capita. Agit enim I) de *peccatis actualibus;* II) de *libero arbitrio*, hoc est de viribus humanis post lapsum adhuc reliquis, ac denique III) de *lege Dei* generatim spectata. Singulos hosce christianæ fidei articulos non tantum perspicue, & pro more suo, erudite ac solide, sed & copiosius, quam alias facere consueverat, pertractavit vir beatæ memoriæ, nihilque eorum facile prætermisit, quæ vel ad adcuratam veritatum divinarum expositionem solidamque earum confirmationem, vel ad errorum veritatibus istis adversorum confutationem pertinere videbantur. Multa quoque passim adsperſit ex theologia patristica desumta, veterumque scriptorum ecclesiasticorum, qui *patrum* nomine veniunt, testimonia, veritates cœlestes confirmantia atque illustrantia, magno subinde numero in medium adduxit. Qua ipsa ratione non tantum se in scriptis patrum veteris ecclesiæ egregie versatum esse luculenter demonstravit vir eruditissimus, sed & historiæ dogmatum, quæ nobilissimam historiæ ecclesiasticæ partem constituit, inque controversiis theologicis, speciatim iis, quæ nobis cum cœtus Romani doctoribus intercedunt, insignem præstat utilitatem, lucem adfudit minime contemnendam.

Vix opus esse arbitror, ut de iis, quæ egomet in nova hac editione præstiti, vel saltim præstare adnisus sum, multa dicam. Quilibet enim, qui hocce volu-

men paullo adcuratius perlegerit, quid in eo a me fuerit praestitum, ipsemet facile perspiciet. Hoc certo adseverare possum, me eandem, quam in prioribus tomis a me editis posui industriam, in huius quoque voluminis editione adhibuisse, idque serio egisse, ut commodis eorum, quibus opus hoc Gerhardianum in pretio est, quantum a me fieri poterat, consulerem. Non tantum textum b. auctoris a quamplurimis, quibus praecedentes editiones, ac cumprimis Hamburgensis, mirum in modum scatebant, vitiis sollicite purgavi, sed & adnotationes GERHARDI posthumas marginique adscriptas, quae in editione Hamburgensi textui erant illatae, nexumque rerum tractandarum haud parum turbabant, e textu eliminavi, iisdemque locum convenientem in notis textui subiectis adsignavi, ita tamen, ut adposito GERHARDI nomine, a meis clare satis distinguerentur.

Quod ad adnotationes a me profectas attinet, eae varii sunt generis. Nonnullae sunt exegeticae, atque nonnullis scripturae sacrae oraculis, a b. GERHARDO excitatis, lucem quandam adfundunt. Aliae ad theologiam dogmatico-polemicam, quin & moralem, utramque enim coniunctim olim tractabant theologi, propius spectant. Aliae denique ad historiam controversiarum tum antiquiorum, tum recentiorum, nec non historiam litterariam pertinent. Non opus esse arbitror, ut easdem sigillatim heic commemorem, cum ex *conspectu locorum, capitum & contentorum*, volumini huic subiuncto, facile cognosci queant. Id unicum adiicio, me ea, quae in *adpendice* huius voluminis *pag.* 388. de *legibus divinis positivis universalibus* brevius dicta sunt, alio tempore aliaque occasione, si quidem vita supperet, uberius pertractaturum esse.

Quodsi forte uni alterive, qui haec nostra leget, alicubi peccasse, vel a vero aberrasse videar, bene monenti facile adsentiar. Non enim is sum, qui existimationi meae, si quam commeritus essem, quidquam detrahi putem ingenua peccati errorisque confessione, ac seria emendatione.

Atque ita finem vel tandem impono longiori huic praefationi. Faxit supremum in coelis numen, ut sanctioris disciplinae alumni ex nostro qualicunque labore, b. GERHARDI manibus sacro, commoda quam plurima, fructusque amplissimos uberrimosque percipiant.

Scribebam Tubingae d. XIV. mensis Aprilis A. O. R. MDCCLXVI.

IO.

IO. GERHARDI
LOCORVM
THEOLOGICORVM
TOMVS QVINTVS,

IN QVO

CONTINENTVR HAEC CAPITA

I. DE PECCATIS ACTVALIBVS.

II. DE LIBERO ARBITRIO.

III. DE LEGE DEI.



LOCUS XI.

DE PECCATIS ACTVALIBVS.

PROOEMIUM.

§. I.

Connexio cum loco præcedente.

Innumera illa peccatorum actualium soboles originalis peccati matrice concepta pravæ concupiscentiæ obstetricatu in lucem editur; ut non minus fœcundum sit originale peccatum, quam comitissa illa Hollandica, Mathildis nomine, quæ unico partu trecentos sexaginta quinque liberos mirabiliter enitebatur, de qua ex annalibus Flandriæ Gvicciardinus, Erasmus, Ludov. Vives & Wolffg. cent. XIII. pag. 554. (quam tamen comparationem cave latius extendas, quam ad fœcunditatis paritatem.) Quemadmodum *mala arbor fert malos fructus*, Matth. VII. 17. Luc. VI. 43. *ex fonte venenato scaturiunt aquae itidem venenatae*, Jerem. VI. 7. *ex amara radice amarities in ramos sursum protruditur*; Hebr. XII. 15. ita quoque ex innata cordis pravitate, velut ex fonte venenato & radice amarissima, procedunt omnis generis innumera peccata, Matth. XV. 19. malæ arboris fructus pessimi.

CAPUT I.

DE NATVRA PECCATI ACTVALIS TRACTAT.

§. II.

Peccata actualia unde dicta.

Fructus hi dicuntur peccata *actualia* ad *originalis* peccati differentiam; ut enim istud dicitur *originale*, quia una cum naturæ nostræ origine in nobis hærere incipit, ita hæc dicuntur *actualia* ab *agendo*, quod non sint nobis innata, nec in omnibus æqualia; sed quod a nobis agantur, factis scilicet, dictis ac cogitatis. Inde Augustinus lib. XXII. contra Faustum cap. 27. peccatum actuale definit, quod *sit dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam*: & lib. II. de consensu evangelist. cap. 4. quod *sit legis transgressio*. Quas Augustini definitiones

nes τῶν ἀμφοῖν amplectimur, ac proinde injuriam nobis facit Bellarminus, quando scribit, lib. I. de amiss. grat. & statu peccati cap. 1. *tantam esse aliquorum ex Lutheranis vel imperitiam, vel impudentiam, ut priorem Augustini definitionem tacito ejus nomine inter errores numerare non vereantur.* Colorem huic accusationi ex eo quærit, quod Heshusius in lib. de sexc. error. Pontif. loc. IV. numer. 1. scripserat: *Pontificii hoc modo definiunt plerumque peccatum, quod fit vel dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Resp. non ipsam definitionem, sed vitiosam definitionis adplicationem improbat Heshusius, quod Pontificii eam tanquam generalem peccati definitionem acceptant, & ad originale peccatum etiam adcommodant, quæ tamen actualium tantum peccatorum est definitio, ut recte notat Bonaventura in comm. I. sent. dist. 35. art. 1.

An omnia peccata voluntaria?

§. III. Ibidem Bellarmino in Augustini definitione mentio *voluntarii* videtur desiderari: cui objectioni ita respondet, *quod hæc vocula ex aliis definitionis partibus facile possit colligi, cum nihil fit proprie contra legem, nisi id, quod est voluntarium, & cum lex proprie non detur nisi iis, qui habent usum liberi arbitrii.* Resp. 1.) *Omne peccatum esse voluntarium*, dicit Augustinus lib. de vera relig. cap. XIV. Idem tamen recte addit lib. III. contra Julianum cap. 5. *de actuali peccato id intelligendum esse, non de originali*, quod non debebat prætermittere Bellarminus. 2.) Si vero in genere dicatur, nullum esse peccatum, nisi *voluntarium*, hoc est, nisi κατὰ προαίρεσιν consulto & actione propriæ voluntatis committatur, sequetur originalis peccati negatio; ideo Pelagianis istud axioma tribuit Augustinus de hæres. cap. 15. & 88. libr. IV. ad Bonifacium cap. 7. lib. II. de bono perfever. cap. 15. & 11. libr. II. de grat. & peccat. origin. cap. 6. & 13. 3.) Quid, quod nec omnia actualia peccata sunt voluntaria, eo scilicet modo ac ratione, quod a scientibus & volentibus committantur, cum sint quædam delicta ignorantiæ, & peccata infirmitatis? 4.) Interim omne actuale peccatum dici potest *voluntarium* hoc modo ac respectu, quatenus opponitur coactioni: peccat homo *voluntarie*, id est, non coactus, sed libere. 5.) Si originale peccatum alicubi ab Augustino dicitur *voluntarium*, id subtili ista ratione explicat, quia a mala voluntate primi hominis est ortum, libr. I. retract. cap. 13. quia in ipsa hominis voluntate sedem habet, & quia natura depravata illi peccato in adulta ætate consentit. 6.) Cum vero nomine *voluntarii* Bellarminus intelligat id solum, quod *actu* voluntarium est, & diserte addat, *legem proprie non dari nisi iis, qui habent usum liberi arbitrii*; Pelagianorum cassibus semet ipsum implicat; cum enim infantes usu liberi arbitrii destituantur, utique ex hac hypothesi peccatum proprie dictum in eis nullum habebit locum. 7.) Quo referendum etiam istud, quod Bellarminus hanc Augustini definitionem *(peccatum est vel dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam)* pro generali definitione peccati acceptat; nam cap. 2. illud peccatum, quod in primo capite definierat, in *originale & actuale* peccatum distinguit. Ex quo promte colliget Pelagianus; infantes nihil faciunt, vel dicunt, vel concupiscunt contra legem æternam, cum lex proprie non detur nisi iis, qui habent usum liberi arbitrii: ergo in infantibus nullum est proprie dictum peccatum. 8.) Quare rectius ab evangelista peccatum in genere definitur, quod sit ἀνομία, 1 Joh. III. 4. quæ definitio miranda brevitate veram & propriam peccati rationem exprimit, quod scilicet sit aberratio a lege, sive non congruentia cum lege, sive ea in ipsa natura hæreat, (ut peccatum originis) sive in dictis, factis ac concupiscentiæ motibus inveniatur, (ut omnia actualia peccata) quin & sua latitudine peccatum omissionis hæc definitio complectitur, quod itidem est ἀνομία. Meritissime igitur Johanni hoc tribuitur, quod de voce ἀνταυτὸς a se excogitata scribit Scaliger exercit. CCCLXV, sectione 2. *eam admirabili ambitu significatus definitum illud suum exprimere.*

Explicatio definitionis apostolicæ

§. IV. Peccatum *formaliter* est defectus; omnis autem defectus est in quodam ente, omnis privatio

ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία.

vatio in quodam subjecto, omne malum est in quodam bono: proinde & peccatum, quod est ens *privativum*. Illud formale peccati, videlicet ipsa privatio seu defectus exprimitur a Johanne per τὸ μόριον στερητικὸν α, & habet rationem *generis* in definitione. Porro cum privationes rectissime declarentur & intelligantur collatione habituum; utpote quando dicimus, tenebras esse privationem lucis, & vero norma justitiæ seu conformitatis cum Deo archetypo sit νόμος ipsa lex, ideo differentia peccati *specifica* sumitur ab illa lege, ut inde evadat definitio a contrario, quæ in privationibus describendis est optima, cum νόμῳ tantum λόγῳ intelligantur. Peccatum est ἀνομία, hoc est, discrepantia, aberratio, deflexio a lege, sive in ipsa natura sive in actionibus ea inveniatur, quinimo quod ἄνευ νόμου sit, ut ἐθελοθρησκείαι, itidem ἀνομίας nomine venit. Denique cum lex obliget ad obedientiam, vel ad pœnam, ideo facile inde colligitur, cum hac ἀνομία *reatum* sive obligationem ad pœnam indissolubili nexu conjunctam esse.

Definitio peccati Philippea.

§. V. Mirandam illam exactissimæ definitionis brevitatem evolvere voluit Philippus in definitione illa, quam in colloquio Wormatiensi anno MDXLI. Eccio opposuit, Lutheri calculo prius adprobatam. *Peccatum est vel defectus, vel inclinatio, vel actio pugnans cum lege Dei, offendens Deum, damnata a Deo, & faciens nos reos aeternae irae Dei & poenarum praesentium ac aeternarum, nisi fiat remissio propter Filium mediatorem.* Ex qua definitione de qualibuscunque veterum descriptionibus, quarum complures exstant, facile judicari potest.

Definitiones veterum.

Ambrosius libr. de parad. cap. VIII. *Peccatum est legis divinae praevaricatio & coelestium inobedientia praeceptorum.* Augustinus lib. I. ad Simplicianum, quæst. 1. *Peccatum est aversio a conditore & ad inferiora condita conversio.* de duabus animabus contra Manich. cap. XI. *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat.* lib. de Genes. ad lit. imperf. cap. 1. *Peccatum est pravus liberae voluntatis assensus.* libr. de vera religione cap. XVI. *Peccatum est adpetere ea, quae Christus contemsit, aut fugere, quae ille sustinuit pro salute nostra.* de fide contra Manich. (*) cap. VIII. *Peccare nihil aliud est, nisi in veritatis praeceptis, vel in ipsa errare veritate.* libr. I. de libero arbitrio cap. XVI. *Peccata omnia hoc uno genere continentur, cum quisque avertitur a divinis vereque manentibus, & ad mutabilia atque incerta convertitur.* Chrysostomus in cap. XVIII. Matth. *Peccatum est Deo non obedire.* Damascenus IV. orthod. fidei cap. 23. τῆς ἐντολῆς ἡ παράβασις ἁμαρτία ἐστιν. Anshelmus super 2. Hebr. *Peccatum est vel facere vetita, vel non facere jussa.* Cæterum *non fuit piis veteribus propositum, exactam in illis pronunciatis constituere definitionem, quae complecteretur totum illud, quod peccati nomine censetur; sed voluerunt ponere quasdam descriptiones, non dialectice complectentes totam naturam definiti; sed quomodocunque convenientes illi materiae, de qua in certis quibusdam disputationibus & homiliis loquuntur:* Verba sunt Chemnitii p. I. locor. theol. loc. VII. cap. 3.

An omnis ἀνομία sit peccatum?

§. VI. Frivolum est, quod Andradius Payva lib. III. defens. fid. Trid. & Bellarminus libr. I. de amiss. grat. & statu peccat. cap. 1. ut & libr. V. cap. 14. obvertunt, *non omnem ἀνομίαν esse peccatum, cum peccata naturae & artis itidem sint quaedam ἀνομία, quibus haec generalissima Iohannis definitio non minus conveniat.* Resp. non de quacunque *generalissime* accepta ἀνομίᾳ apostolus loquitur, sed de discrepantia a norma legis divinæ, id quod docet tam *subjecto* quam *praedicato* propositionis additus articulus, qui certam hic notari ἀνομίαν, & plenam

(*) Librum *de fide contra Manichaeos* EVODIO Vzalensi adjudicant codices manuscripti, unde & eundem inter scripta AVGVSTINI suppositicia jure meritoque referunt monachi Benedictini congregationis S. Mauri in editione *operum* AVGVSTINI, quam dederunt, *tom. VIII.* in adpendice.

plenam tradi peccati definitionem, (reciprocam scilicet) evidenter arguit. Tit. II. 14. dicimur a Christo ἀπὸ πάσης ἀνομίας redemti : quam ineptus interpres erit, qui de erratis artium vel naturalibus corporum defectibus eo loco cogitare voluerit?

CAPUT II.

ONOMATOLOGIAN HUJUS PECCATI PROPONIT.

§. VII.

Notatio sive etymologia verbi.

Hisce occasione apostolicæ & Augustinianæ definitionis præmissis ad propriam actualium peccatorum rationem & varias eorundem species explicandas accedemus, quam tractationem a vocabuli interpretatione & συνωνυμίας evolutione ordiemur. *Peccare* secundum Ciceronem paradox. III. *est tanquam lineas transilire.* Apud veteres Latinos specialiter dicebatur *Peccatus pro adulterio, quasi dicas, pellicatus*, vide Gellium libr. XIII. noct. Attic. cap. 19. *Delictum quasi derelictum; qui enim delinquit, quid derelinquit, nisi bonum*, interprete Augustino libr. III. qq. super Levit. quæst. 20. ἁμαρτία *unde dicta sit*, Augustinus ibidem *sibi non occurrere dicit.* Deducitur autem ab ἁμαρτάνειν, quod est ἄσκοπα τοξεύειν seu τῦ σκοπῦ ἀποτυγχάνειν, unde Suidas ἁμαρτίαν definit τὴν τῦ ἀγαθῦ ἀποτυχίαν. Quidam statuunt ἁμαρτίαν dictam quasi ἁμαρπτίαν ab ἀ στερητικῷ & μάρπτειν, quod est *assequi*: alii deducunt a μὴ & ἀρτάω, cum sit *quiddam non congruum.* Eodem modo παράβασις a παραβαίνειν, παράπτωμα a παραπίπτειν, *praetercadere*, cum scilicet ultra rectam justitiæ lineam cadimus: vel a παράπτεσθαι, quod est *temere* & aberrante manu *aliquid tangere*, ἀδικία a στερήσει τῆς δίκης, ἀσέβεια ab α & σέβεσθαι, ἀποστασία ab ἀφίστασθαι &c.

Synonymia.

§. VIII. Porro cum actualium peccatorum seges sit largissima & variæ eorundem differentiæ, inde tam variæ peccati adpellationes præsertim in hebræa ac græca linguis occurrunt, quarum propriam significationem observare non abs re erit. Colligit eas maxima ex parte Chemnitius part. I. locorum theolog. loc. VII. cap. 2. pag. 524. cujus vestigia sequemur. Hebræis usitatæ sunt hæ adpellationes. 1.) חַטָּאת, חַטָּא & חַטָּאָה a radice חָטָא *aberravit, deviavit, deflexit*, scilicet a scopo & norma. LXX. varie reddiderunt, commodissime autem per ἁνομίαν. Usurpatur tum de originali, tum de actualibus peccatis Ps. LI. 3. 4. 5. &c. Observa locum Jud. XX. 16. ubi proprie usurpatur: *Iaculabantur funda ad capillum, neque aberrabant.* Quidam huc referunt Job. V. 24. *visitabis tabernaculum tuum & non peccabis*, id est, non aberrabis ab eo, sed facile id invenies. 2.) עָוֹן *iniquitas, perversitas*, a radice עָוַת *curvus fuit*, proprie igitur curvitatem notat, usurpatur tam pro malo culpæ, quam pro malo pœnæ, tam pro originali, quam pro actualibus peccatis. 3.) פֶּשַׁע *transgressio* a פָּשַׁע quod proprie significat *pactum transgredi.* 2 Reg. VIII, 20. *In diebus ejus defecit Edom ab imperio Iudæ.* 4.) שְׁגָגָה *inconsideratio, incogitantia*, notat proprie peccata ignorantiæ vel infirmitatis, quæ LXX. vocant παραπτώματα καὶ ἀγνοίας a שָׁגַג *inconsiderate egit.* 5.) זָדוֹן *superbia, ebullitio cordis*, a זוד *intumuit, superbivit*, notat igitur ea peccata, quæ ex contumacia & προαιρέσει committuntur. 6.) אֹשֶׁם *abominandum scelus*, vel etiam *abominationem*, id est, reatum peccati notat; quandoque usurpatur pro victima, quæ pro delicto expiando immolatur, a radice אָשַׁם, quod significat *fieri aliis abominationi*, ut cum flatu quodam ipsum detestentur. LXX. plerumque reddunt πλημμέλειαν. 7.) רֶשַׁע *improbitas, inquietudo*, a רָשַׁע *impie & seditiose egit*, notat igitur voluntaria & continuata delicta. 8.) מֶרֶד *defectio, desertio*, ἀποστασία, a radice מָרַד *a superiore recedere*, abjicere dominationem superioris, quia peccatum est aversio a summo bono Jos. XXII. 22. *Israel cognoscet in defectione aut transgressione contra Iehova.* 9.) מְשׁוּבָה

aversio

aversio a שׁוּב, quia per peccatum homo a creatore suo avertitur, 10.) רָע *malum* a radice רָעַע *malus fuit*, הֵרַע *male egit*. 11.) מָעַל *transgressio*, usurpatur proprie de peccatis voluntariis contra conscientiam & ex contumacia perpetratis, a מָעַל *transcendit*, oppositum se illi, cui debebat esse inferior ac obediens.

§. IX. LXX. interpretes in vet. & apostoli in nov. test. his utuntur adpellationibus: 1.) ἁμαρτία & ἁμάρτημα, quæ voces sunt generales, tam *originale*, quam *actualia* peccata denotantes. Matth. I. 21. *Christus salvum faciet populum suum* ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν *ab omnibus omnino peccatis.* 2.) παράπτωμα, *lapsus, transgressio*, proprie notat actualia peccata, & quidem ea, quæ ex infirmitate committuntur. Gal. VI. 1. *Si praeoccupatus fuerit homo delicto aliquo.* 3.) ἀνομία, generale nomen est, quamvis *a lege aberrationem* denotans 1. Joh. III. 4. ἡ ἁμαρτία ἔστιν ἡ ἀνομία. 4.) παρακοὴ, *inobedientia*, notat delicta voluntaria. 5.) παράβασις, *transgressio*, quamvis peccati actualis speciem comprehendit. 6.) ἀδικία, *injustitia, iniquitas*, proprie notat peccatum actuale regnans. 7.) ἀσέβεια, *impietas*, proprie notat peccata contra primam decalogi tabulam. 8.) ἀποστασία, *defectio*, proprie notat extremum peccati gradum, videlicet totius religionis abnegationem. 9.) πλημμέλεια, *scelus, flagitium*, in vet. test. tantum occurrit, metaphoricum est ab exundatione fluviorum obvia quævis destruente petitum; Augustinus format a πλὴν & μέλει. 10.) κακία, πονηρία. 1. Cor. V. 8. conjunguntur, & opponitur eis εἰλικρινεία καὶ ἀλήθεια fidei vitæque sinceritas. 11.) ἧττημα, *diminutio, defectus*, ab ἥττασθαι victum esse, quia peccatores succumbunt carnis & satanæ tentationibus. 12.) ὀφειλήματα, *debita*, quia peccata sunt debitæ obedientiæ neglectus, ac propterea pœnæ debitores nos coram Deo constituunt. 13.) πταίειν, *offendere, impingere*, usurpatur de peccatis quotidianis ex infirmitate commissis. Jac. III. 2.

Differentiæ adpellationum.

§. X. Videamus quasdam vocabulorum istorum differentias ab aliis adsignatas. Demosthenes in orat. περὶ στεφάνου· ἀδικεῖ τὶς ἑκών, ἐξήμαρτε τὶς ἀκών. Sed ἁμαρτίας vox generaliter in Spiritus sancti lingua usurpatur. Phavorinus: ἐξήμαρτε εἰς θεὸν, ἐξύβρισεν εἰς ἀνθρώπους; Atqui in homines etiam ἁμαρτίαν committi scriptura docet, Matth. XVIII. 15. ἐὰν ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ἀδελφός. 1. Cor. VI. 18. ὁ πορνεύων εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει. Hieronymus in cap. II. Ephes. *Quaerimus quid interfit inter* παραπτώματα & ἁμαρτίας? *ajunt enim, quod* παραπτώματα *quasi initia peccatorum sint, cum cogitatio tacita subrepit, & ex aliqua parte conniventibus nobis, necdum tamen nos impulit ad ruinam. Peccatum vero esse, cum quid opere consummatum pervenit ad finem. Atqui lapsus Adae vocatur* παράπτωμα, Rom. V. 18. *& primi motus concupiscentiae dicuntur* ἁμαρτία. Rom. VII. 5. &c. Augustinus lib. III. quæstionum super Levit. quæst. 20. παράπτωμα *delictum notat*, πλημμέλεια *negligentiam.* Ibidem: *Peccatum & delictum si inter se nihil differrent, & si unius rei duo nomina essent, non curaret scriptura tam diligenter unum esse utriusque sacrificium: fortassis igitur peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni, quia in damnabili vita aliud est declinare a bono, aliud facere malum, sicut in laudabili aliud declinare a malo, aliud facere bonum.* Beda in cap. VI. Lev. *Quidam putant, delictum esse levius peccato.* Bellarminus libr. I. de amiss. grat. & stat. pecc. c. 1. *Peccatum est nomen operationis malae, quae opponitur operationi virtutis: vitium autem est nomen habitus mali, qui opponitur virtuti, ut virtus habitum significat.* Atqui hoc discrimen in lingua sacrosancta non attenditur, quippe quæ per lapsum etiam eos peccatores constitutos pronunciat, qui non peccarunt actualiter in similitudinem prævaricationis Adæ, Rom. V. 19. Quos tamen omnes peccasse ibidem apostolus pronunciat v. 12. Peccatum igitur phrasi scripturæ non tantum actiones legi contrarias, nec vitiosos tantum habitus, sed in genere quamvis ἀνομίαν notat, sive ea naturæ inhæreat, sive in ipsis actionibus conspiciatur.

Homonymia peccati.

§. XI. Excutienda etiam ὁμωνυμία vocis; peccatum sumitur 1.) pro *tota* relatione, id est, pro peccato & reatu simul, idque dupliciter; *primo* pro vitiositate in natura vel actionibus *formaliter* hærente & reos iræ divinæ ac pœnis obnoxios reddente, cujus significationis exempla in scripturis passim sunt obvia. *Deinde* pro peccato, non quidem *formaliter* inhærente, sed imputato, & reatu sive pœnis illam peccati alieni imputationem consequentibus. Sic *Christum, qui non novit peccatum*, 1. Petr. II. 23. (hoc est, in cujus natura vel actionibus nulla vitiositas *formaliter* inhærens & propria fuit) *Deus pro nobis fecit peccatum*, 2. Cor. V. 21. (hoc est, imputavit ei Deus peccata nostra, sarcinam peccatorum nostrorum & pœnarum peccatis nostris debitarum ipsius humeris imposuit, Esa. LIII. 12. 1 Petr. II. 24.) Quam explicationem probat antithesis in isto loco: *eum qui non novit peccatum, Deus pro nobis fecit peccatum, ut justitia Dei efficeremur in ipso.* Quemadmodum Christi justitia nobis imputatur, ita peccata nostra Christo sunt imputata. Quemadmodum per illam justitiæ Christi imputationem a pœnis peccatorum nostrorum liberamur: ita per illam peccatorum nostrorum imputationem Christus pœnis, quæ nobis debebantur, factus fuit obnoxius. Vide Chrysostomum in istum locum. 2.) συνεκδοχικῶς pro *parte* tantum relationis; idque iterum dupliciter: *primo* pro *fundamento* tantum, hoc est, pro vitiositate naturæ vel actionibus inhærente absque reatus connotatione. Deut. XXIV. 16. *Unusquisque pro peccato suo morietur.* 2. Cor. V. 21. *Christus non novit*, 1. Petr. II. 22. *non fecit peccatum. Deinde* pro *termino* tantum, hoc est, pro reatu; Gen. XLIII. 9. *Tibi peccabo omnibus diebus*, hoc est, reus ero peccati per totam vitam. Exod. V. 16. *Peccat populus tuus*, id est, peccati reus habetur, & ideo duriter affligitur. Quo referri potest illa peccati significatio, quando pro sacrificiis peccato expiando destinatis usurpatur, cujus significationis exempla in Levitico occurrunt quamplurima. Osex IV. 8. *Peccata populi mei comedunt*, hoc est, sacrificia, interprete Augustino lib. III. contra duas epist. Pelag. cap. 6. Hebr. XII. 4. peccatum videtur *specialiter* sumi pro falsa religione.

Epitheta atrocium peccatorum ex veteribus.

§. XII. Pii veteres, præsertim Augustinus, atrocia epitheta peccato addunt, quæ merito istius odium animis nostris instillare debent. Augustinus tract. XLIX. in Johan. *Peccatum est mors animæ.* libr. I. de baptismo contra Donatistas cap. XI. *Peccata sunt tenebrae animarum.* De contrit. cord. cap. VII. *Peccata sunt animarum ligamina*, lib. qq. vet. & nov. testam. quæst. XLII. *Peccata in scripturis dicuntur spinae.* de ovibus cap. IX. *Peccando inimicum se quis facit Deo.* De præsent. Dei ad Dard. cap. VII. *Peccando nos elongamus a Deo.* Ambrosius epistol. XVIII. *Nullum gravius onus, quam peccatorum sarcina & pondus flagitiorum.* Nazianzenus orat. funeb. in patrem: εἰς θάνατον ἡ ἁμαρτία, ψυχῆς γὰρ ὄλεθρος. Descriptionem fœditatis, quam scriptura peccato tribuit, vide medit. nostr. III. Vere tam magnum malum est peccatum, quam magnum bonum est is, a quo per peccatum avertimur. At Deus est incomprehensibile bonum; ex quo sequitur, non posse a nobis comprehendi, quantum malum sit mortale peccatum, per quod a Deo receditur. In scholis usitatum est, *peccatum vocare nihil*, non quod sit ens *negativum*, ac nihili faciendum, sed 1) propter *defectum, quia peccatum formaliter est corruptio boni, non aliquod per se subsistens.* 2) Propter *defectum, quia peccatum annihilat hominem, & deficere facit a vero esse.* 3) Propter *despectum, quia vilem facit hominem & praemio indignum*, quas rationes adsignat Bonaventura in comp.

Peccatum aliud originale, aliud actuale.

Synonyma actualium peccatorum.

§. XIII. Prima peccati (in homine considerati, nam de diabolorum peccato hic non agitur) prima, inquam, peccati divisio est in *originale* & *actuale*. De priori peccati specie egimus in superioribus; de posteriori dicendum restat. *Actualia* peccata Spiritus sanctus nominat *opera carnis*, Galat. V. 19. *malæ arboris fructus malos*,

malos, Matth. VII. 17. & 18. Luc. VI. 43. *mala, quae profert malus homo ex malo cordis thesauro*, Matth. XII. 34. *malas cogitationes, verba & actiones, quae ex corde procedunt*, Matth. XIX. 19. *peccata, quae in similitudinem praevaricationis Adae perpetrantur*, Rom. V. 14. μιάσματα τὸ κόσμου, 2 Petri II. 20. σαρκικὰς ἐπιθυμίας. 1 Petri II. 11. *Peccata, quae inhabitans peccatum & prava concupiscentia parit atque operatur*, Rom. VII. 17. Jac. I. 15. *opera tenebrarum*, Eph. V. 11. *actiones veteris hominis*, Col. III. 9. *opera mortua*, Hebr. VI. 1. *opera mala*, Col. I. 21. *opera iniqua*, 2 Petr. II. 8. *opera iniquitatis*, Jud. v. 15. *opera infructuosa*, Eph. V. 11. *quorum finis mors est* Rom. VI. 21. &c. In vet. testam. actualia peccata dicuntur *via mala, res Belial, prævaricationes* &c. Harum adpellationum quædam respiciunt *causam* peccati proximam, videlicet ipsam naturæ corruptionem; quædam ipsum formale, videlicet ἀνομίαν; quædam denique *effectum* & consequens, videlicet iram Dei, temporales & æternas pœnas respiciunt. Augustinus in enchirid. cap. XLIV. & L. vocat *addita ac propria peccata*, cap. LXIV. *activa commissa*. Chrysostomus *fœnus debiti ab Adamo inducti posterioribus peccatis auximus*. Bernhardus homil. de pass. vocat *personalia peccata*, quia cuique personæ sunt propria, sicut originale toti humanæ naturæ est commune, unde dicitur naturale.

CAPUT III.

DE CAUSIS ACTUALIUM PECCATORUM EORUMQUE EFFECTIBUS.

§. XIV.

Causæ actualium peccatorum.

Causae peccatorum actualium tres sunt: I.) Corruptio naturæ per lapsum protoplastorum in nos introducta. Matth. XV. 19. &c. II.) Suggestiones satanæ, qui ad peccata variis modis homines impellit. 1 Paral. XXI. 1. *Satan incitavit Davidem, ut numeraret populum*. Joh. XIII. 2. *Diabolus miserat in cor Judae Simonis Iscariotae, ut Christum traderet*. Act. V. 3. *Cur implevit satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto?* III.) Mundi scandala Matth. XVIII. 7. *Vae homini, per quem scandalum venit*. Rom. XII. 2. *Nolite conformari mundo*. Observa autem, 1.) causæ efficientis nomen hic sumi ἐν πλάτει; etenim si ἀκρίβειαν philosophicam sectari velimus, recte dictum est a Dionysio Areopag. lib. de div. nominib. (*) *Malum carere tum essentia, tum fine, tum efficiente*: & ab Augustino libr. XII. de civ. Dei cap. 7. *Mali causam non tam efficientem, quam deficientem, quaerendam esse*; quod Thomas libr. III. contra gentes cap. 10. ita effert: *Causa per se defectus non est aliquid positivum, sed alius dejectus; qualis enim causa per se, talis & effectus*. Idem p. III. quæst. 75. artic. 1. *Peccatum est actus inordinatus, ex parte actus potest habere causam per se, ex parte inordinationis habet causam eo modo, quo negatio vel privatio habet causam*. Negationis autem alicujus duplex potest adsignari causa: a.) defectus causæ, hoc est, ipsius causæ negatio est causa negationis secundum se ipsam; ad remotionem enim causæ sequitur remotio effectus. b.) Causa adfirmationis, ad quam sequitur negatio, est per accidens causa negationis consequentis. Sed cum inordinatio peccati non sit simplex *negatio*, sed *privatio* ejus, quod inesse debebat, necesse est, quod talis inordinatio habeat causam agentem per accidens. 2.) Primam inter has tres causas esse *interiorem*, tertiam *exteriorem*, secundam & exteriorem & interiorem simul. *Ecce inimicus ille*, (ait Bernhardus III. de sept. pan. col. 183.) *quem nec videre possum, quanto minus cavere, nunc aperte & violenter, nunc occulte & fraudulenter, semper autem malitiose & crudeliter impugnat & persequitur nos*. 3.) Ac proinde primam ex his esse immediatam, propriam & adæquatam actualium peccatorum causam; diabolus suggerere quidem potest, sed cogere non potest: quod ipsum etiam de mundi scandalis est statuendum.

§. XV.

(*) Libros, qui sub DIONYSII nomine circumferuntur, *Areopagitæ* perperam adscribi, hodie inter omnes constat.

§. XV. Atque hic est triplex ille cerberus, qui suo latratu nobis assidue molestus est, videlicet caro, satanas & mundus. Augustinus lib. II. de peccato origin. cap. 37. *vitii auctor est diaboli decipientis calliditas & hominis consentiens voluntas.* Bernhardus serm. LXXXV. super Cantic. col. 748. *Impulsor diabolus est, impulsor mundus, impulsor homo. Quid iste homo sit, quaeris? quisque sui. Noli mirari, usque adeo homo impulsor sibi est & suimet praecipitator, ut non sit, quod ab altero impulsore formides, si ipse a te proprias contineas manus. Diabolus livore malitiae, mundus vento vanitatis, homo semet ipsum pondere suae corruptionis impellit.* Idem in medit. devotiss. cap. XIV. col. 1200. *Inimici mei animam meam circumdederunt, corpus scilicet, mundus & diabolus. A corpore fugere non possum, nec ipsum a me fugare: circumferre illud necesse est, quoniam alligatum est mihi, perimere non licet; sustentare cogor, & cum illud impinguo, hostem meum adversum me nutrio. Mundus vero circumcingit & obsidet me utique, & per quinque portas, videlicet per quinque corporis sensus, sagittis suis me vulnerat. Diabolus, quem videre non possum, & ideo minus ab eo mihi cavere, tetendit arcum suum, & in eo paravit sagittas suas, ut vulneret me repente &c. Caro suggerit mollia, mundus vana, diabolus amara. Ad hos igitur tres fontes omnium peccatorum causae revocandae, Deo autem causas lapsuum adscribere nefas est. Si quis a justitia & pietate deficit, suo in praeceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur, nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus sanctus, nec in tali negotio quicquam divinae voluntatis intervenit.* Augustinus ad art. sibi falso impos. art. X. qua de re plura diximus in loco de providentia.

§. XVI. Illa naturae corruptio & voluntatis humanae perversio, quae est interior & propria peccati causa, potest in plura membra docendi causa dividi; comprehenditur enim isto nomine: 1.) ipsa concupiscentia prava. Jac. I. 15. *Concupiscentia cum conceperit, peccatum parit.* 2.) Voluntatis consensus. Matth. V. 28. *Qui adspicit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est cum ea in corde suo.* 3.) Ignorantia & caligo mentis. 1 Tim. I. 13. *Fui blasphemus & persecutor, sed ignorans feci.* 4.) Infirmitas carnis. Matth. XXVI. 41. *Spiritus quidem promtus, caro autem infirma.* 5.) Voluntaria ac destinata animi malitia. Hebr. X. 26. *Voluntarie peccantibus jam non relinquitur pro peccatis hostia.* 6.) Habitus vitiosi per crebros actus contracti. Rom. II. 5. *Secundum duritiem tuam & cor poenitere nescium cumulas tibi iram.* 7.) Ipsum peccatum saepe alterius peccati causa est, ut ostendimus alibi. Esa. V. 18. *Vae illis, qui attrahunt iniquitatem funibus mendacii & velut funibus plaustri peccatum.*

Peccati causae per accidens.

Ex *accidenti* peccatorum causae sunt objecta externa in sensus incurrentia, & ad sui abusum pellicientia. Gen. III. 6. *Vidit mulier, quod bona esset arbor ad vescendum ac desiderabilis oculis &c.* Quin & ipsa lex Dei sancta ac justa per accidens peccatum auget, ea, quae carni grata sunt, prohibendo, ac ea, quae displicent, praecipiendo. Rom. VII. 8. *Occasionem accipiens peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam; sine lege enim peccatum erat mortuum, &c.*

Effectus actualium peccatorum.

§. XVII. *Effectus* peccatorum actualium varii sunt. 1.) Conscientiae dolor. Gen. III. 10. *Adamus post lapsum audiens Dei vocem extimescit.* Nimirum fataliter angor omne nefas sequitur. Chrysostomus in 1 Tim. I. *hujusmodi est natura peccati: habet, antequam perpetretur, aliquam voluptatem; ubi vero consummatum fuerit, voluptas illa cessat atque marcescit, subit autem continuo moestitudo ac tristitia ingens.* Idem homil. LXIV. in Genes. *Sicut ebrius, quando multum vini ingurgitat, nullum sentit a vino damnum; postea autem sentit, quantum sit damnum: ita & peccatum, donec consummetur, obtenebrat mentem & quasi densa nubes ita mentem corrumpit. Deinde conscientia insurgit, & quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans facti absurditatem.* Exemplum memorabile exstat apud Dionem in vita Neronis, qui interfecta matre fugiens omnia per-

perhorrescebat, si catulus paululum latraret, aut caneret gallina, aut virgultum moveretur. II.) Ira Dei, orat. Manassis v. 5. *Intolerabilis est ira tua, quam peccatoribus minaris.* III.) Animæ curvitas, obliquitas & macula. Quemadmodum enim is, qui faciem a sole avertit, manet aversus, donec iterum ad eundem solem faciem convertat; & digitus sponte curvatus curvitatem retinet, donec iterum per actum contrarium dirigatur: sic & voluntas, quæ per actum peccati a Deo recessit, in recessu permanet, donec iterum per pœnitentiam ad Deum accedat. IV.) Reatus, quem quidam duplicem statuunt, reatum *culpæ*, (qui est dignitas odii, indignitas gratiæ & meritum pœnæ) & reatum *pœnæ*, (qui est ordinatio sive obligatio ad pœnam.) Quamvis enim prava actio semel peracta transeat, tamen ipsa actionis iniquitas in conspectu Dei permanet, diligenter observatur, & veluti in libro scribitur, hinc illa piorum suspiria: *delictorum meorum ne recorderis amplius, dele iniquitates meas*, &c. V.) Vitiosi habitus ad alia peccata inclinantes; fœcundum enim est peccatum, non ibi desinit, ubi incipit. *Qui peccat, fit peccati servus*, Joh. VIII. 34. VI.) Omnis generis pœnæ temporales & æternæ. Nunquam antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo. Thomas p. II. q. 82. art. 1. *Cum peccatum sit actus inordinatus, manifestum est, quod, quicunque peccat, contra aliquem ordinem agit, & ideo consequens est, quod ab ipso ordine deprimatur, quae quidem depressio pœna est. Unde secundum tres ordines, quibus subditur humana voluntas, triplici pœna homo potest puniri.* 1.) *Subditur humana natura ordini propriae rationis;* 2.) *ordini exterioris hominis gubernandi;* 3.) *universali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, unde homo triplicem incurrit pœnam, unam a se ipso, quae est conscientiae morsus, aliam ab homine, tertiam a Deo.*

Effectus per accidens.

§. XIIX. Per *accidens* peccatis actualibus competit, quod pœnitentia accedente cautiorem hominem reddunt, & misericordiam Dei erga nos commendant. Rom. V. 20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Rom. VIII. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* ubi glossa addit, etiam ipsa peccata. Lutherus in comment. cap. XX. Genes. *Non solum mala passiva, quae nobis irrogantur, in bonum cedunt, sed etiam activa, quae nos ipsi facimus;* quod desumsit ex veteribus. Augustinus in soliloq. cap. XXVIII. *Electis omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata: nimirum non ex natura sua, sed ex Dei virtute & sapientia*, quod Chrysostomus declarat *exemplo medici, cujus solertia ex veneno facit medicinam.* Alii utuntur hoc simili: quemadmodum stercore in se turpi ac fœtido pinguefacti agri fœcundantur: ita peccata nostra ex immensa Dei gratia salutaria fiunt illis, qui agnita eorum fœditate & humiliores redduntur & cautiores. Lactantius lib. VI. cap. 24. *Muta quoque animalia cum fraude capiuntur, si aliquo se modo in fugam extricaverint, fiunt postmodum cautiora, vitantque semper ea omnia, in quibus dolos insidiasque senserint: sic hominem pœnitentia cautum ac diligentem facit ad evitanda peccata, in quae semel fraude deciderit.* Anshelmus de mensur. crucis. *Bonitas Dei malis nostris novit bene uti, saepe faciens defectus nostros ad augmentum humilitatis prodesse, ut verum sit, quod septies in die cadit justus, & fortior resurgit.* Savanarola super Psalm. XXXI. *Nonne scribit apostolus:* diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum? *Nonne eis ille casus cooperatur in bonum, unde & humiliores efficiuntur & cautiores?* Quo pertinet πολυθρύλλητον illud Gregorii: *Deus occultam mentis superbiam saepe corrigit per manifestam carnis ruinam*, & illud ejusdem: *O felix culpa, quae tantum meruit redemtorem*, quod omnino de *accidentario* peccati effectu intelligendum: proprium peccati effectum respiciendo rectius diceretur: o misera culpa, quæ talis redemtoris nos fecisti indigos.

CAPUT IV.

DE VARIIS SPECIEBUS PECCATORUM ACTUALIUM.

§. XIX.

Divisiones actualium peccatorum.

Divisiones actualium peccatorum variæ sunt ac multiplices, quas colligere vel ideo prodest, ut agnoscamus, quam vere pronunciaverit regius psaltes Psalm. XIX. 13. *Delicta quis intelligit?* & apostolus Jacobus III. 2. πολλὰ πταίομεν ἅπαντες. Ratione *causae* efficientis: 1.) Quædam peccata sunt voluntaria, quædam involuntaria. 2.) Horum (puta involuntariorum) quædam committuntur ex ignorantia, quædam ex infirmitate; illa vero (voluntaria) ex destinata animi malitia & contumacia perpetrantur. Ratione ipsius *actus*. 1.) Quædam sunt peccata commissionis, quædam omissionis. 2.) Quædam consistunt in aversione a Deo, quædam in conversione ad creaturas. Ratione *causae & effecti* simul quædam sunt tantum peccata, quædam sunt peccata & simul causæ ac pœnæ peccatorum. Ratione *subjecti*. 1.) Quædam sunt interiora, quædam exteriora. 2.) Quædam sunt peccata cordis, quædam oris, quædam operis. Ratione *objectorum*. 1.) Quædam peccata committuntur contra Deum, quædam contra homines. 2.) Quædam contra primam, quædam contra secundam decalogi tabulam perpetrantur. 3.) Quædam sunt extra corpus, quibusdam vero in proprium corpus homo peccat. 4.) Quædam sunt peccata carnis, quædam spiritus. Ratione *adjunctorum* quædam peccata sunt occulta, quædam manifesta. Ratione *graduum*. 1.) Quædam sunt atrocia delicta in cœlum clamantia, quædam vero sunt talia, quæ Deus longanimitate sua dissimulat. 2.) Quædam sunt capitalia, quædam ex illis orta. 3.) Quædam sunt aliis majora ac graviora. Ratione *modi*, quo peccatis participamus, quædam sunt nostra, quædam aliena. Ex *accidenti*. 1.) Quædam sunt venialia, cum sua natura omnia sint mortalia. (mortifera) 2.) Quædam sunt regnantia, quædam non regnantia. 3.) Quædam sunt per se peccata, quædam propter aliud. 4.) Quoddam est peccatum mortuum, quoddam vivens. 5.) Quoddam peccatum manens, quoddam remissum. 6.) Quædam peccata sunt remissibilia, quoddam vero irremissibile. De singulis divisionum istarum membris latius agemus.

CAPUT V.

DE PECCATIS VOLUNTARIIS ET INVOLUNTARIIS.

§. XX.

Peccata alia voluntaria, alia involuntaria.

Prima divisio erat hæc: quædam peccata sunt *involuntaria*, videlicet quæ ex ignorantia vel infirmitate, quædam *voluntaria*, quæ ex destinata animi malitia & contumacia perpetrantur. Augustinus lib. LXXXIII. quæst. q. 26. *Peccata aliqua sunt infirmitatis, alia imperitiae, alia malitiae.* Fundamenta hujus divisionis exstant in sequentibus scripturæ locis. Num. XV. 27. *Si anima una per imprudentiam peccaverit, offeret capram anniculam in sacrificium pro suo*, v. 28. *& sacerdos animam illam, quae per imprudentiam peccavit, reconciliabit per sacrificium pro peccato suo, nimirum pro ignorantia coram Domino*, v 30. *Anima vero, quae in manu excelsa aliquid commiserit, is Dominum blasphemat, peribit de populo suo*; v. 31. *quia verbum Jehovae sprevit, & praeceptum ejus irritum fecit.* Psalm. XIX. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* v. 14. *& prohibe me a superbiis.* Peccata *involuntaria* ἀκούσια dicuntur ea, quando quis ex infirmitate carnis per imprudentiam, vel ex ignorantia peccat. Num. XV. 24. 25. 27. 28. 29. vocantur שְׁגָגָה LXX. vocant ἁμαρτίαν ἀκούσιον. Psalm. XIX. 13. vocantur שְׁגִיאוֹת LXX. παραπτώματα.

τα. *Voluntaria* dicuntur, quæ quis scienter & ex proposito committit. Num. XV. 30. dicuntur facta בְּיָד רָמָה ἐν χειρὶ ὑπερηφανίας. Psalm. XIX. 14. dicuntur זֵדִים peccata superbiæ.

§. XXI. Peccatorum κατ' ἄγνοιαν καὶ ἀκουσίως commissorum exempla passim obvia sunt in scripturis. Gen. XX. 2. Abimelech rex Gerar accipit Saram v. 6. dicit ad eum Deus in somnio: *Ego novi, quod in perfectione cordis tui feceris hoc, prohibui itaque te,* וָאֶחְשֹׂךְ לְךָ *ne peccares* mihi. Lev. IV. 2. *Anima, quae peccaverit per errorem.* (ignorantiam vel imprudentiam) Num. XXXV. 15. constituuntur *urbes refugii illis, qui occiderint aliquem per errorem.* Act. III. 17. *Scio fratres, quod per ignorantiam feceris.* 1 Tim. I. 13. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* De hoc peccati genere loquuntur multa scripturæ dicta 1 Reg. VIII. 46. 2 Paral. VI. 36. Eccles. VII. 21. *Non est homo, qui non peccet.* Prov. XX. 9. *Quis potest dicere, mundus sum a peccato?* Gal. VI. 1. *Si praeoccupatus fueris homo delicto aliquo* ἔν τινι παραπτώματι, *eum* καταρτίζετε. Jac. III. 2. πολλὰ πταίομεν ἅπαντες. Augustinus de peccat. merit. & remiss. c. XVII. *Ignorantia & infirmitas vitia sunt, quae impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.*

§. XXII. De peccatis ἑκουσίως, ex destinata malitia, προαιρέσει ac contumacia admissis (quæ alias dicuntur peccata contra conscientiam) loquuntur hæc dicta: Rom. VI. 15. *Num peccabimus, quia non sumus sub lege? absit.* Tit. III. 10. *Haereticum post unam atque alteram admonitionem devita;* v. 11. *sciens, quia subversus est talis* καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος *proprio judicio condemnatus.* 2 Petr. III. 5. *Volentes nesciunt, quod coeli erant prius &c.* Quidam huc referunt dicta Heb. VI. 4. & seq. X. 26. sed ostendemus suo loco, de peccato in Spiritum sanctum in illis proprie agi, quod est irremissibile, cum reliqua delicta voluntaria sint remissibilia, & remittantur, si per pœnitentiam ab eis resurgatur. Levit. VI. 1. & seqq.

§. XXIII. Cæterum duplex ignorantia est, quædam *facti*, quædam vero *juris*, quædam *invincibilis*, quædam vero *adfectata*: illa quodammodo excusat & minuit peccati gravitatem, hæc vero minime. Luc. XII. 48. *Servus, qui non cognovit voluntatem domini, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Augustinus de grat. & lib. arb. c. III. *Gravius peccat homo sciens quam nesciens; nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiae tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem: aliud est enim nesciisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: noluit intelligere, ut bene ageret. Sed & illa ignorantia, quae non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat.* In quæst. vet. ac nov. test. q. LXVII. *Non omnis ignorans immunis est a pœna, ille autem ignorans potest excusari a pœna, qui, a quo disceret, non invenit.* lib. I. retract. c. 13. *Illa, quae immerito dicuntur non voluntaria peccata, quod vel a nescientibus vel a coactis perpetrantur, non omnino possunt sine voluntate committi; quoniam & ille, qui peccat ignorans, voluntarie utique peccat, quod cum faciendum non sit, putat esse faciendum. Et ille, qui concupiscente adversus spiritum carne, non ea, quae vult, facit, concupiscit quidem nolens, & in eo non facit, quod vult; sed si vincitur, concupiscentiae consentit volens & in eo non facit (nisi) quod vult, liber scilicet justitiae, servusque peccati.* Inde est, quod Thomas p. II. q. 76. art. 2. distinguit inter *ignorantiam & nescientiam.* Nescientia notat simplicem scientiæ negationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire.

Duplex ignorantia.

§. XXIV. Porro peccatum ex destinata malitia perpetratum longe gravius esse, quam infirmitatis peccata, tripliciter probat Thomas p. II. q. 78. artic. Primo *peccatum principaliter consistit in voluntate; quanto ergo motus peccati magis proprius voluntati, tanto peccatum gravius caeteris paribus. In peccato ex*

Peccatum malitiae gravius est, quam peccatum ignorantiae vel infirmitatis.

malitia voluntas ex se ipsa movetur, passio est quidem extrinsecus impulsus. Secundo *passio, quae inclinat voluntatem, cito transit; sed habitus, quo homo ex malitia peccat, est qualitas permanens.* Tertio, *qui peccat ex malitia, est male dispositus quantum ad ipsum finem, qui est principium in operabilibus, & sic ejus defectus est periculosior.*

CAPUT VI.

DE PECCATIS COMMISSIONIS ET OMISSIONIS.

§. XXV.

Quædam peccata commissionis, quædam omissionis.

Secunda peccatorum actualium divisio erat ista: quædam peccata sunt *commissionis*, quædam *omissionis*. Fundamentum hujus divisionis exstat in ipsa lege divina, quæ non solum prohibet malum, sed etiam præcipit bonum: non solum jubet recedere a malo, sed etiam mandat facere bonum: utique ergo non solum mala committendo, sed etiam bona omittendo contra legem peccatur. Jac. IV. 17. *Scienti bonum & non facienti, peccatum est.* Matth. XXV. 42. *Esurivi & non cibastis me, sitivi & non potastis me &c.* 1. Joh. III. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem ejus indigum, concluserit autem viscera sua erga ipsum, quomodo caritas Dei in eo manet?* Reatus iltius peccati describitur Matth. III. 10. VII. 19. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur.* Matth. XXV. 30. *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Luc. XII. 47. *Servus, qui cognovit voluntatem domini, nec praeparavit se, vapulabit multis.* Luc. XIII. 7. *Succide arborem infrugiferam.* Joh. XV. 2. *Omnem palmitem, non ferentem fructum, tollet Pater caelestis. Si non pavisti, occidisti:* Ambrosius. *Terreant te haedi ad sinistram constituti, non quia rapuerunt, sed quia non paverunt.* Nazianzenus.

An peccatum omissionis voluntarium?

§. XXVI. Peccatum omissionis quidam constituunt duplex: quandoque enim omittuntur bona, quandoque detrectantur adversa; illud procedit ex prava concupiscentia, quæ voluntatem inclinat ad istam omissionem; hoc ex perverso timore. Disputant autem Scholastici, quomodo hoc peccatum omissionis sit voluntarium? Quidam statuunt, quod in omni peccato sit aliquis actus interior voluntatis illicitus, vel exterior imperatus. *Interior*, ut velle omittere, sive velle non facere, quod præceptum est, aut velle suspendere actum, quem tenetur facere, aut velle facere actum incompossibilem actui, (qui non potest uno eodemque tempore fieri cum illo actu) ad quem tenetur. *Exterior*, ut operatio alicujus ea hora, qua tenetur aliquid facere, quo impeditur ab eo, quod facere tenetur. Quidam contra disputant, non requiri ad peccatum omissionis talem actum *positivum*, ipsum enim non facere, quod præceptum, esse peccatum omissionis; quorum sententia veritati magis conformis. Thomas p. II. q. 71. art. 5. *Si intelligatur in peccato commissionis illud solum, quod per se habet rationem peccati, sic peccatum omissionis quandoque est cum actu interiori, quandoque absque omni actu interiori vel exteriori. Si vero in peccato omissionis intelligantur etiam causae vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse.* Occamus & secutus ipsum Biel II. sent. dist. 42. inscite disputant contra Thomam. *Nemo* (inquiunt) *peccat in eo, quod vitari non potest: sed qui tenetur hoc velle illud facere, non potuit vitare illam omissionem, nam ex hypothesi non cogitat de eo; ergo non peccat omittendo.* Ideoque praeferunt opinionem Alexandri Alensis, quod peccatum omissionis sit actus *positivus interior* voluntatis, vel certe non sine tali. At huic argumento rectissime respondet Thomas per limitationem: *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest, nimirum si illam impossibilitatem non inciderit ex sua culpa, alias non procedit haec regula, ut si quis voluntarie se praecipitaret in foveam, unde exire non posset.*

§. XXVII.

An peccatum omissionis & commissionis differant specie?

§. XXVII. Quærunt insuper: *an peccatum omissionis & commissionis specie differant?* Resp. Thomas p. II. q. 72. art. 6. *Peccata distinguuntur & materialiter & formaliter.* Materialis *peccati differentia attenditur secundum naturalem speciem actuum*: formalis *secundum ordinem ad finem proprium. Si loquimur de specie peccati omissionis & commissionis materialiter, differunt specie: si vero loquimur de specie peccati omissionis & commissionis formaliter, sic non differunt specie, quia ad idem ordinantur, & ex eodem motivo procedunt: avarus & rapit & non dat ea, quae dare debet; semper enim negatio fundatur super aliqua affirmatione.* Hæc Thomas. Potest etiam quæstio hoc modo solvi: de peccato possumus loqui vel *concretive* vel *abstractive*. Peccatum abstractive sumtum denotat privationem; peccatum concretive sumtum notat non tantum privationem, sed etiam habitum vel actum substratum: priore consideratione peccatum omissionis & commissionis non differunt, utrobique enim est ἀνομία ac privatio, sed posteriore consideratione utique differunt, alius enim actus est in peccato commissionis, alius in peccato omissionis.

CAPUT VII.

DE PECCATIS IN AVERSIONE A DEO ET CONVERSIONE AD CREATURAS.

§. XXVIII.

Quædam peccata consistunt in aversione a Deo, quædam in conversione ad creaturas.

Tertia divisio peccatorum actualium succedit. Quædam peccata consistunt in *aversione* a Deo, quædam in *conversione* ad creaturas. *At*, inquis, *omne peccatum est aversio a summo bono, quomodo ergo talis peccatorum divisio locum habebit?* Resp. ex Scoto II. sent. dist. 37. quod *aversio a fine ultimo possit intelligi dupliciter, formaliter & virtualiter.* Formaliter, *quando in avertendo habet ultimum finem pro objecto positive vel privative.* Positive, *ut scilicet voluntas nolit illum finem actu positivo, & hoc nolle est odisse Deum.* Privative, *ut scilicet non velit, cum deberet velle ultimum finem, & tale non velle est omittere illud præceptum:* Diliges Dominum Deum tuum. Virtualiter, *quando avertitur ab aliquo necessario ad consequendum ultimum finem; hæc aversio virtualis est communis omni peccato mortali.*

§. XXIX. Quicunque inordinato amore convertitur ad creaturas, is eodem actu se avertit a Deo; interim tamen formaliter aversio a Deo distinguitur a conversione ad creaturas: illa enim attenditur ratione termini *a quo*, hæc vero ratione termini *ad quem*. Jer. II. 13. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt, fontem aquae vivae, & effoderunt sibi cisternas, cisternas confractas, quae non continent aquas. Initium peccati est superbia;* Eccles. X. 15. nimirum per aversionem a Deo, ita enim exponitur versu proxime præcedente: *Initium superbiae est defectio hominis a Deo & a creatore suo cordis aversio. Vicissim, radix omnium malorum est avaritia;* 1. Tim. VI. 10. nimirum per inordinatam conversionem ad creaturas. Lombardus II. sent. dist. 42. lit. K. *Utrumque recte dictum esse intelligitur,* (scilicet quod superbia sit omnis peccati initium, & quod cupiditas omnis peccati initium) *si genera peccatorum singulorum, non singula generum utraque locutione includi intelligantur, nullum quippe genus peccati est, quod interdum ex superbia non proveniat; nullum etiam, quod ex cupiditate aliquando non descendat: sunt enim nonnulli hominum, qui ex cupiditate fiunt superbi, & aliqui ex superbia fiunt cupidi.* Bonaventura II. sent. dist. 42. art. 3. q. 2. tractat hanc quæstionem: *utrum peccatum habeat* (possit) *dividi per aversionem & conversionem tanquam per diversas differentias?* quam hoc modo decidit: *Aversio accipitur dupliciter,* primo *ut dicit deordinationem circa actum con-*

versionis, deinde ut dicit actum a conversione distinctum. Primo modo conversio non ponit numerum cum aversione, nec faciunt diversa peccata, imo illa duo essentialiter clauduntur in omni peccato mortali; nam conversio non est culpa, nisi quia inordinata; nec est inordinata, nisi quia avertitur homo a Deo, cui deberet inhaerere tanquam fini ultimo: secundo modo accepta aversio constituit diversum peccati genus, hoc enim modo averti est odio habere. Et quia ut plurimum aversio in peccato accipitur, tam prout dicit deordinationem a Deo tanquam a fine, quam prout dicit motum inordinatum contra Deum; hinc est, quod conversio & aversio potius comparantur ad peccatum, sicut differentiae constituentes, quam sicut differentiae dividentes.

CAPUT VIII.

DE PECCATIS, QUÆ SIMUL SUNT CAUSA ET POENA PECCATORUM.

§. XXX.

Quædam sunt tantum peccata, quædam simul peccata & causa ac pœna peccatorum.

Prodeat *quarta* peccatorum divisio. Quædam sunt tantum *peccata*, quædam sunt simul & *peccata* & *causa* ac *poena* peccatorum. *Sic prava concupiscentia*, docente Augustino lib. V. contra Julian. c. 3. *est peccatum, quia inest illi inobedientia adversus dominatum mentis; & est pœna peccati, quia reddita est meritis inobedientiae; & causa peccati, defectione consentientis vel contagione nascentis. Sic pleraque peccata actualia* (excepto primo primorum parentum peccato) *sunt pœnae peccatorum praecedentium &* (excepto ultimo cujusque hominis peccato) *causae sequentium; miris enim atque miseris modis homo peccans laqueis satanae ita involvitur atque constringitur, ut ex uno peccato in aliud prolabatur.* Augustinus in Psalm. 57. *Criniculis peccatorum suorum quisque constringitur; peccata non solum vincula sunt, sed & criniculi. Criniculi sunt, quia fiunt intorquendo, hoc est, quod peccata peccatis connectebas. Vae his, qui trahunt peccata sua, sicut restem longam. Esaias clamat:* Quid hoc aliud est, quam væ his, quorum manus connectunt iniquitatem? &c. *Primum peccatum superbia est, ultima poena est ignis aeternus; inter illud primum peccatum & hanc ultimam poenam media quae sunt, & peccata sunt, & poenae peccatorum: tam multa enim, dicit apostolus, fieri ab eis, quae peccata sunt detestabilia, & tamen poenas eas dicit &c.* Gregorius in c. I. Ezech. homil. XI. *Peccatum, quod per poenitentiam citius non deletur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum & poena peccati, aut peccatum simul & causa & poena peccati.* Vide Lombardum II. sent. distinct. 36. per tot.

Quomodo peccatum unum causa alterius.

§. XXXI. Modi, quibus peccatum unum est causa & pœna alterius, a Chemnitio numerantur quatuor parte I. locorum pag. 636. 1.) *Ut causa efficiens, per accidens scilicet, quando effundit fidem, gratiam & Spiritum sanctum.* 2.) *Ut causa disponens, quia actus malus relinquit dispositionem inclinantem ad similes actiones.* 3.) *Ut causa materialis, sicut gula est materia luxuriae, ebrietas ἀσωτίας.* 4.) *Ut causa finalis, ut cum quis ad explendam vindictam committit homicidium.* Vide disp. superiorem de providentia §. CXL. (*)

CAPUT IX.

(*) Vid. *tom. IV. locor. theolog. p. 131.* edit. nostrae; ubi quæstio: *quo modo Deus peccata peccatis puniat?* breviter quidem, sed solide pertractatur. Occasionem eidem dedit haeresis *Pelagiana*, seculo quinto exorta, quae gravia ecclesiae christianae vulnera inflixit. Floruit eodem seculo AUGUSTINUS, inclutus ille Hipponensium episcopus, qui ut cum aliis veritatis coelestis hostibus, ita & cum *Pelagianis* certamina iniit, variisque generis scripta iisdem opposuit. Eminet inter ista liber Augustini *de natura & gratia* anno *CCCCXV.* exaratus, in cujus *cap. XXII.* inter

CAPUT IX.

DE PECCATIS INTERIORIBUS ET EXTERIORIBUS; ITEM DE PECCATIS CORDIS ORIS ET OPERIS.

Quædam peccata interiora, quædam exteriora.

§. XXXII.

Quintam & *sextam* divisionem conjungemus. Quædam peccata sunt *interiora*, quædam *exteriora*: quædam sunt peccata *cordis*, (ipsa scilicet interiora) quædam *oris*, quædam *operis* (puta exteriora) Matth. XV, 19. *Ex corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae.* Augustinus in enchirid. ad Laurent. cap. LXIV. *Peccata activa corde, ore, opere, committuntur.* Lactantius lib. VI.

inter alia observavit celeberrimus iste praesul, *Deum peccata peccatis punire*, provocans ad effata Paulina *Rom. I. 24, 26.* exstantia. Negavit vero hocce adsertum JULIANUS, Pelagii partibus addictus, contenditque, *peccatum* non posse simul esse *poenam*, quia *illud* sit voluntarium, *haec* autem involuntaria, & a Deo immittantur, quod in peccato secus sese habeat. Addidit, *traditionem* illam, de qua Paulus *loc. cit.* loquitur, de nuda *desertione* divina, qua gratiam suam a peccatoribus auferat, intelligendam esse. Sed respondit eidem AUGUSTINUS, illud quidem peccatum, quod simul poenae rationem haud habeat, esse voluntarium, aliter vero comparatum esse cum peccato, quod a Deo in poenam immittatur. Subjunxit & hoc, *traditionem* illam, cujus gentium apostolus *loc. cit.* facit mentionem, plus involvere, quam nudam aliquam *desertionem*. Vid. ejusdem *libr. V. contra Julianum cap. III.* ex quo locum quendam supra §. *XXX.* recitavit GERHARDUS noster. Conferenda etiam, quae in aliis libris, verb. grat. *libr. I. retractat. cap. XIV. XV. XVI. contra mendacium ad Consentium cap. XV.* itemque *de gratia & libero arbitrio, ad Valentinum, cap. XX.* nec non in *enarrat. ad psalm. LVII. de praedestinat. sanctorum cap. X.* & in opere imperfecto *contra Julianum, libr. I. fol. 37. segq.* hac de re scripsit. Eandem sententiam, *peccata* nimirum subinde *peccatorum poenas esse*, propugnavit quoque GREGORIUS I. *magnus* a rebus gestis dictus, atque exeunte seculo sexto clarus, *moralium libr. XXV. cap. IX.* & *homiliarum in Ezechielem, libr. I. homil. X. p. 24, 25.* Horum vestigia presserunt postea doctores scholastici, ex quibus cumprimis heic laudandus est PETRUS LOMBARDUS, *magister sententiarum* eapropter vulgo vocatus, quia latinorum de rebus sacris sententias congessit, atque inprimis scienter colligavit. Vid. ejus *libr. II. sentent. disp. 36.* ubi adserit, *quaedam esse simul peccata & poenam peccati; quaedam peccata & causam peccati; alia vero & causam & poenam peccati.* Subjungit LOMBARDUS subtilem hancce quaestionem: *an peccatum, in quantum peccatum est, sit poena peccati?* quae ansam dedit Scholasticis, eundi in partes. Integram controversiae hujus scholasticae historiam alibi, Deo volente, dabimus. Rationes vero tum eorum, qui adfirmant, Deum peccata peccatis punire, tum eorum, qui id negant, luculenter edifferuit C. M. PFAFFIUS, in peculiari de hoc argumento dissertatione, Tubing. *MDCCXLVIII.* edita, *art. II. & III. p. 10. seqq.* Equidem nihil obstare videmus, quo minus hanc dicendi rationem: quod *Deus peccata peccatis puniat*, quam & majores nostri in *form. conc. art. XI. p. 820.* aperte profiteri haud dubitarunt, & nos hodie retineamus, praesertim cum nonnullae loquendi formulae huic simillimae in ipsis sanctioribus litteris deprehendantur; verb. grat. *Rom. I. 26, 28.* itemque *Ezech. XX. 24, 25. 39.* Nihilo tamen minus cum grano salis accipienda est haec locutio, atque adcurate explicanda, ne a recta veritatis via heic aberremus. Scilicet Deus *peccata*, seu potius hominem propter peccata, *peccatis punit*, duplici cumprimis ratione; & quidem *I)* permittendo *aliorum peccata*, hujus hominis peccata vindicantia, ut per quod quis peccat, per idem puniatur & idem. Ita Deus furem fure, latronem latrone punit, secundum *catech. maj. p. 464.* quae est poena talionis. *II)* Subtrahendo gratiam suam *peccanti ipsi*, eundemque derelinquendo, quo fit, ut peccata ampliora haud impediantur. Ex quo intelligitur, non tam ipsa peccata, quam potius subtractionem gratiae divinae & derelictionem peccatoris, esse poenas peccatorum.

Caeterum de hac ipsa gratiae divinae, qua quis se indignum reddidit, subtractione, ac derelictione peccatoris sequentia paucis notamus:

I) Sub-

lib. VI. instit. cap. 13. *Nemo sine delicto esse potest, quamdiu indumento carnis oneratus est, cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus.* Gregorius in 1. Reg. c. XIII. *Cogitando, vel loquendo, vel faciendo omne peccatum committitur.* Bernhardus in parv. serm. XXX. col. 444. *Est vetustas in corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccavimus, cogitatione, locutione & opere. In corde sunt desideria carnalia & secularia, id est, amor carnis & amor seculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia & derogatio. Item gemina in corpore, flagitia & facinora, haec omnia sunt imago veteris hominis.*

Peccata interiora duplicia.

§. XXXIII. Peccata exteriora quodammodo cognoscuntur etiam a non renatis, cum fœditatem suam ipsamet conspicuam reddant; sed interiora cordis peccata sunt a cognitione hominis nondum renati remota & abscondita, nec nisi legis divinæ luce manifesta fiunt. Sunt autem duplicia interiora peccata; quædam sunt carnis *suggestiones*, ut pravæ cogitationes, ac primi concupiscentiæ motus, quibus nondum accedit consensus & delectatio: quædam vero sunt carnis *delectationes*, quando pravos illos concupiscentiæ motus fovemus, eisque delectamur, quin & de perficiendis illis carnis desideriis cogitamus. Posterioris generis cogitationes esse peccata, itidem aliquo modo cognoscit ratio; sed prioris generis cogitationes, hoc est, carnis suggestiones peccata esse, non nisi legis divinæ luce & Spiritus sancti irradiatione cognosci potest; excutiemus igitur de eis quæstiones duas. *Primo*, an desideria illa carnis ad originale, an vero ad actualia peccata sint referenda? *Deinde* an sint vere & proprie dicta peccata, præsertim in renatis?

§. XXXIV. *Priorem* quæstionem adcurate explicat Chemnitius p. II. loc. c. 8. memb. 3 & 4. p. 630. *Observetur*, inquit, *cogitationes aliquando pertinere ad peccatum originale, ut cum tantum sunt suggestiones; aliquando ad peccatum actuale, quando scilicet significant deliberationem seu propositum, ut* 1 Cor. XIII. 5. caritas non cogitat malum, *(nam a malis cogitationibus originaliter loquendo non est libera)* Joh. XI. 53. Cogitaverunt interficere Christum. &c. *Concupiscentia est peccatum originale, fit autem peccatum actuale juxta scripturam hoc modo:* Col. III. 5. vivere in concupiscentia mala: Rom. VI. 12. obedire desideriis: 2 Tim. III. 6. agitari variis desideriis. p. 633. *Quia originale peccatum definitur carentia justitiae originalis & pravo habitu, sive vitiosa inclinatione virium hominis ad malum, rectissime potest ita tradi & intelligi haec differentia: quod quicquid praeter carentiam illam & habitum inclinantem est in homine, quod erumpat in actum aliquem pugnantem cum lege Dei, sive fiat hoc actus & operis debiti omissione, sive actus & operis indebiti commissione, vocatur actuale peccatum. Veteres tradunt hos peccati gradus: 1.) fomes sive depravatio inhaerens, quae complectitur etiam defectus: 2.) suggestiones cogitationum & adfectuum, id est, quando depravatio originalis movet se aliqua inclinatione: 3.) delectatio: 4.) consensus: 5.) ipsum opus. Ex his gradibus primi hominis duo per-*

I) Subtractionem istam id non efficere, ut Deus pro caussa & auctore peccati haberi debeat, siquidem subtractio non operatur peccatum, sed illud duntaxat non impedit, idque ex justo Dei judicio.

II) Deum in præsenti hac vita nunquam subtrahere hominibus peccatoribus gratiam suam *in totum*, sed saltim *in tantum*; siquidem peccatores, quam diu vitam hancce agunt, nunquam gratia divina, vel externa, vel interna, ita destituuntur, ut prorsus resipiscere nequeant. Provocamus ad exemplum Pharaonis, quem, post indurationem, Deus adhuc per miracula eaque præstantissima in rectam reducere viam adlaboravit. Provocamus porro ad memorabile exemplum Judæorum induratorum, quibus nihilominus evangelium tum a Christo, tum ab ejus apostolis fuit prædicatum. Provocamus denique ad gentiles, *Rom. I. 23. seqq.* e quibus, utut gravissimis involuti essent criminibus, tamen nonnulli per prædicationem evangelii fuerunt conversi. *1. Cor. VI. 9. seqq.*

pertinent ad originale, reliqui tres ad actuale peccatum. Hæc Chemnitius.

An suggestiones carnis ad originale, an vero ad actualia peccata pertineant?

§. XXXV. Rectissime quidem contra Scholasticos, qui disputant, peccatum originale esse malum otiosum, fomitem quiescentem & torpidam qualitatem, a Luthero assert. III. & Chemnitio hæc ita differuntur; interim tamen cum inclinationes illæ stricte loquendo sint actiones, præsertim vero cum apostolus Rom. VII. 8. diserte testetur, ἁμαρτίαν ἐνοικοῦσαν κατεργάζεσθαι πᾶσαν ἐπιθυμίαν *operari omnem concupiscentiam*, non erit absurdum, quin nec a Lutheri & Chemnitii sententia alienum, etiam hos primos concupiscentiæ motus quodammodo ad actualia peccata referre. Attendantur igitur sequentia theoremata. 1) In adultis ita cohærent peccatum originale & actualia, ut non facile sit homini contentioso ostendere punctum (ut ita loquar) mathematicum, in quo distinguantur. 2.) Malum originale non est res otiosa vel torpida qualitas. 3.) Sed in malo originali semper sunt actualia peccata, cum fomes sit res viva & perpetuo movens. 4.) Originale peccatum est tanquam *causa*, actuale tanquam *effectus*. Hæc omnia totidem verbis Chemnitius. Quare cum pravi concupiscentiæ motus sint proprium, perpetuum & inseparabile originalis peccati effectum per emanationem ab eo profluens, ideo κατ' ἡμᾶς ad originale peccatum referuntur, cum tamen κατ' ἀκρίβειαν logicam ad actualia peccata pertineant, quippe quorum definitio eis proprie competit. Lombardus II. sent. dist. 30. lit. G. *Originale peccatum, cum non sit actuale, non est actus sive motus animae vel corporis. Si enim actus est animae vel corporis, actuale utique peccatum est: sed actuale non est, non est ergo actus vel motus*, lit. H. ex Augustino serm. XLV. de temp. *Concupiscentia vitium est, quod parvulum habilem concupiscere facit, adultum etiam concupiscentem reddit.* Dicamus ergo, quod pravæ concupiscentiæ motus, respectu mentis (regeneratæ) sint passiones, unde dicuntur παθήματα; respectu carnis actiones, unde dicuntur ἐπιθυμίαι, Gal. V. 24.

CAPUT X.

DE CONCUPISCENTIA IN RENATIS AN SIT PECCATUM?

An concupiscentia prava in renatis sit peccatum?

§. XXXVI.

Posterior quæstio majoris est momenti & proinde diligenti examine digna: *an scilicet primi illi pravae concupiscentiae motus sint coram Deo vere & proprie peccata, etiamsi consensus & deliberatio mentis eis nondum accedat?* Observa, concupiscentiam sumi tripliciter: 1.) Pro facultate concupiscibili, quæ est potentia naturalis per se bona, qua primus homo in statu innocentiæ etiam instructus fuit. 2.) Pro concupiscentiæ ἐνεργίᾳ bona & ordinata, qualis est appetitus cibi in famelico, bonitatem æstimo ratione objecti, ordinationem respectu modi. 3.) Pro concupiscentia mala, idque iterum tripliciter. a.) Pro ipsa *habitualiter* inhærente concupiscentia, qualis est post lapsum. b.) Pro primis ejus motibus & actibus, quibus nondum accedit plenus consensus. c.) Pro malis concupiscentiæ fructibus, quos per consensum rationis parit. Removeantur ergo prius cognatæ quæstiones. I.) Non quæritur, an concupiscentia illa sit peccatum, cui accedit consensus, delectatio & prosecutio ejus rei, ad quam pravi motus inclinant? eam enim peccatum esse concedunt Pontificii; licet addant minus recte, esse ex sua natura peccatum veniale. II.) Nec quæritur, an pravi illi concupiscentiæ motus fuerint actu secundo in homine ante lapsum? id enim itidem nobiscum negant. III.) Nec quæritur, an rebellio illa carnis contra spiritum sit pœna originalis peccati? id enim itidem concedunt Pontificii. IV.) Nec quæritur, an illæ peccati originalis reliquiæ

& pœnæ, videlicet ignorantia, difficultas, propenſio ad malum, prava concupiſcentia, poſſint dici vulnera naturæ & materiale peccati, languor naturæ & fomes peccati? id enim itidem adſerunt Pontificii. V.) Nec quæritur, an primi illi concupiſcentiæ motus, quibus nondum accedit conſenſus, reddant actu homines renatos coram Deo reos iræ & mortis æternæ? id enim diſerte negamus, ac cum apoſtolo dicimus, *nullam eſſe damnationem in his, qui ſunt in Chriſto.* Rom. VIII. 1. Tota ergo quæſtio in eo verſatur, an illa concupiſcentia, quæ in renatis poſt baptiſmum reliqua, hoc eſt, an concupiſcentia habitualiter inhærens ut & primi ejus motus ſint ex ſe & ſua natura remoto gratiæ umbraculo peccatum, hoc eſt, quoddam malum culpæ pugnans cum lege divina, etiamſi ex accidenti, videlicet propter Chriſtum non imputetur renatis, hoc eſt, non conſtituat eos actu reos coram Deo & morti æternæ obnoxios? Adfirmamus nos, negant Pontificii.

Argumenta partis adfirmantis.

§. XXXVII. *Adfirmantem* quæſtionis partem demonſtramus his argumentis, quorum priorem claſſem depromemus ex VI. VII. & VIII. capp. Rom. I.) Quicquid ſcriptura in propria ſede hujus articuli vocat peccatum, illud eſt vere & proprie dictum peccatum: atqui ſcriptura concupiſcentiam in propria ſede hujus articuli vocat peccatum; ergo eſt vere & proprie dictum peccatum. *Major* eſt evidens, quia in articulis fidei τὸ ὄντον arcte tenendum, præſertim in propria ipſorum ſede, ut oſtendimus in tract. de interp. ſcripturæ. Bellarminus lib. I. de ſac. euchar. cap. 9. col. 489. *Dogmata praecipua non niſi propriis verbis tradi ſolent in divinis literis: tropi enim locum habent vel in prophetis ad rem obſcurandam, vel in laudationibus ad rem ornandam, vel denique in cohortationibus ad rem amplificandam, non autem in dogmatibus, quae praecise credi aut ſervari debent.* col. 492. *Communis regula explicandae ſcripturae haec eſt, ut nunquam dimittamus proprium verborum ſenſum, niſi cogamur ab aliqua alia ſcriptura, vel ab aliquo articulo fidei, aut certe a communi totius eccleſiae explicatione: alioquin enim peribit fides, & remanebit ſola opinio de rebus divinis, & aperietur porta infinitis erroribus.* cap. 12. col. 524. *Senſus proprius & literalis ſemper eſt eligendus, niſi evidenter probetur contrarium. Neque debent a nobis petere adverſarii, cur ſequamur proprium verborum ſenſum: ſimile enim id eſſet, ac ſi quis peteret ab iis, qui ſunt in itinere, cur ſequantur viam communem & tritam: nemo enim ſanus id quaerit, vel cur ingrediamur per portam, non feneſtram.* Hæc omnia Bellarminus.

1. Concupiſcentia vocatur peccatum.

§. XXXVIII. *Minor* propoſitio itidem certa. Apoſtolus enim Rom. VI. VII. VIII. non ſemel, ſed aliquoties concupiſcentiam carnis vocat peccatum. Rom. VI. 2. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* v. 6. *Vetus noſter homo crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato.* v. 7. *Qui mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato.* v. 11. *Exiſtimate vos mortuos peccato.* v. 12. *Non regnet peccatum in corpore veſtro, ut obediatis concupiſcentiis ejus;* v. 13. *Nec exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* v. 14. *Peccatum vobis non dominabitur.* v. 16. *Servi eſtis ejus, cui obeditis, ſive peccati ad mortem. &c.* v. 17. *Fuiſtis ſervi peccati.* v. 18. *Liberati a peccato.* v. 19. *Exhibuiſtis membra ſervire ἀνομίᾳ εἰς ἀνομίαν* &c. Rom. VII. 5. *Paſſiones peccatorum operabantur in membris.* v. 7. *Peccatum non cognovi, niſi per legem.* v. 8. *ſine lege peccatum erat mortuum.* v. 9. *Cum veniſſet mandatum, peccatum revixit.* v. 11. *Peccatum ſeduxit me.* v. 13. *Peccatum, ut adpareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem, ut fiat ſupra modum peccans per peccatum.* v. 14. *Ego venundatus ſub peccatum.* v. 17. & 20. *Quod habitat in me peccatum.* v. 23. *Lex peccati in membris.* v. 25. *Carne ſervio legi peccati.* Rom. VIII. 2. *Lex ſpiritus liberavit me a lege peccati.* v. 3. *Damnavit peccatum in carne.* v. 10. *Corpus mortuum eſt propter peccatum.* Ribera Jeſuita comment. in Hebr. XII. *Concupiſcentiam carnis adverſus ſpiritum apoſtolus ſaepe ſolet*

solet adpellare peccatum. Bellarminus libr. V. de amiss. grat. & stat. peccati cap. 5. col. 367. *Apostolus* Rom. VI. 7. *concupiscentiam carnis, quam in se quoque ipse, quamvis justificatus & sanctus, experiebatur, peccatum frequenter adpellat.* Firma igitur stabit *conclusio*, concupiscentiam esse vere & proprie dictum peccatum. Tannerus Jesuita exam. relat. Hunn. c. XIII. §. sed quia. *Sceleratum est, modum loquendi & quoad rem ipsam verum & per se scripturas imitantem tanquam blasphemum & inauditum portentum traducere.*

Exceptiones Bellarmini.

§. XXXIX. Excipit Bellarminus lib. V. de amiss. grat. & stat. pecc. c. 10. *Tum in sexto, tum in septimo capite saepius concupiscentiam adpellari peccatum, sed improprie, per figuram metonymiae, quod sit causa peccati, si ei obediatur.* Resp. repetimus regulam superius traditam, non licere in articulis fidei discedere a proprietate verborum, nisi ipsa scriptura ostendat improprietatem, eamque ipsamet exponat. Proferat igitur Bellarminus causas satis urgentes, quæ nos cogant a verborum proprietate hic recedere, præsertim cum tot distinctis vicibus apostolus concupiscentiam adpellet peccatum & nuspiam addat, *metonymice* ita vocari. I.) *Apostolus* (ait Bellarminus) *non addit, esse proprie peccatum.* Resp. imo vero, quia non addidit esse *metonymice* peccatum, relinquitur, esse proprie dictum peccatum. Nativa verborum significatio tamdiu locum habet, donec per tropos ad aliam transferatur. Pelagiani ad omnia loca, quæ ipsis opponuntur, pari ratione possent respondere, nuspiam addi, quod proprie ea sint intelligenda: recognoscat Bellarminus sua verba paulo ante producta. II.) *Colligitur evidenter ex scripturis metonymica peccati in hoc loco significatio; scripturae enim testantur, vocem* peccati *esse ambiguam, & nunc accipi pro culpa, nunc pro pœna, quae est culpae effectus, nunc etiam pro causa peccati, nunc denique pro sacrificio, quod est peccati expiatio.* Resp. non sufficit ostendere ambiguitatem alicujus vocabuli; sed ostendendum est in eo ipso loco *metonymice*, non autem *proprie* usurpari, ut docuimus in tract. de interp. script. Ex ipsis ergo apostolici contextus visceribus demonstrandum erat, *metonymicam* significationem excluſa propria hic debere nos sequi. Repetat Bellarminus sua verba ex I. de sacram. euch. cap. 11. col. 518. *Non negamus, in verbo calix* (in verbis cœnæ) *esse tropum; sed tropum ibidem clarissime explicatum, quod de tropo, qui consistuitur in voce* corpus, *dici non potest.* III.) *Scriptura docet peccata proprie dicta vere tolli in justificatione, nec minus constat, concupiscentiam in justificatione non tolli: ergo loca scripturae, quae concupiscentiam vocant peccatum, improprie exponenda esse ex ipsis scripturis constat.* Resp. error cumulatur errore. Peccata in baptismo ac justificatione ita tolluntur, non ut penitus non sint, sed ut non imputentur. Christus tollit peccatum originale, at num id propterea ex omnibus actu penitus sublatum? anabaptisticum hoc est. Plura hac de re suo loco. IV.) *Testatur apostolus hoc peccatum esse in corpore, non in mente.* Rom. VI. 12. Peccatum non regnet in mortali vestro corpore. Rom. VII. 8. Non habitat in me, *hoc est, in carne mea*, bonum. *Jam vero peccatum proprie dictum non potest esse in corpore, sed in mente; ibi enim est injustitia, ubi potest habere locum justitia, quis vero justitiam ponet in membris carnis? Ergo aperte significat apostolus, concupiscentiam non proprie, sed figurate esse peccatum.* Resp. nomine carnis apostolus hoc loco non intelligit tantum corpus, vel sensitivum adpetitum, vel *inferiorem* (quam ita vocant) animæ partem, sed sese totum, quatenus adhuc sub vetustate carnis est constitutus, vel ut ipse loquitur, *carnalis & sub peccatum venundatus* Rom. VII. 14. quod ipsum suo loco uberius confirmabimus. Repetat Bellarminus sua verba ex lib. V. de amiss. gratiæ & stat. pecc. cap. 15. *Vitium concupiscentiae potissimum residet in carne, hoc est, in parte hominis inferiore, quae potissimum sensualitas dicitur, ut docuimus ex apostolo* Rom. VII. *Certum negandum non est, etiam in parte superiore simile vitium inveniri: nam ea quoque*

pars prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam &c. *quocirca apostolus* Gal. V. *inter opera carnis refert etiam haereses, idololatriam.* Haec Bellarminus.

§. XL. Argumento huic primo robur addimus tale. Quicquid scriptura ipsa proprie accipiendum esse docet, illud utique in propria significatione acceptandum erit: at scriptura ipsa docet, concupiscentiam proprie peccatum dici; ergo *peccati* nomen in propria significatione hic acceptandum. *Major* extra omnem dubitationis aleam posita. *Minorem* sic confirmamus: apostolus concupiscentiam vocat aliquid *non bonum*, Rom. VII. 16. sed *malum*, v. 15. ac illud malum describit tum privative *perficere bonum non invenio*, v. 18. tum positive, *quod odi malum, illud ago*, v. 19. Ubi adpellat tale malum, quod odio dignum, quod crucifigendum Rom. VI. 6. mortificandum ac destruendum, ibid. quod nos coram Deo miseros reddit, Rom. VII. 24. & a quo liberari quisque pius seriis gemitibus orat. v. 25. Excipit Bellarminus, *concupiscentiam, etsi non sit proprie peccatum, tamen esse corruptionem quandam incitantem ad malum, ideoque dici non bonum, sed malum, tum privativum, tum positivum.* Resp. concupiscentia non est tantum malum *poenae*, sed etiam malum *culpae.* Omne malum, quod Dei & piorum odio dignum, quod destruendum ac mortificandum, quod coram Deo nos miseros in vita spirituali reddit, est malum culpae: at concupiscentia est tale malum; ergo est malum non tantum poenae, sed etiam culpae. *Major* est evidens; omne enim malum poenae, qua tale & quod simpliciter tale, est a Deo, ac proinde non odio Dei vel piorum dignum.

2. *Concupiscentiae competit definitio peccati.*

§. XLI. Argumentum II.) Cui propria definitio peccati competit, illud proprie peccatum est: ἐυδηλον. Atqui concupiscentiae competit propria peccati definitio; ergo concupiscentia proprie est peccatum. *Minorem* confirmo, ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία, 1 Joh. III. 4. concupiscentia est ἀνομία Rom. VII. 7. *concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces;* ergo est peccatum. Ne existimes, syllogismum hunc in secunda figura adfirmatum nihil concludere; observa, *majorem* esse reciprocam, cum sit definitio essentialis: omne peccatum est ἀνομία, & omnis ἀνομία est peccatum. Excipit Bellarminus, *concupiscentiam hic non accipi pro fomite, sed pro actu voluntario concupiscendi, quod probatum ex contextu apostolico; cum enim apostolus dixisset, legem non esse peccatum, id est, causam peccati, sed esse causam cognitionis peccati, probavit ex eo, quod non cognoscebant homines actus interiores, ut desiderium uxoris vel rei alienae esse peccata, nisi lex dixisset, non concupisces; tum ex loco evangelii,* Matth. V. 28. Qui aspicit mulierem ad concupiscendum eam, jamdum moechatus est cum ea in corde suo, *quod Christus dixit contra Pharisaeos, qui nocebant, interna flagitia non esse peccata, ut patet ex* Josepho XII. antiq. cap. 13. *& R. D. Kimchi* in Psalm. LXVI. 17. Quo refert Bellarminus emphasin verborum: *moechatus est in corde suo*, & ex illis colligit, *non carnis, sed cordis concupiscentiam in lege esse prohibitam.* Resp. 1.) in decalogo non tantum voluntarium concupiscendi actum, sed etiam primos vitiosae concupiscentiae motus prohiberi, suo loco ostendemus. 2.) Illam concupiscentiam lege prohiberi hoc loco asserit apostolus, quam non poterat, nisi ex lege pro peccato agnoscere; jam vero voluntarium concupiscendi actum esse peccatum, utique ex naturae lumine absque collustratione legis agnosci potest, & saniores ethnici id agnoverunt, quod ex scriptoribus ethnicis, praesertim Platone, Aristotele & Seneca conspicuum. 3.) *Judaei homines, valde literales & crassi, non intelligebant mentalem moechiam, homicidium & furtum etiam cum consensu rationis conjunctum esse peccatum,* scribit Stapletonus in antidot. Rom. VII. p. 364. *Magni peccatores absque prohibente lege nesciunt voluntarios illos concupiscentiae motus esse peccata:* scribit idem p. 362. Atqui apostolus Paulus etiam ante suam ad Christum conversionem non erat adeo literalis & crassus, nec tantus peccator, ut voluntaria illa interiora delicta agnoscere esse peccata:

Phil.

Phil. III. 6. *secundum justitiam, quae in lege est, conversatus sine querela.* 2 Tim. I. 3. *Servio Deo a progenitoribus in concupiscentia pura.* Act. XXIII. 1. *Omni conscientia bona conversatus sum ante Deum, usque in hodiernum diem.* Stapletonus in antid. p. 369. *Apostolus conversatus est in omni bona conscientia coram Deo;* ergo veram coram Deo, non externam tantum justitiam coluit: p. 370. qui in omni conscientia bona conversatur ante Deum, ejus intima cordis pravitate non scatent, sed plane pura sunt. 4.) Illam concupiscentiam esse peccatum & lege prohiberi, asserit hoc loco apostolus, de qua v. 15. pronunciat, quod eam non velit, sed odio prosequatur: v. 17. quod ipse eam non operetur, id est, quod non delectetur ea, ac pleno & deliberato consensu eam operetur: v. 18. quae in carne habitat: v. 23. quae repugnat legi mentis, & captivat hominem lege peccati, quae est in membris. Atqui haec omnia non deliberatis, sed primis concupiscentiae motibus conveniunt. 5.) Et quam frequentes æquivocationes in voce *peccati* & *concupiscentiae* constituentur, si locum habeat Bellarmini explicatio? Ad quod frigide respondetur, æquivocationes non obscurare, sed ornare sententiam; id enim tum demum de æquivocationibus dici potest, si in laudationibus ad rem ornandam, vel in cohortationibus ad rem amplificandam adhibeantur; sed ad dogmatum tractationem ineptae sunt æquivocationes, nisi prius explicentur. 6.) Non de aliis hominibus, sed de se ipso apostolus pronunciat, quod concupiscentiam peccatum esse non cognoverit, nisi per legem; contrarium ergo inde colligitur, videlicet non de voluntario concupiscendi actu, (quem in peccatorum numero habendum esse non ignoravit apostolus) sed de primis pravae concupiscentiae motibus hoc loco agi. 7.) Christus legem divinam a Pharisaicis corruptelis Matth. V. purgans, ostendit, non tantum deliberatae concupiscentiae desideria, sed etiam primos ejus motus lege prohiberi v. 22. *Quisquis iratcitur fratri suo temere, obnoxius erit judicio;* ubi nomine iræ comprehendit omnes interiores motus in mente, voluntate & corde non congruentes cum norma quinti praecepti. Matth. V. 28. ostendit, sexto praecepto prohiberi omnem concupiscentiam veneream in mente, corde & voluntate, in sensibus, in nutibus, gestibus, sermone &c. expresse nominat cor, visum & concupiscentiam, sub quibus reliqua comprehendit hebraica *synecdoche*, quia in quinto praecepto illos gradus nominatim exposuerat. Praepositio πρὸς non limitat concupiscentiam cordis ad voluntarium actum; sed indicat talem intelligi adspectum, unde cor interius titillatur, & libidine accenditur, vel quando cor libidine æstuans oculis se prodit, & quærit concupiscentiam oculorum, ut inde libido cordis pascatur & magis inflammetur, perinde ut 1 Joh. II. 16. concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum conjunguntur. 8.) Falsum igitur est & ἀσύγγνωστον, quod Bellarminus dicit, *non carnis, sed cordis concupiscentiam in lege prohiberi;* quia scriptura cordis nomine intelligit omnes animæ potentias, & nomine carnis intelligit totum hominem sub vetustate carnis adhuc constitutum: ideoque & carnis & cordis concupiscentiam lex accusat, quod plenius ex sequentibus intelligetur, quando demonstrabimus, quod cum lege Dei: *non concupisces*, etiam primi concupiscentiae motus vere pugnent; hac vice Bellarmini vestigia sequemur & argumenta ex VI. VII. & VIII. capp. Rom. deducta ab ipsius corruptelis vindicare pergemus.

§. XLII. Argumentum III.) Illam concupiscentiam peccatum esse, & lege prohiberi, apostolus asserit, per quam & propter quam adhuc *erat carnalis* & contra suam voluntatem *sub peccatum venundatus*, Rom. VII. 14. Atqui illa est concupiscentia carnis, per quam nondum accedente voluntatis consensu, imo contra voluntatem homo peccator constituitur, quod patet ex v. 15. *quod odi, illud facio.* v. 16. *quod nolo, illud facio.* v. 19. *non quod volo, bonum, hoc facio.* Ergo etiam concupiscentia carnis, hoc est, primi concupiscentiae motus, si vel maxime non accedat consensus, sunt peccata, & lege Dei prohibentur. Bellarminus regerit: 1.) *quosdam ex veteribus statue*

Argumenta ex epist. ad Romanos.

statuere, quod apostolus loquatur non de se ipso & aliis regeneratis, sed in persona impiorum, qui ab ipso peccati fomite in varia flagitia pertrahuntur, interim tamen rationis lumine ea quodammodo agnoscunt ac detestantur. At hoc nimis dilutum, verba & circumstantiæ textus evidenter refellunt istam expositionem, quam Augustinus contra Pelagianos scribens jampridem improbavit, & a se primo usurpatam postea retractavit. Stapletonus in antid. ad hunc locum. *Ego carnalis sum, ait in sua & hominis regenerati persona apostolus.* Quin & ipse Bellarminus ei non multum tribuit, præfert enim posteriorem. Alter igitur excipit: *2.) legem non servari a justificatis, quantum ad finem, hoc est, quantum ad perfectionem, quae est finis praecepti, ac propterea proprie non est in praecepto, licet interim optime servetur, quatenus opus est ad vitandum peccatum.* Stapletonus in antid. ad v. 16. hoc ita proponit. *Primum concupiscentiae motum lex prohibet, non per modum obligationis, sed per modum doctrinae, quia hic est finis & perfectio legis, ut omni concupiscentia prava careamus, quod non impletur in hac vita, sed in altera.*

An lex quædam prohibeat tantum per modum doctrinæ.

§. XLIII. Mirifica hæc est distinctio & ipsi subjecto distinguendo repugnans; legis enim genuina & propria natura est, non tantum docere, quid sit bonum, sed etiam ad bonum obligare; non docere tantum, quid sit peccatum, sed etiam illud prohibere. Audiamus ergo, quibus coloribus eam pingat Bellarminus. *Sciendum est*, inquit, *in praeceptis interdum significari solum media ad aliquem finem, ut cum dicitur, pugna contra hostes, fac medicinam aegroto: haec enim sunt media, illud ad victoriam, hoc ad sanitatem. Interdum autem significari simul finem & media, ut si quis dicat, vince hostes, sana aegrotum: Hic enim non simul imperantur pugna & curatio, quae sunt media, sed etiam indicatur finis, victoria & sanitas. Caeterum obligatio praecepti proprie in mediis, quae imperantur, consistit, non in fine; & praevaricator est, qui media negligit, non qui finem non assequitur. Neque enim peccat, cui dicitur, vince hostes, si non vincat, modo viriliter pugnet, neque is peccat, cui dictum est, sana aegrotum, etiamsi sanare non possit, modo curet appposite ad sanandum; finis enim in praecepto indicari potest, imperari non potest. Praeceptum igitur:* non concupiscES, *ejus generis est, ut simul media & finem comprehendat. Media sunt, resistere concupiscentiis, eisque nunquam assentiri, nunquam cedere: atque haec obligant, ut qui non fecerit, continuo reus existat: finis est, funditus concupiscentias exstirpare, atque id efficere, ut nullus in carne motus oriatur contra rationem. Hunc autem finem lex proponit, ut intelligamus, quo sit nobis Deo juvante tendendum, non ut rei simus, si id non faciamus, quod facere in potestate nostra non est, & quod ad felicitatem futurae vitae, non ad obligationem praesentis pertinet. Sic enim Augustinus docet* in epist. CC. ad Aselicum: *Hoc*, inquit, *lex posuit dicendo*, non concupiscES, *non quo hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus*, Et lib. I. de nupt. & concup. cap. 29. *Multum boni facit, qui facit quod scriptum est:* post concupiscentias tuas non eas: *sed non perficit, quia non implet, quod scriptum est*: non concupiscES. *Ad hoc ergo dicit lex:* non concupiscES, *ut nos in hoc morbo jacere intelligentes medicinam gratiae quaereremus, & in eo praecepto sciremus, & quo debeamus in hac mortalitate conari, & quo possit a nobis illa beatissima immortalitate perveniri.* His præmissis subjungit Bellarminus talem dicti apostolici paraphrasin: *Lex spiritualis est, hoc est, spirituales omnino requirit, ut perfecte etiam quoad finem servetur: ego vero carnalis sum, hoc est, nondum sum totus spiritualis, qualis ero post resurrectionem;* venundatus sub peccato, *hoc est, redemtionem corporis adhuc exspectans. Sic ergo apostolus legem spiritualem:* non concupiscES, *non omnino perficiebat, qua parte adhuc carnalis erat, nec tamen peccabat, cum lex non obliget ad non sentiendos carnis motus, sed ad non consentiendum eis.*

§. XLIV. Hanc ipsam distinctionem repetit Bellarminus libr. II. de monach. cap. 13. col. 474.

ut

ut obtinere possit, legem in hac vita perfecte impleri posse; sed respondemus confictæ huic distinctioni sequentibus membris. 1.) Bellarminus sibi ipsi repugnat. Si cordis tantum, hoc est, voluntaria non autem carnis concupiscentia in lege: *non concupiscres*, est prohibita, (quod in responsione ad argumentum nostrum secundum asseruit Bellarminus) cur hoc loco disputat, etiam primos concupiscentiæ motus, hoc est, ipsam carnis concupiscentiam lege prohiberi? 2.) ἀσύστατον est dicere, quod lex quædam prohibeat per modum obligationis, quædam vero tantum per modum doctrinæ. Omnis enim prohibitio est obligatio; quicquid ergo lex prohibet, per modum obligationis prohibet: lex ideo docet, ut quid faciendum fugiendumve sit, manifestet, ac proinde non contenta est nuda γνώσει, sed requirit etiam πράξιν; legis forma le consistit in obligatione, cum sua natura sit quædam norma, mensura atque regula; quicquid ergo docet, ad illud etiam obligat. 3.) Nec solum ad media, sed ad ipsum finem lex obligat, quocunque modo finis legis accipiatur. *Internus* finis legis est perfecta ac omnibus numeris absoluta rectitudo, justitia, & cum Deo archetypo conformitas. 1 Tim. I. 5. *Finis præcepti est caritas de corde puro, conscientia bona & fide non ficta.* Ad hunc finem utique lex obligat, quia omnia legis mandata ἀνακεφαλαιοῦται in mandato de dilectione. Rom. XIII. 8. *Qui proximum diligit, legem implevit.* v. 9. *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non dices falsum testimonium, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo* ἀνακεφαλαιοῦται, velut sub unum caput redigitur. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Matth. XIIX. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* v. 38. *Hoc est maximum & primum mandatum.* v. 39. *Secundum autem est simile huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum.* v. 40. *In his duobus mandatis universa lex pendet & prophetae.* Si ad hunc internum finem lex non obligaret, nullo modo obligaret, cum omnia reliqua, ad quæ obligat, in hoc uno de caritate mandato comprehendantur. Finis legis *externus* est consecutio vitæ æternæ, ad illam itidem lex obligat; ideo enim perfectam obedientiam ab homine requirit, ut per illam consequatur vitam æternam; obligando igitur ad perfectam obedientiam, etiam ad vitam æternam obligat. Matth. XIX. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Luc. X. 25. Legisperito quærenti, *quid faciendo vitam æternam consequi possit*, respondet Christus. v. 26. *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* v. 27. mandatum dilectionis ἀναγινώσκοντι respondet v. 28. *Hoc fac & vives.* Proprie igitur loquendo vitam æternam lex promittit, ad consecutionem vitæ æternæ obligat. 4.) Quare cum mandatum de non concupiscendo ad internum legis finem pertineat, utique ad ipsum non concupiscere lex obligat; ἄτερ γραφῆς asseritur τὸ non concupiscere pertinere tantum ad finem, quem lex monstrat, & non ad media, ad quæ lex obligat, cum pertineat ad perfectam illam justitiam, quam lex requirit. 5.) Cujus loci est observatio illa, quod apostolus mandatum de non-concupiscendo uno eodemque censu habet cum mandatis de non-mœchando, de non-occidendo. Rom. XIII. 9. ut ergo lex obligat ad non-mœchandum, ad non-occidendum; ita quoque obligabit ad non-concupiscendum. Atqui obligat ad non-mœchandum, ad non-occidendum &c. tanquam ad media consequendi vitam æternam; ergo eodem modo obligabit ad non-concupiscendum. Omnibus Dei præceptis additur generalis ista clausula: *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis.* Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. quicquid ergo in lege scriptum, sub pœna æternæ maledictionis nos obligat. 6.) Similia, quæ Bellarminus adfert de milite, qui obligatur tantum ad strenue pugnandum, non ad vincendum: de medico; qui obligatur ad adposite curandum, non ad sanandum, sunt dissimilia & ab hoc loco aliena. In nullius militis viribus unquam fuit ita pugnare, ut semper vincat; in nullius medici viribus unquam fuit, ita curare, ut semper sanet: atqui lex data est homini ante lapsum perfectis viribus instructo, per quas potuit perfectam illam obedientiam præstare, ut nec pri-

primos concupiscentiæ motus sentiret. Invertimus ergo similia ista hoc modo. Quemadmodum miles, in cujus viribus est vincere, obligatur, ut non solum strenue pugnet, sed etiam vincat: medicus, in cujus viribus est sanare, obligatur, ut non solum adposite curet, sed etiam sanet: ita primus homo per legem obligatus fuit, non solum ut post concupiscentias suas non iret, sed etiam ut non concupisceret. Eadem obligatio adhuc durat: quamvis enim illæ vires per lapsum sint amissæ, tamen legis obligationi inde nihil decedit, quod declarari potest exemplo debitoris, qui propria culpa ad extremam paupertatis lineam redactus, solvendo non est, nihilo tamen minus ad solvendum obligatur; quo pertinet dictum Thomæ Aquin. thesi 26. allatum, quod pronunciatum istud (*nemo peccat in eo, quod vitare non potest*) cum hac limitatione sit accipiendum; si illam impossibilitatem non inciderit sua culpa, perinde ut quis sponte in foveam se præcipitat, ex qua suis emergere viribus nequit. 7.) Augustini dicta nondum illud probant, quod ex eis Bellarminus exsculpere voluit. Augustinus dicit, *nos non posse illam legem de non-concupiscendo in hac vita implere;* Bellarminus vult ex illis demonstrare, *nos non teneri*, ut præceptum illud impleamus, quæ certe non sunt ἰσοδυναμοῦντα. Augustinus dicit, *in vita aeterna olim perfecte legem illam a nobis implendam*, nuspiam autem addit, in hac vita nos ad eam non obligari. Imo vero quia Augustinus dicit, *ex lege morbum nostrum cognosci, & ad quaerendum animae medicum nos ablegari*, utique præsupponit, legis istius obligatione nos teneri: ita enim scribit epist. CC. ad Asellicum. *Utilitas legis est, ut hominem de sua infirmitate convincat, & gratiae medicinam, quae in Christo est, implorare compellat.* lib. I. de nupt. & concup. c. 29. dicit, *multum boni a renatis fieri, interim tamen legem ab eis non perfici, hoc est, perfecte impleri; quod nulla sophistica everti potest.*

§. XLV. Sed enim ne in concedendo nimis largus videatur Bellarminus, postquam late disputaverat, etiam primos concupiscentiæ motus aliquo modo lege Dei prohiberi, subjungit, *probabile etiam esse, quod alii docent, praecepto:* non concupisces, *non prohiberi ullo modo motus involuntarios, sed assensum tantum.* Vides hominum illorum intemperiem, omnia fingunt & pingunt pro arbitrio, ne genuina scripturæ sententia agnoscatur: modo concesserat primos concupiscentiæ motus lege Dei prohiberi, mox audies id non solum negantem, sed etiam argumentis evertentem, κεῖται, ἀ κεῖται. Quomodo vero probat, tantum voluntariam & cum assensu conjunctam pravam concupiscentiam lege Dei prohiberi? 1.) *Ab apostolo vocatur haec lex mentis* Rom. VII. 23. *quia non carni, sed menti data est.* Resp. lex mentis intelligitur propensio hominis per spiritum renati ad perfectam obedientiam legi præstandam, ut suo loco ostendemus: falsum est, non carni, sed menti tantum datam legem, imo vero toti homini lex data est, perinde ut originalis justitia omnium virium rectitudo erat. 2.) *Omnia decalogi praecepta intelliguntur de actionibus liberis, planeque voluntariis. Ergo & hoc praeceptum de non-concupiscendo.* Resp. & *antecedens* falsum & ipsa *connexio.* Illud, quia Christus Matth. V. præceptum de non-occidendo ita interpretatur, ut ostendat, etiam primos ad iram motus eo prohiberi; hoc, quia quod κατὰ ῥητὸν verborum in reliquis præceptis obscurius, id in ultimo præcepto de non-concupiscendo redditur manifestius, qua de re alibi plura.

§. XLVI. Argumentum IV.) Mens Pauli per Spiritum renata & lex Dei idem volebant. Rom. VII. 16. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est; atqui mens apostoli nolebat sentire motus concupiscentiæ: ergo etiam legi Dei motus illi repugnabant. Unde Augustinus serm. V. de verb. apost. *Quid dicis, o lex?* non concupisces: *& ego nolo concupiscere, non implet legem infirmitas mea, sed legem laudat voluntas mea.* Bellarminus hic lubricus est, 1.) repetit suam distinctionem inter prohibitionem *finis* & *mediorum*, quam excussimus superius. 2.) Dicit, *consensum apostoli cum lege in eo consistere, non quod rem eandem velint aut nolint Paulus & lex, sed quod Paulus velit aut nolit id, quod lex jubet eum velle, hoc est, con-*

concupiscentiis resistere. Resp. non solum hoc requirit lex, ut concupiscentiis resistatur, sed etiam ut non concupiscatur; utrumque vult apostolus per Spiritum sanctum regeneratus, sed quia adhuc ex parte sub vetustate carnis constitutus, ideo quod non vult, nec adprobat, illud nihilominus facit, hoc est, carnis concupiscentias sentit. 3.) *Facilius dici*, asserit, *& apostoli mentem & legem nolle concupiscentiam ut objectum, interim apostolum concupiscendo legem non transgredi, cum non voluntarie concupiscat, perinde ut caedes involuntaria non est contra legem.* Resp. si illud solum, quod actu voluntarium, est transgressio legis, tollentur omnia ignorantiæ & infirmitatis peccata: si illud solum, quod actu voluntarium, est peccatum, negabitur in universum originale peccatum. De cæde involuntaria dicetur suo loco. Adde, quod hæ Bellarmini solutiones sese invicem evertant. Si enim primi concupiscentiæ motus etiam involuntarii lege prohibentur, non potest consensus ille legis & mentis constitui ἐν τῷ resistere concupiscentiis, & sic responsio secunda tollit primam. Vicissim, si mens apostoli & lex Dei nolunt concupiscentiam ut objectum, utique rem eandem nolunt, & sic responsio tertia evertit secundam.

§. XLVII. Argumentum V.) Conqueritur apostolus, volenti sibi bonum facere, malum adjacere, Rom. VII. 21. utique ergo concupiscentia est tale malum, quod perfectam legis implectionem excludit, & per consequens est peccatum. Bellarminus primo conqueritur *de obscuritate hujus loci*, postea addit, *sensum hunc esse: Invenio, legem bonum quoddam esse mihi volenti facere, id est, volenti bene operari, & secundum legem vivere, ideo autem invenio, legem esse quoddam bonum, quia malum concupiscentiae mihi adjacet; dum enim ab una parte malum adjacens incitat ad peccatum, ab altera lex Domini retrahit a peccato, itaque non posse* (ait) *ex hoc loco effici, quod lex servari non possit, aut quod concupiscentia involuntaria peccatum sit.* Resp. quidam verba, *invenio legem*, sejungunt a sequentibus, eorumque talem reddunt paraphrasin; sic mecum comparatum est, ita ut lex per conditionem accipiatur. Alii ita explicant: comperior, volenti mihi facere bonum, hanc legem, (scilicet impositam esse) quod mihi malum adjaceat. Ambrosius *legem Moysis* asserit *voluntati suae dare consensum contra peccatum, quod in carne habitat*, quam explicationem sequitur Augustinus lib. I. contra duas epistolas Pelagian. c. 10. Theophylactus ita reddit: *Invenio legem faventem volenti mihi quod bonum est facere, sed non facienti, quoniam adjacet mihi malum.* Erasmus τὸ ὅτι accipit εἰδικῶς hoc sensu: *Dum conor parere legi bonae, & vincente cupiditate pertrahor ad malum, sentio, malum illud in me esse, non in lege.* Quicquid sit, illud malum, de quo apostolus conqueritur, quod sibi adhæreat, dubitari non potest, quin sit concupiscentia, quæ cum volenti facere bonum adhæreat, & in perfecta boni impletione eum impediat, utique peccatum erit. Nervum argumenti constituimus in illa boni ac mali oppositione. Bellarminus per malum adjacens intelligit malum pœnæ, sed oppositio boni & mali evidenter ostendit, malum culpæ hic intelligendum esse. Vocabulum *legis* accipimus de lege peccati in membris hærente, juxta expositionem v. 23.

§. XLVIII. Argumentum VI.) Quicquid repugnat legi mentis, (per Spiritum regeneratæ) & captivat hominem in lege peccati, illud utique peccatum est: at talis est concupiscentia; Rom. VII. 23. ergo est peccatum. Bellarminus excipit, *non omne, quod legi repugnat, esse peccatum, quod extra controversiam esse pronunciat.* At, o bone, hoc non solum controversum, sed etiam manifeste falsum est, siquidem definiente apostolo ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία 1 Joh. III. 4. quicquid ergo ἀνομία est, illud etiam est peccatum, juxta vulgatissimum canonem: *cui definitio competit, ei etiam definitum erit tribuendum;* τέλειος γὰρ ὁρισμός ἐστιν ὁ ἀντιστρέφων πρὸς τὸ ὁριστόν, docente Damasceno capit. VIII. dialect. Vidit ergo Bellarminus hoc non esse extra controversiam, ideo etiam nititur id probare. 1.) *Peccator repugnat legi, & tamen homo peccator non est proprie*

An omne, quod repugnat legi, sit peccatum?

peccatum. Resp. misera vero sophisticatio. Peccator repugnat legi, non qua homo, sed qua peccator. Quicquid ergo in homine repugnat legi, hoc est, quicquid recedit a regula legis, cum qua deberet congruere, illud est peccatum, intellige *formaliter*; alia enim ratio est, si illam ἀνομίαν sumas *materialiter*, ut connotetur subjectum, cui ἀνομία & peccatum inhæret. Novit hoc Bellarminus tam exacte, quam suos digitos, cum lib. I. de amiss. gratiæ & stat. peccati capite I. ipse distinguat inter *materiale* peccati, (quod vocat substantiam, non satis commode) & inter *formale* peccati: (quod vocat propriam ejus rationem) *substantia peccati*, ait, *est actio aliqua voluntaria, vel voluntaria actionis omissio. Ratio peccati est ipsa declinatio & recessio a regula in illa actione vel ejus omissione.* Hæc ibi Bellarminus, cui tamen hoc loco confusione *materialis* & *formalis* sophisticari libuit. 2.) *Lex injusta repugnat legi justae, & lex unius principis legi alterius contraria est, neutra tamen proprie peccatum.* Resp. lex injusta opponitur legi justæ *contradictorie*, peccatum opponitur legi *privative*, hæc non erant confundenda. Leges positivas quod attinet, earum alia est ratio, quam divinæ legis; illæ enim ratione circumstantiarum variari possunt, hæc vero est æterna & immutabilis regula. His præsuppositis respondet Bellarminus ad argumentum: *Concupiscentia repugnat legi, non ut actio recedens a regula, cum posset & deberet regulae congruere, sed repugnat, ut lex contraria impellens ad malum, quo modo etiam legi repugnat diabolus & quicquid incitat ad legis transgressionem.* Resp. subordinata non sunt sibi invicem opponenda; concupiscentia & peccatum est, quia recedit a legis regula, & impellit ad peccatum, quia cum conceperit, peccatum parit. Invertimus igitur solutionem Bellarmini. Quemadmodum lex præcipiens mala non solum ἀνομίας causa, sed etiam ipsa est ἀνόμου, (æquivoce enim tantum lex est & solo nomine talis, quæ mala præcipit) quemadmodum diabolus impellens ad peccatum non solum est causa peccati, sed etiam ipsemet peccator: ita concupiscentia carnis non solum est peccati actualis causa, sed etiam ipsa est peccatum. Verba, quæ Bellarminus attexit: *quicquid incitat ad legis transgressionem*, insidiosa sunt; intelliguntur enim objecta externa, quæ cum sua natura ac per se non incitent ad peccatum, sed tantum ex *accidenti*, quatenus prava concupiscentia in homine delitescens eis irritatur, non erant huc referenda.

§. XLIX. Argumentum VII.) Quicquid homines in vita spirituali coram Deo miseros reddit, & a quo non nisi per Christum liberantur, illud peccati loco habendum: At concupiscentiæ competit illud; Ergo & hoc Rom. VII. 24. *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* v. 25. *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Excipit Bellarminus, *ineptissimum esse hoc argumentum, cum apostolus loquatur de miseria poenae, & liberationem a corpore mortali expetat.* Resp. notanter additur in *majore* positione nostri argumenti, illud demum esse malum culpæ, quod hominem in vita spirituali & coram Deo miserum reddit, & a quo non nisi Dei gratia per Christum liberatur; hæc omnia malo pœnæ non possunt tribui, ut patet. In tribulationibus gloriabatur apostolus, Rom. V. 3. sed propter concupiscentiam in carne hærentem tam miserabiliter ejulatur. ταλαιπωρία *ut plurimum* sumitur de miseria culpæ. Rom. III. 16. ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν. Apoc. III. 17. οὐκ οἶδας, ὅτι σὺ εἶ ὁ ταλαίπωρος καὶ ὁ ἐλεεινὸς καὶ πτωχὸς καὶ τυφλὸς καὶ γυμνός, quæ omnia de spirituali nuditate, cœcitate & miseria intelliguntur. Recte dicit Bellarminus, *apostolum expetere liberationem a corpore mortali & passionibus obnoxio*, sed addenda etiam erat causa, quare eam liberationem apostolus expetat? Nimirum quia *corpus propter inhabitans peccatum est mortuum:* Rom. VIII. 10. hoc est, morti subjectum, nec solum temporali, sed etiam æternæ morti obnoxium esset, nisi fieret remissio peccati propter Christum, ad quam respexisse apostolum sequens versiculus docet: *Gratias ago Deo per Iesum Christum,* & Rom. VIII 1. causam subjicit, quare peccatum in carne habitans non reddat pios morti æternæ obnoxios, nimirum quia per fidem sunt in Christo, & per Spiritum

actiones

actiones carnis mortificant: *Nulla damnatio est his, qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.*

§. L. Argumentum VIII.) Qui bonum facit, non autem perficit, nondum perfecte implet legem: atqui apostolus de se & omnibus renatis testatur, quod bonum quidem faciant, non autem perficiant: Rom. VII. 18. *velle mihi adjacet, perficere autem bonum non invenio*: ergo nondum perfecte implent legem, videlicet propter adhærentem concupiscentiam; & per consequens concupiscentia illa legis perfectam impletionem prohibens est peccatum. Excipit Bellarminus, *ut quis peccet non faciendo aliquid, requiri, ut debeat & possit illud facere, jam vero carne non concupiscere non est in nostra potestate.* Resp. obligatio legis non æstimanda ex statu hominis post lapsum, sed ex donis & viribus, quas in primo homine ad legem præstandam accepimus. Sane per originale peccatum miseræ huic peccandi necessitati (ut Augustinus & Bernhardus loquuntur) subjecti sumus, ut non possimus non concupiscere; interim tamen legis rigori ac debito nostro nihil inde decedit, quod exemplo debitoris ad paupertatem propria culpa redacti superius declaravimus, & suo loco in articulo de lege declarabimus uberius.

§. LI. Argumentum IX.) Quicquid est inimicitia adversus Deum & mors, hoc est, mortis causa, illud est peccatum: at φρόνημα τῆς σαρκὸς *est inimicitia adversus Deum*; Rom. VIII. 7. & *mors* v. 6. ergo est peccatum. Excipit Bellarminus, *nomine* φρονήματος *hoc loco intelligi non ipsam concupiscentiam, sed curam & sollicitudinem nimiam providendi ea, quae carni grata & commoda, quam apostolus a sese removet*: quo nomine temeritatem nostram Bellarminus accusat, quod omnia confundamus, ac miscemus, & argumenta petamus ex illis locis, quæ nihil ad rem faciunt. Resp. per τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς intelliguntur adfectus, sensus, intelligentia & sapientia hominum carnalium, qui nondum sunt regenerati, & adfectus, studia ac cogitationes carnis in ipsis renatis, de quo φρονήματι apostolus pronunciat, quod sit inimicitia adversus Deum, hoc est, quod legi non solum non subjiciatur, sed etiam Deo & ipsius legi hostiliter adversetur, ut apostolus se ipsum explicat. Illud φρόνημα, illum adfectum carnis apostolus non omnimode a se removet, quia jam ante confessus fuerat, se nondum totum spiritualem, sed ex parte adhuc carnalem, hoc est, sub carnis vetustate constitutum aliquatenus adhuc esse. Rom. VII. 14. Negat autem se in carne esse, vel secundum carnem ambulare, hoc est, illud τῆς σαρκὸς φρόνημα perficere, illi adfectui carnis indulgere, se negat; per Spiritum vero illas carnis ἐπιθυμίας sese mortificare adserit, atque alios renatos ad illud ipsum cohortatur. Gal. V. 24. Quare cum τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς etiam primos concupiscentiæ motus tanquam certam quandam speciem complectatur, non est, quod ab inimicitia illa adversus Deum & legem Dei pravæ concupiscentiæ motus liberi pronuncientur.

Gen. VI. Cuncta cogitatio cordis tantum mala.

§. LII. Atque hæc est prior classis argumentorum ex VI. VII. & VIII. Rom. desumta, succedat posterior ex aliis scripturæ locis depromta, in cujus ἐργασίᾳ itidem vestigia Bellarmini sequemur. I.) Gen. VI. 5. *Cuncta cogitatio cordis tantum mala omni tempore*: Gen. VIII. 21. *ab adolescentia.* Si figmentum cordis humani tantum malum omni tempore, utique etiam concupiscentia prava a peccati adcusatione non poterit absolvi. Excipit Bellarminus, *describi peccatum actuale illorum, qui vixerunt ante diluvium, quod ambulaverint secundum carnem, & quae carnis sunt, tantum cogitaverint.* Ubi etiam pronunciatum tale ponit, quod peccatum originale penitus negat: *pronitas ad malum* (ait) *est vulnus ex peccato originali relictum, sed non est proprie peccatum, nisi in actum voluntarium prodeat.* Subsume. *In infantibus pronitas illa nondum erumpit in actum voluntarium. Ergo carent peccato proprie dicto.* Resp. Moses ipsum actualium peccatorum fontem hac gnoma monstrare voluit, qualis scilicet sublato Dei Spiritu humana natura manserit, videlicet talis, qualis ex se & sua natura est post lapsum, tota carnalis:

cumque Noacho cum suis ex arca egresso eadem verba repetantur, manifestum est, non posse ad illos solos, qui vixerunt ante diluvium, ea referri, sed in genere concionantur de natura hominum post lapsum, qualis in se sit, si extra regenerationem ac renovationem Spiritus consideretur. Hebræa veritas sic habet Gen. VI. 5. כָּל־יֵצֶר מַחְשְׁבוֹת לִבּוֹ רַק רַע כָּל־הַיּוֹם *omne figmentum cogitationum cordis tantum malum omni die.* Verba valde sunt emphatica: 1.) *Cordis* nomine Spiritus S. in scriptura præsertim vet. test. non solum *adpetentem*, sed & *rationalem* animæ facultatem intelligit, unde cordi non adfectus solum, sed etiam intellectum ac voluntatem tribuit, quo sensu cordis vocem hoc loco accipi, patet ex cogitationibus, quæ cordi tribuuntur, perinde ut Matth XV. 19. Christus pronunciat, ex corde διαλογισμὸς πονηρὸς ἐξέρχεσθαι. 2.) Huic ergo cordi hominum tribuit Moses יצר & חשב. Prius vocabulum proprie significat *formare, effigiare, imaginari, cogitare*, ac tribuitur figulo vasculum aliquod formanti. Posterius significat *cum intentione animi* cogitare, διαλογίζεσθαι. Exod. XXXV. 32. usurpatur de artificibus tabernaculi singulari industria operas suas pertexentibus. Ergo duobus hisce vocabulis comprehenduntur omnes motus ac cogitationes cordis, sive sint primi illi ac involuntarii motus, sive singulari industria & animi intentione eliciti, perinde ut hæc vocabula eodem sensu conjunguntur: 1. Paral. XXVIII. 9. *Omnia corda inquirit Dominus, & omne figmentum cogitationum intelligit.* Unde ipsi Rabbini pravam concupiscentiam vocare solent יֵצֶר הָרַע figmentum malum. 3.) Omnes hasce cordis cogitationes Spiritus S. vocat *malas*, hoc est, legi Dei non conformes, sed peccato infectas, & ad actualia peccata impellentes. Quamvis enim vocabulum רַע usurpetur quandoque de malo *poenae*, tamen circumstantiæ hujus loci evidenter ostendunt, de malo *culpae* hoc loco accipiendum esse, cum in descriptione causarum diluvii hic versetur Spiritus sanctus. 4.) Figmentum cogitationum dicitur רַק *tantum* malum, quod nimis dilute interpres latinus vertit cogitationem cordis esse *intentam ad malum*; estque particula tum *exclusionis*, tum *extenuationis*, docente Förstero in lexico. Sensus igitur erit, quod figmentum cogitationum totum ac semper malum usque ad leviſſimum motum. 5.) Malum est omni die, vel ut exponitur Gen. VIII. 21. מִנְּעָרָיו *ab infantia ejus*, (hominis) Vox נער & de puero & de infante in scriptura usurpatur: quam ergo primum incipit infantia nostra, imo quam primum incipiunt dies nostri, figmentum cogitationum cordis est malum. Vides egregiam peccati originalis (cujus perpetuum & inseparabile effectum est prava carnis concupiscentia) descriptionem in hoc Mosaico dicto nobis proponi, quam Polycarpi manuductionem secuti hactenus exposuimus.

§. LIII. II.) Psalm. XIX. 13. conqueritur psaltes: *Delicta quis intelligit? ab occultis munda me:* & Psalm. LI. 12. *Cor mundum fibi creari petit.* Ergo agnoscit adhærentes peccatorum sordes & numerum delictorum suam effugere notitiam fatetur. Excipit Bellarminus, *haec loca nec ad peccatum originale nec ad concupiscentiam in renatis ullo modo pertinere, cum in justificatione peccata omnia remittantur; cum concupiscentia non sit res occulta, & cum non sit orandum pro involuntariis concupiscentiae motibus, docente Augustino* epist. CC. *loqui ergo Davidem de peccatis venialibus & occultis, mortalibus.* Resp. 1.) peccatum remittitur non ut non sit, sed ut non imputetur, qua de re plura suo loco. 2.) Prava illa concupiscentia est absconditum cordis peccatum, & non nisi a renatis per lucem legis divinæ cognoscitur. Psalm. XC. 8. noverat David concupiscentias pravas peccata esse, sed quoties vitiosos illos motus senserit, ignorare se profitetur, quæ duo sophistice confundit Bellarminus. Intelligunt renati, se peccatum habere, sed quoties & quam graviter peccaverint, non intelligunt. 3.) Non esse orandum pro motibus concupiscentiæ pravæ etiam involuntariis, nunquam persuadebit nobis Bellarminus, cum Moses de absconditio peccato, & David de occultis delictis con-

Psalm. XIX. ab occultis meis munda me.

conquerantur; Psalm. XC. 8. XIX. 13. præsertim cum apostolus de lege peccati in membris hærente tam miserabiliter lamentetur Rom. VII. 24. Augustini verba hæc sunt. *Incipit homo secundum gratiam in interiori homine renovari, ut mente agat, quod amat, nec carni consentiat agenti, quod odit, id est, ut omnino non concupiscat, sed ut post concupiscentias suas non eat: quod quidem tam magnum est, ut, si omni modo fieret, & quamvis insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, nulli eorum tamen adhiberemus consensum, non esset, unde diceremus Patri nostro, qui est in cœlis:* Dimitte nobis debita nostra &c. Ostendit Augustinus tantum abesse, ut legi de non-concupiscendo perfectam præstare possimus obedientiam, ut etiam pravis concupiscentiis sæpius adhibeamus consensum, unde quotidie nobis orandum sit pro debitorum, hoc est, quotidianorum etiam actualium peccatorum condonatione. Ex hypothesi igitur, atque ea quidem in hac vita per naturam impossibili, non autem absolute, pronunciat Augustinus, pro remissione pravorum concupiscentiæ motuum non esse orandum, quos cum lege prohiberi diserte ibidem testetur, quomodo simpliciter & absolute negare posset, pro illorum remissione orandum esse? Adde, quod alibi diserte testetur Augustinus, propter adhærentes defectus & peccati originalis reliquias quotidie orandum esse: *Dimitte nobis debita nostra.* Sic enim scribit epistola XXIX. *Quamdiu caritas augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est, ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet, propter quod vitium si dixerimus, quod peccatum non habemus, mendaces sumus &c. Propter quod etiam, quantumlibet perfecerimus, necessarium est nobis dicere,* dimitte nobis debita nostra, *cum jam omnia dicta, facta, cogitata dimissa sunt.* Idem de verb. apost. serm. II. *Sufficit, inquit, mihi, quod in baptismo accepi remissionem omnium peccatorum: nunquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? adhuc carnem fragilem portas &c. adhuc utique dicis, donec sanentur languores tui:* Dimitte nobis debita nostra.

§. LIV. III.) Jerem. XVII. 9. *Pravum est cor hominis & perversum, quis cognoscet illud?* v. 10. *Ego Iehovah scrutans cor, probans renes:* hic tanta cordis pravitas & perversitas in homine statuitur, quam ne ipse quidem satis pernoscere queat, quam esse peccatum quis negabit? Excipit Bellarminus 1.) *Cor pravum non esse cor inquinatum peccatis, sed callidum ac difficile, ut penetretur: cum in hebraeo sit* עָקֹב quod LXX. reddiderunt βαθεῖαν καρδίαν. Resp. metuendum erit Bellarmino fulmen concilii Tridentini, si a versione vulgata discedere voluit, quæ tamen hoc loco non est incommoda. עָקֹב deductum est *a planta* seu *calcaneo*, describitur ergo cordis humani pravitas, metaphora ducta a via, quæ assidue calcatur, atque ex eo redditur non solum callosa, aspera & dura, sed etiam calcando pervertitur. Hieronymus reddit *pravum;* Targum & Rabbini, *vafrum ac fraudulentum.* Münsterus *perversum,* perinde ut Ezech. XXXVI. 26. dicitur *cor lapideum,* & Rom. II. 5. vocatur σκληρότης καρδίας, Marc. XVI. 14. Rom. XI. 25. Eph. IV. 18. vocatur πώρωσις, quasi dicas, callositas cordis. Conqueritur igitur propheta, hominem quidem fuisse ab initio rectum a Deo creatum, sed per peccatum rectitudine illa privatum, & in ejus locum cordis pravitatem successisse. Deinde cor hominis dicit esse אָנוּשׁ *miserum,* Tremellius & Junius *mortiferum,* Münsterus *praefractum & desperatum,* ut significetur, malum hoc esse insanabile & morbum desperatæ curationis, Jer. XV. 18. *plaga mea facta est incurabilis,* Mich. I. 9. *desperata est plaga ejus. Est igitur* (interprete Chemnitio in locis p. 574.) *tristissima descriptio corruptionis originalis, quod sit desperatae curationis, nec per naturam, nec per medicinam, nec per ulla opera sanabilis, nec possit aboleri, nisi per mortem absorptum fuerit, quod est mortale,* 1. Cor. XV. 53. Denique dicitur cor pravum esse מִכֹּל *super omnia,* & quidem plus quam sciri vel cogitari possit, unde Symmachus reddit ἀνεξερεύνητον & quidem su-

Ier. XVII. pravum cor hominis.

per omnia ita pravum ac perversum, ut nemo præter Deum καρδιογνώστην illam perversitatem satis intelligat. Vanum ergo est, quod Bellarminus negat, describi hic cor inquinatum peccatis, sed tantum callidum ac difficile, ut penetretur. Atqui illa calliditas ad malum, ac durities illa cordis, an non sunt vere pravitas & peccatum? 2.) Dicit, *pronitatem ad malum hic cordi tantum tribui, quae proprie non sit peccatum.* Resp. profunda illa cordis prævitas & prona ad malum inclinatio quomodo non erit peccatum, cum sit quasi semen peccatorum omnium, quæ omnia potentia in se complectitur? rivuli venenati de veneno fontis testantur. 3.) Denique addit, *loqui prophetam de impiis, quorum cor vere pravum & immundum, cum contra de renatis dicatur, quod* sint mundi corde: Matth. V. *quod* fide corda ipsorum purificata: Act. XV. *& finis legis dicitur* caritas de corde puro: 1. Tim. I. Resp. contextus propheticæ concionis manifeste ostendit, non tantum de manifeste sceleratis & profligatæ impietatis hominibus, sed in genere de omnibus prophetam loqui. v. 5. dicit, *maledictus, qui confidit in homine*, v. 7. *benedictus, qui confidit in Domino*, v. 9. & 10. subjicit, tam pravum & inscrutabile esse cor hominis, ut non velit videri, quasi Deo non confidat, sed Deum scrutari cor, & renes probare: quin & se ipsum huic descriptioni includit, v. 14. *sana me Domine, & sanabor, salvum me fac, & salvus ero.* Describitur igitur cor humanum, quale sit sua natura ex ipsa origine, vel priusquam per Spiritum regeneretur & mundetur, vel ubi amisso Spiritu sibi relinquitur, vel si per se extra renovationem Spiritus in ipsis renatis consideretur. Quamvis enim fide purificentur renatorum corda, hoc est, quamvis perfecta mundities Christi per fidem renatis imputetur; quamvis etiam Spiritus sanctus per renovationem corda renatorum purificet, mundet ac sanet: tamen illa renovatio, illa purificatio ac sanatio in hac vita nunquam ita perfecta est, ut non oporteat eam quotidie augeri atque perfici. Inde est, quod discipulis Christi (qui utique erant per Spiritum sanctum renati ac renovati) tribuitur adhuc quædam πώρωσις καρδίας. Marc. XVI. 14. & βραδύτης τῆ πιστεύειν, Luc. XXIV. 25. & in genere omnes renati, quamvis sint mundi ac sancti, tamen jubentur *se mundare ab omni inquinamento carnis & spiritus, ac perficere sanctificationem:* 2. Cor. VII. 1. sunt & dicuntur azymi, ac nihilominus jubentur *expurgare vetus fermentum*, 1. Cor. V. 7. sunt per Spiritum Dei renovati, nihilo tamen minus jubentur *se renovare spiritu mentis* Eph. IV. 23. *& induere novum hominem, qui secundum Deum creatus.* v. 24.

§. LV. IV.) Oratio dominica concludit omnes sub peccato. Qui enim petit nomen Dei sanctificari, regnum Dei advenire, & voluntatem Dei impleri, is eo ipso fatetur, se nondum plene facere Dei voluntatem, nomen Dei adhuc in se ex parte pollui, & se propter peccatum ex parte servum diaboli confiteretur. Argumentum est Lutheri in assert. art. II. tom. II. oper. latin. f. 297. Excipit Bellarminus, *inanissimam hanc objectionem esse, cum juxta Cyprianum perseverantiam tantum in sanctificatione & regnum gloriae haec oratio respiciat, & ad infideles hoc proprie spectet, quod voluntatem Dei impleri petimus:* urget etiam hoc, quod *Christus Matth. XXVI. fieri voluntatem Dei petat.* Resp. quicunque ita petit nomen Dei sanctificari, regnum Dei advenire, & voluntatem Dei impleri, ut simul debita sua sibi dimitti petat, is eo ipso fatetur, se non plene & ex omni parte Dei nomen sanctificare & voluntatem ipsius implere: atqui omnes renati ita orant Dei nomen sanctificari &c. Allegat Bellarminus Cypriani expositionem, eam ergo audiat. *Petimus & rogamus*, (ait Cyprianus in expos. orat. domin.) *ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cœpimus, perseveremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione*, (hoc Bellarminus omisit) *ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.* Et postea: *Continua oratione & prece opus est, ne excidamus è regno cœlesti, sicut Judaei, quibus hoc promissum prius fuerat, exciderunt &c.*

Matth. V. Dimitte nobis debita nostra.

Roga-

Rogamus, ut faciamus, quod Deus vult; quia nobis a diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur: oramus & petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quae ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope ejus & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est. Et postea: *Fieri petimus voluntatem Dei, ut in cœlo ita & terra, quod utrumque ad consummationem nostrae voluntatis pertinet & salutis. Nam cum corpus e terra, & spiritum possideamus e cœlo, ipsi terra & cœlum sumus & in utroque, id est, corpore & spiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio & discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio, ut non, quae volumus, ipsa faciamus, dum spiritus cœlestia & divina quaerit, caro terrena & secularia concupiscit, & ideo petimus impense, inter duo ista ope & auxilio Dei concordiam fieri, ut dum & spiritu & carne voluntas Dei geritur, quae per eum tentata est, anima servetur. Denique quam necesse, quam providenter & salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientiae suae animus recordetur, ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare.* Hæc omnia Cyprianus, quæ Lutheri argumentum ex oratione dominica deductum mirifice comprobant. Conjunge pulcerrimam expositionem Hieronymi Savanarolæ, quam in hanc dominicam orationem scripsit.

Luc. X. Vulneratus sanatur paulatim.

§. LVI. V.) Christus Matth. XIII. & Luc. X. in parabolis ostendit, non continuo liberari hominem ab omni peccato, sed paulatim, ac per hoc semper aliquid peccati purgandum remanere. Excipit Bellarminus, *scripturam, quando docet, hominem paulatim curari & proficere, non loqui de peccatorum remissione, sed de curatione languoris ex peccato relicti.* Resp. at ille languor naturæ, illa prava concupiscentia est morbus quidam animæ, utique ergo peccatum. Languor ille est privatio sanitatis inesse debitæ, illa sanitas animæ erat rectitudo, integritas & plena cum lege conformitas; qualis ergo morbus, quale malum sit iste languor, ex opposito habitu rectissime cognosci potest. Morbus corporis est tantum malum *pœnae.* Videatur Augustinus serm. II. de verb. apostoli.

Joh. XV. Palmes ferens fructum purgatur.

§. LVII. VI.) Christus Joh. XV. 2. dicit, *discipulos esse purgandos*, quos tamen dixerat *esse mundos*; Joh. XIII. 10. ergo mundities inhærens in hac vita non est perfecta. Excipit Bellarminus, *purgationem in justificatis necessariam esse propter peccata actualia, quae quotidie subrepunt, non propter originale, quod perfecte remittitur in baptismo.* Resp. imo vero peccata illa quotidiana sunt fructus originalis corruptionis & de ea apertum ferunt testimonium. Remittitur quidem perfecte in baptismo peccatum originis, interim tamen non ita tollitur, ut nihil omnino de eo in carne reliquum maneat, c. per baptismum de consecrat. dist. IV. *Peccatum remittitur in baptismo non ut non sit, sed ut non imputetur*, ex lib. I. August. de nupt. & concup. c. 34. qua de re in articulo de baptismo uberius agemus. Augustinus tract. LXXX. in Joh. *Quis est in hac vita sic mundus, ut non sit magis magisque mundandus? ubi si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Ergo propter inhabitans peccatum, mundities nondum est perfecta & numeris omnibus absoluta. Hilarius in capite VII. Matth. *Ipsis apostolis verbo licet jam fidei emendatis atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam per conditionem communis nobis originis, docuit Dominus dicens: si vos cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris &c.* quæ verba Hilarii allegat Augustinus libr. II. contra Julian. Ergo propter conditionem

nem communis originis, hoc est, propter reliquias peccati originalis apostoli ex parte adhuc erant mali atque immundi.

Gal. V. Caro concupiscit adversus spiritum.

§. LVIII. VII.) Gal. V. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum.* Si in renatis adhuc caro concupiscit adversus spiritum, utique peccatum in ipsorum carne adhuc habitat. Excipit Bellarminus, *concupiscentiam illam non esse proprie peccatum, dum ei spiritus reluctatur, cum non sit nisi in carne, quae sedes peccati esse non possit.* Resp. Bellarminus & sibi ipsi & textui apostolico manifeste contradicit: lib. V. de amiss. grat. & statu pecc. cap. 7. in resp. ad arg. 2. sic scribit: *In multis locis divinae scripturae sine dubio per carnem intelliguntur omnes potentiae tum inferiores, tum superiores per peccatum corruptae: unde etiam videmus ad Galatas V. inter opera carnis haereses numerari &c.* Quibus diserte hoc loco contradicit, *carnis* nomine solum corpus intelligens, quod proprie peccati sedes esse nequeat, cum peccatum non in carne, sed in mente quaeri debeat. Tria ergo falsa brevissimis hisce verbis complectitur Bellarminus: 1.) Concupiscentiam carnis non esse peccatum, cum ei spiritus reluctatur. 2.) Concupiscentiam pravam non esse in *mente*, sed tantum in *carne*, cum disertissime talia παθήματα carni hoc loco apostolus tribuat, quae non nisi menti conveniunt. 3.) Carnem non esse peccati sedem, cum tamen originalis justitia, cujus defectus est peccatum, in toto homine sedem habuerit: jam vero privatio & habitus sunt in eodem subjecto; qua de re plura dicemus inferius, quando Bellarmini argumenta examinabimus. Rectius Stapletonus in antid. Rom. VII. 17. pag. 394. *Caro vel ipsum inferiorem & carnalem adpetitum, qui menti & superiori rationi repugnat, vel carnalem aliquem & inordinatum adfectum in ipsa mente ac superiori ratione significare posse videtur.* Imo ipsemet Bellarminus c. 15. hujus libri rectius sentit. *Negandum non est*, (inquit) *etiam in parte superiore simile vitium* (pravae concupiscentiae) *inveniri. Nam ea quoque animae pars prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam & alias vanitates, & etiamsi nolimus, interdum parit ejusmodi desideria. Quocirca Paulus* (Nota) *cum dixisset* Galat. V. carnem concupiscere adversus spiritum, *statim enumerans opera carnis, nominavit non solum fornicationem, ebrietatem & alia id genus, sed etiam idololatriam, haereses, inimicitias* &c. quod diligenter notavit Augustinus lib. XIV. de civ. Dei c. 2. 3. & 4. ubi demonstrat, *carnem interdum sumi pro toto homine, qualis est sine gratia Dei post lapsum Adae* &c. *Itaque concupiscentiae vitium licet praecipue in sensualitate, tamen etiam in mente sedem habet; Augustinus autem in libris contra Pelagianos ideo pene ubique loquitur de vitio sensualitatis, quia in sensualitate magis hoc vitium se prodit, non quod ignoraret etiam in mente locum habere.* Haec Bellarminus sua caedens vineta, ut prolixiori responso non sit opus.

Ephes. IV. Renati jubentur renovari spiritu mentis suae.

§. LIX. VIII.) Renati jubentur *renovari spiritu mentis suae;* Eph. IV. 23. ergo ex parte adhuc sub peccato & carnis vetustate sunt. Bellarminus excipit, *vetustatem accipiendam esse pro malis ex peccato relictis, non autem pro peccato originis, cum* Augustinus lib. VI. cont. Julian. c. 5. *diserte dicat, quod gratia perfecte hominem novum faciat.* Resp. malum illud, ex primo primorum parentum peccato in nobis relictum, est ipsum originale peccatum, cujus reliquiae etiam in renatis manent, retenta originis suae natura. Finge per vetustatem carnis intelligi tantum mala poenae ex primo Adae peccato orta & in nos propagata; an non re-ipsa originale peccatum negabis. Augustinus l. d. perfecte hominem renovari dicit, sed diserte se ipsum explicat, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem ab omnibus malis; quod quo sensu velit accipi, ibidem uberius declarat. *Cur caro* (inquit) *conteritur a fidelibus, si nihil remansit in baptismo, quod adversus spiritum concupiscat? cur conteritur a se ipso templum Dei, si nihil ibi est, quod resistat Spiritui Dei? Non autem tantum ineesset, verum & gra-*

graviter obesset, nisi reatus, qui nos obstrinxerat, per remissionem peccatorum solutus esset. Et postea: *Quis autem ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremo insanus & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malam concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu peccata concipere ac parere non sinatur.* (quale vero malum est? attende Bellarmine) *Tale porro ac tam magnum malum, tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illa, quae fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur* &c. Idem libr. II. de meritis & remiss. peccatorum cap. VII. *Si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret apostolus:* Etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen interior renovatur de die in diem. *Profecto enim qui de die in diem renovatur, adhuc nondum totus est renovatus, & in quantum nondum renovatus, in tantum adhuc sub vetustate est; & propter reliquias istius vetustatis,* dicit ibidem Augustinus, *ipsis etiam renatis ingemiscendum: Si dixerimus, peccatum nos non habere* &c. Maneat ergo firmum fixum, vetustatem illam carnis, quæ adhuc in renatis ex parte reliqua est, non tantum malum *pœnae*, sed etiam malum *culpae* esse: neque enim per regenerationem hominis desinit vel omnino esse, vel esse id, quod ante regenerationem erat, sed actu hominem reum facere desinit. Vetustas illa carnis vocatur alibi *vetus homo*, Rom. VI. 6. ac tribuuntur ei ἐπιθυμίαι τῆς ἀπάτης: Eph. IV. 22. vocatur etiam *fermentum vetus, cui malitia ac nequitia tribuitur*, 1 Cor. V. 8. quæ omnia evidenter ostendunt, illam vetustatem non tantum *pœnae*, sed & *culpae* malum esse. 2.) Aliter igitur excipit Bellarminus, *vetustatem intelligendam esse de peccatis actualibus & malis habitibus inde contractis, quo sensu* Col. III. 9. *jubentur renati* expoliare veterem hominem cum suis actibus, & Eph. IV. 22. *jubentur* deponere secundum pristinam conversationem veterem hominem, *quod postea exponitur, deponendum esse mendacium.* Resp. in his & similibus dictis ostenditur, qua ratione vetus homo deponi possit & debeat, nimirum pravis concupiscentiis resistendo, easque mortificando; nequaquam vero docetur, quod nomine veteris hominis tantum actualia peccata sint intelligenda, siquidem mandatum illud de veteri homine exuendo, ac spiritu mentis renovando est perpetuum, nec ullum datur tempus in hac vita, quo renati istis cohortationibus non indigeant, quod evidenter arguit, per *veterem hominem* (qui alibi vocatur caro, vetus Adam, concupiscentia carnis &c.) habituale aliquid perpetuo inhærens intelligi. Augustinus lib. XIV. de Trin. c. 17. *Ista renovatio* (de qua ex Eph. IV. & Col. III. in præced. cap. disseruerat) *non momento uno fit ipsius conversionis, sicut momento uno fit illa in baptismo renovatio remissione omnium peccatorum, sed prima curatio est causam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis &c.*

§. LX. IX.) Renati jubentur mortificare membra veteris Adami, Col. III. 5. *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam.* Utique ergo peccatum adhuc in ipsorum carne habitat. Excipit Bellarminus, *per membra super terram intelligi pravam concupiscentiam, quae* Rom. VII. 23. *vocatur* lex membrorum, *haec ita mortificanda est, ne adsensus ei praebeatur.* Resp. rectissime, quid vero aliud inde sequetur, quam in renatis adhuc de veteri homine aliquid superesse, quod mortificandum sit & crucifigendum? Quemadmodum igitur Rom. VI. 6. corpus peccati jubetur destrui, ut non serviamus peccato, ita hoc loco membra super terram jubentur mortificari, hoc est, pravis carnis adfectibus resistendum est omni animi impetu, nec permittendum, ut regnet peccatum in nobis. Utique ergo peccatum in carne hæret, utique membra veteris hominis in renatis adhuc sese movent. Augustinus lib. VI. contra Julian. cap. 5. *Quomodo* (renatus) *obtemperat apo-*

Coloss. III. Mortificate membra super terram.

apostolo dicenti: Mortificate fornicationem, *nisi cum desideria ejus, quibus non consentit, expugnat, quae in benefacientibus & omnino non fornicantibus, nec consensione, nec opere, etsi non desunt, tamen quotidie minuuntur.* Hæc desideria peccata esse, ibidem multis ostendit.

Hebr. XII. Deponite circumstans peccatum.

§. LXI. X.) Hebr. XII. 1. jubentur renati deponere circumstans peccatum, utique ergo peccatum in ipsorum carne habitat. Excipit Bellarminus *per circumstans peccatum non posse intelligi pravam concupiscentiam, quippe quae non possit deponi, sed intelligi aliquod extrinsecum, videlicet occasiones & pericula peccati, sive ipsa peccata, quae nobis undique insidiantur, ea dicuntur εὐπερίστατα, quia facile circumdant & obsident, ac opponuntur circumpositae nubi sanctorum exemplorum.* Resp. περίστασις juxta Varinum significat θλῖψιν πανταχόθεν εἰς ἀδημονίαν εἰσάγουσαν, mala, quæ undique ingruunt: ergo εὐπερίστατον ἁμαρτία est peccatum illud, quod omnes vires, omnia membra, adeoque totum hominem occupavit, ac proinde recte redditur ab Erasmo peccatum tenaciter inhærens: particula εὖ usurpatur ἀντὶ τοῦ ἰσχυρῶς *valide* ac *fortiter*. Alii vertunt ad circumcingendos nos proclive, quod itidem naturam peccati originalis explicat; semper enim nos captivare ac subjugare nititur, nisi viriliter resistamus, ideo apostolus 1.) vocat ὄγκον onus seu gravamen, quia gravat naturam hominis ad Dei imaginem conditi, gravat etiam ac remoratur actiones, ad malum proclives, ad bonum tardos nos reddens. 2.) Docet, cum hoc peccato decertandum esse, siquidem lex peccati in membris repugnat legi mentis in renatis, & captivat eos (captivare nititur) Rom. VII. 23. 3.) Vocat εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, quod omnes vires ac facultates hominis invaserit, iisdemque tenacissime inhæreat. Hoc peccatum apostolus jubet deponere, quantum ad studium, conatum & desiderium renatorum attinet, quamvis quoad actum in hac vita nunquam perfecte deponi possit, perinde ut veterem hominem exuere & deponere alibi jubemur, Eph. IV. 22. Col. III. 9. quod tamen in hac vita nunquam perfecte a nobis fieri potest. Bellarminus dicit, *per circumstans peccatum intelligi sine dubio aliquid extrinsecum, & tamen paulo post addit intrinsecas tentationes hoc nomine intelligi* (nisi forte sphalma typographicum subsit) secutus Thomam Aquinatem *occasiones & pericula peccandi hoc loco denotari* scribit, quæ tamen proprie non dicuntur deponi, cum illud solum deponatur, quod oneris instar nos gravat ac premit.

Jac. I. Ut simus initium aliquod creaturæ ejus.

§. LXII. XI.) Jacob. I. 18. *Genuit nos Deus verbo veritatis, ut essemus initium aliquod creaturae ejus.* Ergo nondum sumus perfecte nova creatura, sed reliquiæ peccati in hac vita manent in carne nostra. Excipit Bellarminus 1.) *Lutherum imperite philosophari, quod ideo dicamur initium, quia imperfecte justificemur, & semper aliqua ex parte peccatum in nobis maneat.* Resp. evidens hæc est calumnia; nusquam dicit Lutherus, nos imperfecte justificari, sed inhærentem justitiam nostram dicit imperfectam esse propter adhærens peccatum. 2.) *Vocem ἀπαρχὴν non significare initium, sed primarium ac praecipuum, proinde Jacobum hoc velle, quod sancti sint primitiae, id est, pars perfectissima creaturae.* Resp. anathemati Tridentino obnoxium sese Bellarminus reddit, discedens a vulgata versione. Conjungimus nos huic loco Rom. VIII. 23. ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, *renati accipiunt primitias Spiritus sancti*, non perfectam plenitudinem, sed primitias tantum. Ergo sanctitas ipsorum in hac vita non est perfecta; (intellige sanctitatem inhærentem) Rom. XI. 16. Nomine ἀπαρχῆς intelliguntur primitiæ juxta Leviticam legem ad totius massæ sanctificationem oblatæ. Rom. XVI. 5. 1 Cor. XVI. 15. Epænetus dicitur primitiæ Achaiæ, quia primus ex Achæis ad Christum conversus, ubi non habet locum explicatio de præcipua ac digniore parte. 3.) *Ex sententia Lutheri sequi, quod Christus inchoate tantum, non perfecte resurrexerit, cum dicatur primitiae resurgentium,* 1 Cor. XV. 20.

XV. 20. Resp. Christus non dicitur primitiæ resurgentium, quia præcipuus est inter eos, qui resurrexerunt, (quod tamen verissimum est) sed ratione *ordinis, causæ, virtutis* atque *meriti*, quod enim alii resurgunt, id Christi resurrectioni acceptum ferendum, vox ἀπαρχὴς respicit ad legem Mosaicam de oblatione primitiarum, qua tota reliqua massa sanctificabatur. Hoc ergo vult apostolus: si Christus tanquam primitiæ mortem evitavit, certe nec reliqua massa Christo insita morti ac corruptioni semper erit obnoxia, sed tanquam grati Deo fructus ad exemplum primitiarum in vitæ æternæ horrea colligentur; ita se ipse exponit apostolus v. 23. *Unusquisque in suo ordine, primitiae Christus, deinde ii, qui sunt Christi in adventu ejus.*

1 Joh. I. Si dixerimus, nos non habere peccatum &c.

§. LXIII. XII.) 1 Joh. I. 8. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ergo in omnibus renatis adhuc hæret peccatum, licet remissum & mortificatum. Excipit Bellarminus 1.) *loqui Johannem de peccatis actualibus minutis ac quotidianis.* Resp. loquitur de utrisque, tum de reliquiis peccati originalis, tum de quotidianis delictis infirmitatis, quæ sunt fructus atque κυήματα originalis. Notanter dicit, renatos ἔχειν, *habere* peccatum: ergo proprie loquitur de peccato, ut ita dicam, ἕκτικῶ, habituali & perpetuo renatis inhærente, etiam tum, quando actualium delictorum sibi non sunt conscii. Augustinus hanc sententiam non solum ad actualia peccata, sed etiam ad peccati originalis reliquias in renatis diserte accommodat epist. XXIX. ad Hieronymum. *Quis sine aliquo peccato? quis sine aliquo vitio, id est, fomite quodam vel quasi sine radice peccati, cum clamet, qui supra pectus Domini recumbebat:* Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. libro IV. contra duas epist. Pelag. cap. 10. tract. XLI. in Joh. &c. 2.) Addit Bellarminus, *posse fieri, ut saltem ad breve tempus careat aliquis omni peccato, etiam veniali, & tamen quia vere dicit* Job, cap. IX. Si justus fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea; *ideo de se ipso nemo affirmare potest, se non habere peccatum, quare recte Johannes non ait: si dixerimus, aliquem non habere peccatum, sed* si dixerimus, quia nos non habemus peccatum. Resp. omni tempore & de omnibus omnino sanctis verissima est illa apostolica sententia: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Unde alibi in genere pronunciat scriptura, quod *nemo coram Deo sit innocens*, quod *nemo possit gloriari de munditie cordis sui*, quod omnes cogantur precari: *Domine, dimitte nobis debita nostra* &c. Pelagianam illam sententiam, quod quidam ab hoc universali pronunciato apostolico sint excepti, toties ac tam graviter damnat Augustinus in libris contra Julianum, contra duas epistolas Pelagianorum & alibi passim, ut mirum videatur, eam iterum in ecclesiæ prosœnium a Bellarmino adduci. Pelagianum etiam hoc est, quod magis ex humilitate, quam ex veritate, confitendum sit, nos peccatum habere, qua de re sic scribit Augustinus libr. de nat. & grat. cap. XXXIV. *Johannes propterea addit*, & veritas in nobis non est, *cum forte sufficeret dicere, nos ipsos decipimus, nisi attenderet, quosdam putare dictum, nos ipsos decipimus, quia etiam de vero bono, qui se laudat, extollitur. Attende itaque*, & veritas in nobis non est, *manifeste ostendit, hoc omnino verum non esse:* si dixerimus, quia peccatum non habemus, *ne humilitas constituta in parte falsitatis, perdat præmium veritatis.* c. XXXVI. *Si omnes sanctos & sanctas, cum hic viverent, congregare possemus & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc, quod iste* (Pelagius) *dicit, an quod Johannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una voce clamassent:* si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus &c. *An illud humilius responderent forte, quam verius? Sed huic jam placet & recte placet, laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter fatentur, quia veritas in eis esset. Si autem*

tem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset. Dictum Jobi inepte adlegatur a Bellarmino, cujus genuinus sensus hic est: tantis me Deus opprimit terroribus, ut etiam ea, quæ pro defensione justitiæ meæ possint adferri, non veniant mihi in mentem. 3.) Denique concludit Bellarminus, *Chemnitium in eo plane ridiculum se praebere, quod hanc sententiam etiam ad infantes & dormientes accommodet, cum apostolus de iis tantum loquatur, qui possint dicere, hoc est, qui usum sermonis & rationis habeant.* Resp. imo vero Bellarminus Pelagianus est, negans, universale hoc apostoli pronunciatum etiam ad infantes & dormientes pertinere, ex quo promte sequitur, multos videlicet renatos nondum adultos esse, qui possint gloriari, se non habere peccatum; itemque renatos adultos sæpius esse sine peccato, nimirum quando dormiunt, nec maculant se aliquo actuali peccato, & quando concupiscentia quiescit, aut quando ipsi ita resistitur, ut voluntatem in consensum nondum rapiat. Contra Augustinus omnium sanctorum hanc esse vocem pronunciat. Apostolus a renatis adultis requirit, ut profiteantur se habere peccatum, interim non negat, etiam illos habere peccatum, qui usu rationis & sermonis destituti illud nondum possunt profiteri.

Testimonia veterum, quod concupiscentia sit peccatum.

§. LXIV. Accedimus ad testimonia antiquitatis. Quamvis vero multa veterum dicta huc referri possent, videlicet ea, in quibus docent, in renatis adhuc peccatum habitare, legem Dei non posse in hac vita perfecte a nobis impleri, bona opera non esse omnibus numeris perfecta & absoluta, neminem esse sine peccato &c. tamen contenti erimus illis dictis, in quibus concupiscentiam in renatis reliquam peccatum vocant, & talia ei tribuunt, quæ non nisi peccato proprie dicto competunt. Augustinus lib. II. contra Julian. testimonia Cypriani, Hilarii, Gregorii Nazianzeni & Ambrosii adlegat, eum ergo audiemus, & quidem eo attentius, quo ægrius fert Bellarminus, nos ipsorum gaudere consensu, unde scribere non veretur, *Chemnitium suae impudentiae & nequitiae in pervertendis Cypriani & Hilarii dictis perpetuas in gehenna pœnas sine dubio luiturum.* Ambrosius in libro contra Novatianos: *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, ideo Pauli caro corpus mortis erat:* Ex his verbis ita colligit Augustinus: *Nunquid apostolus Paulus non erat baptizatus? aut aliquid ei vel originalium, vel propriorum, vel ignorantiae, vel scientiae remissum non fuerat peccatorum? Unde ergo talia loquebatur? Lex ista peccati, quae in membris est corporis mortis hujus, & remissa est regeneratione spirituali & manet in carne mortali: remissa scilicet, quia reatus solutus est sacramento, quo renascuntur fideles; manet autem, quia operatur desideria, contra quae dimicant & fideles &c. Sciebat,* (apostolus) *ejus gratia nos sanari ab ipso concupiscentiali motu, qui nos ab ejus originali reatu, spirituali regeneratione salvavit.* (Hæc Augustinus opponit Pelagianorum argumento, quod *consequens videatur, si in baptizatis conjugibus aliquod malum remaneat, ex quo mali generentur, non omnia peccata in baptismo remitti;* respondet Augustinus ex Ambrosio, *etiam Paulum fuisse baptizatum, & tamen conqueri de lege peccati, concupiscentiam igitur remitti in reatu, manere in actu.*) Cyprianus in epist. de orat. dom. *Est inter carnem & spiritum colluctatio & discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio, ut non ea, quae volumus, ipsa faciamus, dum spiritus cœlestia & divina quaerit, caro terrena & secularia concupiscit.* (Augustinus monet observandum esse, quod *Cyprianus baptizatum populum instruat petere a Deo concordiam inter carnem & spiritum, quod tamen in hac vita non perficiatur, cum, eodem Cypriano in epist. de mortal. teste, Paulus apostolus ideo concupiscat dissolvi & cum Christo esse, ut nullis fieret peccatis & vitiis carnis obnoxius.*) Gregorius in apolog. *Intra nosmet ipsos propriis vitiis ac passionibus impugnamur, & die noctuque ignitis stimulis corporis humilitatis hujus & corporis mortis urgemur.* Augustinus iterum observare jubet, quod

quod *de baptizato dicat Gregorius, eum propriis vitiis impugnari*, & addit: *Jamne discernis*, (Juliane) *jamne perspicis, jamne respicis, & in baptismate fieri omnium remissionem peccatorum, & cum baptizatis quasi civile bellum interiorum remanere vitiorum? non enim talia sunt vitia, quae jam peccata dicenda sint*; (intellige cum reatu actuali conjuncta, ut se ipsum Augustinus exponit, lib. I. de nupt. & concup. c. 24. & alibi passim) *si ad illicita opera spiritum concupiscentia non trahat, & concipiat pariatque peccatum: nec tantum extra nos sunt etc. Nostra sunt, passiones sunt, vitia sunt, frenanda, cohibenda, sananda sunt, & dum hic vivitur, esse non desinunt. Venerandus Hilarius ex peccato esse omnem carnem non cunctatus est dicere.* Pergit Augustinus & contra Pelagianos ex veteribus demonstrat, *baptizatos pugnare contra illud malum, cum quo nati sunt, non quod sibi ipsi prioris vitae mala consuetudine fecerunt.* Ambrosius super Luc. LVIII. dicit, *dissensionem carnis & animae per praevaricationem primi hominis in naturam se vertisse.* In libro de Isaac & anima: *Bonus rector malos equos restringit & revocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, justitia: mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas* (ex quo ita colligit Augustinus: *catholice istos equos intelligimus vitia nostra, quae legi mentis ex lege peccati resistunt. Quare non in baptismate perierunt? an nondum fateberis, quod reatus eorum perierit, infirmitas manserit? Non reatus, quo ipsa rea fuerant, sed quo nos reos fecerant in malis operibus, quo nos traxerant. Nec ita eorum mansit infirmitas, quasi aliqua sint animalia, quae infirmantur, sed nostra infirmitas ipsa sunt: nec in his equis malis iniquitatem nominasse putandus est illam, quae deletur in baptismo: illa namque peccatorum, quae fecimus, fuit; quae cuncta remissa sunt, atque omnino jam non sunt, quorum reatus manebit, quando ipsa fiebant atque transibant; istam vero legem peccati, cujus manentis reatus in sacro fonte remissus est, propterea vocavit iniquitatem, quia iniquum est, ut caro concupiscat adversus spiritum, quamvis adsit in nostra renovatione justitia; quia justum est, ut adversus carnem spiritus concupiscat.*) Idem in lib. de Paradiso c. XII. *Sive delectationem intelligas, quaedam est divino adversa mandato & inimica sensibus nostris; unde Paulus ait:* Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae & captivantem me in lege peccati. (Ex quo loco ita colligit Augustinus: *Qualem voluptatem dicat hic iste doctor, in promtu est, quia ut intelligeremus, adhibuit testimonium apostoli dicentis:* Video aliam legem in membris meis *&c. haec est voluptas illa*) Idem in lib. de sacram. regenerationis: *Non satis est, ut moriantur vitia, nisi marcescat corporis luxus, & omnium vinculorum carnalium compago solvatur &c. Nemo sibi blandiatur. Non quod volumus, hoc agimus; sed quod odio habemus, hoc facimus. Multa operatur in nobis peccatum: nobis reluctantibus redivivae plerumque voluptates resurgunt; luctandum nobis adversus carnem est, luctatus est adversus eam Paulus.* (Addit Augustinus: *attende Juliane, quomodo ex ista lege peccati, ubi concupiscentia carnis voluptasque contra propositum voluntatis agit suos impetus, cum excitatur, etiamsi actus non peragit, cum frenatur: attende, quomodo ex hac lege peccati omnem generari hominem & ideo trahere originale peccatum, sanctus eloquatur Ambrosius in eo ipso de regeneratione libro.*) Idem super Esaiam: *Videamus, ne qua sit post hujus vitae curriculum nostra regeneratio. Sicut enim regeneratio lavacri dicitur, per quam detersa colluvione peccatorum renovamur; ita regeneratio dici videtur, per quam ab omni corporae concretionis purificati labe, mundo animae sensu in vitam regeneramur aeternam.* (Ex quo loco ita colligit Augustinus: *distinxit vir sanctus & verax justificationem hujus vitae, quae fit per lavacrum regenerationis, & illius perfectionem, cum & nostra corpora fuerint immortalitate renovata &c. vos Pelagiani hic vultis hominem perfici, atque utinam Dei dono, & non libero vel potius servo propriae voluntatis arbitrio! Porro justificatio in hac vita nobis secundum tria ista confertur. Prius lavacro re-*

generationis, quo remittuntur cuncta peccata. Deinde congressione cum vitiis, a quorum reatu absoluti sumus. Tertio dum nostra exauditur oratio, qua dicimus: Dimitte nobis debita nostra.) Audiamus victoriosissimum Martyrum Cyprianum in epist. de mortalit. *Cum avaritia nobis*, inquit, *cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis & undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contemta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit &c.* (Ex hoc loco ita colligit Augustinus: *Cyprianus nec avarus, nec impudicus, nec ambitiosus &c. erat, quia his malis motibus partim de origine, partim de consuetudine, venientibus fortiter resistebat, non acquiescens esse, quod eum esse cogebant: nec ideo tamen in tam periculoso laborioso que certamine nullo telo feriebatur hostili, cum dicat* in epistola sua de eleemosynis: *Ne quisquam sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus, medicinam non putet esse adhibendam vulneribus, cum scriptum sit:* Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse a peccatis? *Et iterum in epistola sua Johannes ponat & dicat:* si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. *Si autem nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est, quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quae cum sciat, non deesse sanatis quaedam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria.*) Audi & beatissimum Hilarium, ubi sperat hominis perfectionem: *Dominus, ubi ait:* pacem meam do vobis, *docuit, nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo mundos esse non posse, nisi per ablutionem caelestis misericordiae emundationem consequamur, post demutationem resurrectionis terreni corporis nostri, effecta gloriosiore natura.* Rursus in eodem sermone: *Ipsis*, inquit, *apostolis verbo licet jam fidei emundatis atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam, per conditionem communis nobis originis, docuit dicens:* Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris. (Subjungit Augustinus: *Vides, quemadmodum venerabilis catholicus disputator, nec in hac vita mundationem nostram neget, & tamen humanam perfectionem sperat, id est, perfectioris mundationis in ultima resurrectione naturam.*) Idem in hom. quadam de lib. Job. *Memores*, inquit, *& conscii, illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiem, pro qua polluti & sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus, gaudeamus nobis esse hostem, in cujus concertatione dimicemus.* In expositione psalmi I. dicit, *vitia naturae nostrae nos ferre ad peccandum.* (Subjungit Augustinus: *Vitia, cum quibus nascimur, accusavit &c. Nostra natura est primi hominis praevaricatione vitiata.*) Idem in Psalm. LI. *Non ipsa illa justitiae opera sufficient ad perfectae beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiae voluntate humanarum demutationum & motuum non reputet vitia.* (Subjungit Augustinus: *Videsne hominem Dei ex illo numero esse beatorum, de quibus praedictum:* Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum? *Confitetur enim etiam peccata justorum, magis eos adserens in Dei misericordia spem ponere, quam de justitia sua fidere.*)

§. LXV. Ex his omnibus adparet, veteres ab Augustino contra Pelagium adlegatos, concupiscentiam in renatis reliquam vocare 1.) peccatum, 2.) infirmitatem, 3.) iniquitatem, 4.) labem, 5.) malos motus, 6.) vitia naturæ, 7.) delectationem divino mandato contrariam, 8.) tale malum, quod repugnet legi mentis, 9.) tale malum, cujus reatus in baptismo remissus, actus vero manet, 10.) propter quod corpora nostra sint omnium vitiorum materia, 11.) malitiam per conditionem communis originis nobis inhærentem, 12.) malum, propter quod corpus piorum est adhuc corpus mortis, 13.) propria vitia ac corporis passiones, 14.) tale malum, ex quo etiam liberi renatorum nascuntur peccato ori-

originali obnoxii, 15.) propter quod in hac vita non sumus perfecte mundi &c. Quid ergo hic desiderat Bellarminus? 1.) Graviter accusat Chemnitium, quod *ea, quae in distinctis sermonibus Cypriani habentur, conjungat.* Resp. quid vero sceleris in eo commisit? nonne etiam scripturæ dicta invicem conferuntur? adde, quod Augustinum sermones hos conjungentem sequatur. 2.) *At Augustinus posterius Cypriani dictum, quod nemo de puro atque immaculato corde sibi blandiri debeat, eo fine adducit, ut probet, neminem in hac vita ita perfecte vivere posse, ut in nullum unquam labatur veniale peccatum. Chemnitius eo fine adducit, ut probet, etiam vitiosos illos motus carnis, quibus resistitur, esse peccata.* Resp. utrumque docet ex Cypriano Augustinus, remitti omnia in baptismo peccata, ac nihilominus cum vitiis carnalibus esse luctandum, in quo certamine ipsi renati telo hostili aliquando feriantur, ac propter ea non possint sibi de puro & immaculato corde blandiri, proinde in futura demum vita plenam perfectionem esse sperandam. Peccata illa infirmitatis quotidiana oriuntur ex carne, testantur igitur, in carne peccatum adhuc inhabitare; pravæ illæ cogitationes nobis invitis quandoque obrepentes testantur, cor adhuc pravum, nec omni ex parte immaculatum esse. Cyprianus illis motibus resistebat, & tamen de immaculato ac puro pectore sibi blandiri nolebat. 3.) *Augustinus vult ex Cypriani testimonio probare, eum, qui habuerit originale peccatum, posse nihilominus justitiam operari, cujus contrarium docet Chemnitius, omnia opera renatorum esse peccata.* Resp. adducit Augustinus dictum Cypriani eo fine, ut probet, naturam humanam nihilominus justificationis per gratiam Dei capacem esse, interim addit, perfectionem justitiæ non esse in hac vita sperandam, quod ipsum nos dicimus & propugnamus. 4.) *Veteres dicunt, si concupiscentiis resistimus, coronam nos obtinere; ergo concupiscentiae pravae non erunt per se peccata.* Resp. distinguendum id, quod *per se* rei competit, ab eo, quod ex *accidenti* ei demum tribuitur: pravæ concupiscentiæ per se & sua natura sunt peccata, sed credentibus in Christum ex accidenti fiunt materia coronæ & gloriæ; quam multis interim sunt materiæ ruinæ, quod evidenter arguit, per accidens demum concupiscentiis hoc contingere, ut sint coronæ materia. 5.) Reliqua dicta exponit Bellarminus de *quotidianis peccatis venialibus*, de *pronitate ad malum*, de *corruptione* & de *ordinatione quadam naturae*, de *infirmitate materialiter tantum legi adversa &c. quorum nihil proprie sit*, sed ipsa dictorum evidentia pro nobis loquatur. 6.) Tandem atrocem addit calumniam, *Lutheranos statuere, quod omnia renatorum opera sint mortalia peccata.* Sed quis nostrum ita unquam docuit vel scripsit? docemus, omnia piorum opera esse contaminata & immunda, sed peccata mortalia esse nunquam docuimus; quinimo cum Bellarminus fateatur, nos retinere discrimen inter peccata *venialia* & *mortalia* libr. I. de amiss. grat. & stat. pecc. c. 4. qua conscientia potest dicere, omnia piorum opera a nobis peccata mortalia vocari? qui quædam peccata vocat venialia, quomodo opera bona vocaret peccata mortalia?

§. LXVI. Audiamus alios ex veteribus, præsertim vero Augustinum, qui Pelagiana hæresi excitatus adcurate hoc doctrinæ christianæ caput pertractavit. Irenæus libr. V. contra hæreses pag. 560. docet, *quemadmodum oliva neglecta tempore quodam in desertum relicta & sylvestria fructificans secundum se oleaster fit; ita homines in negligentia constitutos & concupiscentias carnis tanquam sylvestria fructificantes secundum suam causam infructuosos justitia constituit.* (Utique ergo etiam post baptismum manet peccatum in carne, quod si negligenter tractetur, sui generis pravos fructus profert.) Macarius homil. XV. p. 188. *Si perseveres dicere, post baptismum vitium non habere, ubi pascatur aut collocetur in corde,* (ἔτι ἔχειν νομὴν τὸ κακὸν τῷ διαλογίζεσθαι ἐν τῇ καρδίᾳ) *ignoras, quot ab adventu Domini ad hoc usque tempus baptizati sunt, & nihilominus interdum prava cogitaverunt? &c. An non reperimus, post baptismum multa committi peccata, ac plerosque delinquere? Post baptismum igitur pabulum habet praedo & licentiam ingrediendi atque agendi pro libitu.*

Scri-

Scriptum enim est : Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo : *verum dicis, diligo, & habeo Spiritum sanctum. Habesne memoriam & amorem ac flagrans desiderium erga Dominum? esne diu noctuque illic devinctus? & siquidem hac dilectione praeditus es, purus es. Sin ea minus sis praeditus, altera inquire, ubi se obtulerint negotia terrena, aut cogitationes turpes & pravae, an non ad haec declinaveris.* (εἰ μὴ πρὸς ταῦτα ὑπεκλίνῃ) p. 225. *Peccatum, quod subiit, occulte & latenter in interiori homine ac mente operatur, atque cogitationibus repugnat : nesciunt tamen homines, quod aliena vi impulsi haec agant, sed putant haec esse naturalia, &c.* Lege homiliam istam integram. Idem homil. XVI. pag. 231. *Malum in nobis operatur cum omni potestate & sensu, obscœnas cupiditates suggerens.* pag. 236. *In nobis haeret malum eo, quod habitet in corde,* (ἡμῖν ἔστι κακὸν διὰ τὸ οἰκεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ) *& vires suas ibidem exserat, suggerens cogitationes pravas & obscœnas, nec permittens preces effundere puras, sed captivam ducens mentem per hoc seculum, &c.* Hieronymus in cap. V. Matth. προπάθειαν *sive primos motus culpam habere dicit, licet crimine non teneantur.* (Bellarminus excipit, *Hieronymum loqui non de concupiscentia habitualiter inhaerente, sed de primis motibus concupiscentiae, qui nec omnino voluntarii nec omnino involuntarii ;* quæ concessio nobis sufficit, cum Bellarminus alibi diserte scribat, nullum esse peccatum, quod non sit voluntarium, & primos illos concupiscentiæ motus involuntarios non esse peccata.) In epist. ad Cresiph. c. I. late probat, *nullum in hac vita sine peccato esse posse.* Lib. I. in Amos. *Primum peccatum est, cogitasse quae mala sunt : secundum cogitationibus acquievisse perversis.*

§. LXVII. Prodeat tandem Augustinus. Is lib. V. contra Julian. c. 3. diserte suam exponit sententiam. Juliano enim disputanti, quod concupiscentia prava sive cordis inobedientia laudabilis sit, siquidem pœna peccati sit, eo in loco sic respondet. *Lauda etiam angelos malos, per quos Deus meritas pœnas irrogat peccantibus, qui tamen non sunt nisi praevaricatores atque impii. Lauda cœcitatem cordis, quae fuit justa pœna & simul grande incredulitatis malum & grandis causa peccati, &c. Sicut cœcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum aliquid cœci cordis errore committitur : ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est defectione consentientis vel contagione nascentis.* C. 4. *Discerne mala, quae per patientiam sustinemus ab illis malis, quae per conscientiam refrenamus.* C. 5. Concupiscentiam vocat *vitium, motum inobedientem, de quo apostolus dicat :* Video aliam legem in membris meis. Ib. *Dum hic vivimus, ubi caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, quantumlibet in isto conflictu superiores simus, tamen surrepentis voluptatis excessibus in ipsis certe nostrae cogitationis motibus & adfectibus, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Libr. VI. contra Julian. c. 5. *Quis ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremo insanus & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malam concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu peccata concipere ac parere non sinatur? Tale porro ac tam magnum malum, tantum quia inest, quomodo non teneret in morte & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illa, quae fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur.* cap. 6. dixerat Augustinus, *concupiscentiam carnis dimitti in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur, cum, reatu soluto, tamen maneat :* ex eo colligebat Julianus, concupiscentiam in renatis non amplius esse malam ; huic ita respondet Augustinus : *Talia dicis, qualia dicenda sunt eis, qui per baptismum sanctificatam & fidelem factam carnis concupiscentiam adfirmant, in eis, in quibus regeneratis, manet tamen &c. Quamvis reatus ejus, non quo ipsa rea erat, (neque enim aliqua persona est) sed quo reum hominem originaliter*

naliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus, absit tamen, ut dicamus sanctificari, cum qua necesse habent regenerati, si non in vacuum gratiam Dei susceperunt, intestino quodam bello tanquam cum hoste confligere, & ab ea peste desiderare atque optare sanari. C. 8. *Non est nulla iniquitas, quando superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur.* lib. II. de pecc. merit. & remiss. cap. 7. *Non ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur, sed renovatio incipit a remissione omnium peccatorum, & quantum quisque spiritualia sapit, in tantum renovatur, &c. Profecto qui de die in diem renovatur, nondum totus est renovatus, & in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc sub vetustate est.* tract. XLI. in Joh. *Quemlibet valde justum discutias in hac vita, quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato. &c. Quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas? quia* video etiam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi, illud facio: Caro concupiscit adversus spiritum. &c. *Ex parte libertas, ex parte servitus.* Ibid. *Nunquid quia in baptismo deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus, nisi misericordiæ liberatoris indignus? &c. Non dicit apostolus, non sit, sed* non regnet peccatum in corpore vestro. *Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur, &c. atque hoc ipsum peccatum Deus in renatis odisse ibi dicitur.* Epist. XXIX. *Quamdiu caritas augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam esse debet, ex vitio est, ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet, propter quod vitium* si dixerimus, peccatum nos non habere, mendaces sumus, *propter quod etiam, quantumlibet profecerimus, dicendum est:* Dimitte nobis debita nostra. Lib. I. de nupt. & concup. c. 25. *Si quæritur, quomodo ista carnis concupiscentia maneat in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum, quandoquidem per ipsam seminatur, & cum ipsa carnalis gignitur proles parentis etiam baptizati, aut certe si in parente baptizato potest esse & peccatum non esse, cur eadem ipsa in prole peccatum sit? ad hæc respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. &c. Est adfectio malæ quædam qualitatis sicut languor, &c. cujus desideriis non obedire præcipimur, ne regnet peccatum in corpore nostro.* c. 27. *præterit reatu, manet actu.*

§. LXVIII. Ex his manifeste adparet, quo loco concupiscentia carnis in renatis ab Augustino habeatur, vocat enim eam 1.) peccatum: 2.) tale malum, quod per continentiam refrenandum: 3.) quod in baptismo quidem remittatur, actu tamen maneat: 4.) dicit reatum non tolli ab ipsa concupiscentia, sed ab homine: 5.) vocat tale vitium, contra quod virtute pugnandum: 6.) iniquitatem: 7.) infirmitatem succumbentem legi: 8.) motum inobedientem: 9.) languorem obluctantem saluti nostræ: 10.) tale malum, quod simul peccatum & causa & pœna peccati: 11.) quod ideo tantum, quia inest, teneret in morte, nisi vinculum ejus in baptismo solveretur. &c. Quid contra hanc lucem Bellarminus? 1.) Accusat Lutherum, quod *crimen falsi commiserit, cum Augustinus nusquam dicat, concupiscentiam ita manere in renatis, ut sit peccatum, sed non imputari, nec reos facere, nec esse peccatum.* Ulenbergius causa XIV. suæ ἀποστασίας (*) *addit, Philippum hunc suum errorem*

(*) CASPAR ULENBERGIUS, qui, deserta religione evangelica, ad Romanensium sacra transiit, edidit libellum, cui titulus: *Graves & justæ causæ, cur Catholicis in communione veteris ejusque veri christiani mi constanter usque ad vitæ finem perseverandum sit, cur item omnibus iis, qui se vocant Evangelicos, relictis erroribus ad ejusdem christianismi consortium sit redeundum*, Colon. *MDLXXXIX.* 8. Vitam ejus copiose, sed intermixtis multis falsis ac fabulosis narrationibus, descripsit ARNOLDUS MESHOVIUS.

rem in conventu Wormatiano confessum. Resp. utrumque dicit Augustinus, & manere in renatis concupiscentiam, & sua natura peccatum esse, licet in peccatum non imputetur: Lib. I. de nupt. & conc. c. 25. dicit, *dimitti concupiscentiam in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur*, id lib. VI. contra Julian. cap. 6. sic exponit: *non ab ipsa concupiscentia, sed ab homine baptizato reatum tolli, ipsam interim concupiscentiam esse & manere malum, & quidem tale, quale est stultitia illa, qua baptizati non intelligunt ea, quae sunt Spiritus Dei, quae certe peccatum est*: quin imo praecedente c. 5. probat, *concupiscentiam pejorem esse illa ignorantia.* Synonyma igitur sunt Augustino concupiscentia & peccatum. 2.) Negat, *per reatum concupiscentiae intelligi eum, qui ab ipsa oritur, & in ipsa fundatur; sed reatum illum, quo ipsa facta est*: id quod Augustini dictis evidenter adversatur: cum enim peccatum originale inprimis in illa concupiscentia fundari Augustinus asserat, quomodo non talem reatum huic concupiscentiae tribueret, qui ab ipsa oritur, & in ipsa fundatur? 3.) Disputat, *concupiscentiam dici peccatum, non quod ipsa in se & per se sit peccatum, sed quia est causa peccati, & quia materialiter tantum est peccatum*: Resp. utrumque dicit Augustinus, quae ergo ipsi sunt subordinata & connexa, ea Bellarminus accipit ut opposita & disjuncta. 4.) Concedit, *concupiscentiam esse malam, esse non sanctam, esse deordinationem quandam & corruptionem; interim negat esse peccatum.* Resp. consideretur integra descriptio ex Augustino proposita, & adparebit, non *poenae* tantum, sed & *culpae* malum concupiscentiam ab ipso vocari. Ubicunque vero negat, concupiscentiam esse peccatum, intelligit peccatum cum reatu actuali conjunctum; sic enim se ipsum exponit lib. I. de nupt. & concup. c. 26. hoc est, *non habere peccatum, reum non esse peccati.* Augustinum imitatur Bernhardus serm. VI. de adventu Domini col. 12. *Dico vobis, genus illud peccati, quod toties conturbat nos, (concupiscentias loquor & desideria mala) reprimi quidem debet & potest per gratiam Dei, ut non regnet in nobis, sed non ejicitur, nisi in morte.* serm. de coen. Domin. col. 126. *In casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super acervum lapidum & in luto, unde non solum inquinati, sed etiam vulnerati, & graviter quassati sumus. Lavari quidem cito possumus, ad sanandum vero opus est curatione multa. Lavamur igitur in baptismo, & gratia haec nobis confertur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen a consensu abstineamus.*

Testimonia ipsorum adversariorum.

§. LXIX. Quid, quod ipsi Pontificii huic nostrae sententiae veritatis testimonium ferunt? Cassander in consult. art. II. *Ex Augustino & reliquis ecclesiasticis scriptoribus convenit, eam concupiscentiam, etiam post baptismum reliquam, apostolum & eum secutum Augustinum peccatum nonnunquam appellare, non modo, quia ex peccato facta est, sed quia est fomes peccati & dominationi mentis resistit. Certe insignis theologus aperte asserit, etiam in regeneratis manere peccatum, etiamsi non imputetur. &c. Si peccati rationem in vitio illo & iniquitate, languore & morbo constituas, cui spiritu resistendum est, ne illicitos actus gignat, non inepte peccatum dicitur. Sin peccati rationem in ipsa offensa Dei & reatu, cui ex adverso poena & damnatio respondet, sitam intelligas, non est peccatum in regeneratis, quia nisi voluntas ei consentiat, ad peccatum non deputatur.* (Idem & nos dicimus.) Driedo lib. I. de grat. & lib. arbit. *Originale peccatum solvitur quidem in hac vita regenerationis baptismi, non ut non sit, sed ut in culpam non deputetur.* Ludov. Vives in comm. August. de civ. Dei lib. I. c. 9. *Tam potentissime visceribus nostris inhaeret rei venereae cupiditas, ut ne cogitare quidem de explenda libidine possimus, quin voluptate nescio qua occulta tangamur, quam plerique nimium veniale peccatum esse volunt.* Stapletonus in antid. Rom. VII. p. 363. *Aliquo sensu etiam ipsis renatis haec ipsa in se concupiscentia, quoad primos ejus motus, pravaque desideria in hoc praecepto* (non concupisces) *continetur, non quod sub poena*

poena peccati mortalis aut venialis obliget hoc praeceptum, sed quod doceat naturae morbum, & quaerere medicum, & quod ad quotidianum profectum docendo incitet. (Si concupiscentia Dei præcepto prohibetur, quomodo non erit peccatum? frustra elabi conatur per distinctionem inter prohibitionem per modum *doctrinae* & per modum *obligationis*.) Ipse Bellarminus fatetur passim, *concupiscentiam esse legem membrorum repugnantem legi mentis, esse vitiatam animi potentiam, adsimilari canibus rabiosis, esse iniquitatem, in carne materialiter, in mente formaliter esse peccatum, esse vitium, repugnare virtuti, esse illicitam, odio haberi a Deo, repugnare legi Dei, non solum in carne, sed etiam in mente sedem habere, contra spiritum usque ad mortem pugnare, impedire rationem, longe pejorem esse bestiarum concupiscentia &c.* Quomodo igitur negare poterit, esse in se & sua natura peccatum? Cur discedit Bellarminus a Lombardo, qui II. sent. dist. lit. E. diserte scribit: *Interior tentatio est, quando invisibiliter malum nobis intrinsecus suggeritur, & haec tentatio aliquando fit ab hoste, aliquando a carne. Nam & diabolus invisibiliter mala suggerit, & ex carnis corruptione suboritur motus illicitus & titillatio prava, ideoque tentatio, quae ex carne est, non fit sine peccato: quae autem est ab hoste, nisi consentiatur, non habet peccatum, sed est materia exercendae virtutis?* lib. III. dist. 17. lit. B. *in Christo caro non concupiscebat contra spiritum, qui, ut Augustinus ait, nonnullum est vitium, cum caro concupiscit adversus spiritum.* lib. eod. dist. 19. lit. C. *Adhuc exspectamus redemtionem corporis, secundum animas vero jam redemti sumus ex parte, non ex toto, a culpa, non a poena, nec omnino a culpa; non enim sic ab ea redemti sumus, ut non sit, sed ut non dominetur.*

Exceptiones Bellarmini contra rationes, concupiscentiam peccatum esse probantes.

§. LXX Dispiciamus, quid ad rationes ex scriptura pro nostra sententia deductas Bellarminus respondeat. I.) *Motus concupiscentiae etiam involuntarii sunt illiciti: utique ergo & peccata.* Excipit Bellarminus, *esse illicitos, quia non liceat eis obedire, non quia non liceat eos invito animo pati.* Resp. utroque modo sunt illiciti, non solum ratione *consensus*, sed etiam *in se* & *per se*, quia lege divina prohibentur. Utrumque lex dicit: *non concupiscas, & post concupiscentias tuas non eas.* Exemplum, quod Bellarminus adfert de eo, *qui per vim vel ignorantiam turpitudinem committit*, alienum est, quia carnis concupiscentiæ, licet spiritui molestæ, carni tamen gratæ sunt, & quid de involuntariis actualibus delictis statuendum sit, suo expositum dabitur loco. II.) Concupiscentia per se trahit ad malum: ergo prohibetur non minus, quam ipsum malum. Excipit Bellarminus, *ipsum malum non prohiberi proprie, nisi quatenus est in potestate nostra, illud committere vel cavere; ergo multo magis concupiscentiam non aliter prohiberi.* Resp. hac ratione omnia peccata, infirmitatis & ignorantiæ tollentur, quæ cavere in hac carnis fragilitate non possumus; sufficit nos in primo homine vires illas talia cavendi olim accepisse. III.) Qui cogenti cupiditati non potest resistere & ideo peccat, nihilominus vere & proprie peccat: ergo etiam is peccat, qui invitus carnis concupiscentias sentit. Excipit Bellarminus, *motus involuntarios concupiscentiae nullo modo esse in nostra potestate, sed desiderium peccati voluntarium esse in potestate nostra, si non immediate, quando scilicet judicio divino deserti non habemus vires, quibus cogenti cupiditati resistere valeamus, tamen mediate, quia possumus a Deo auxilium gratiae petere.* Resp. utrobique est par ratio. Quemadmodum Deus justo judicio homines impœnitentes indurat & excœcat, ut voluntariis peccati desideriis resistere non possint, quæ tamen nihilominus vere & proprie sunt peccata: ita quoque propter peccatum primorum parentum justo Dei judicio in miseram illam peccandi necessitatem incidimus, ut non possimus non sentire pravos concupiscentiæ motus, qui nihilominus sunt vere & proprie peccata. IV.) Concupiscentiam pravam Deus & renati odio prosequuntur, utique ergo est peccatum. Excipit Bellarminus, *concupiscentiam odio haberi a Deo, & tamen non esse peccatum, sed tantum malum.* Resp. quodcunque malum

Deus odit, illud est malum *culpae*: mala enim *poenae* infliguntur a Deo, quomodo igitur ea Deus oderit? mala *poenae*, quatenus talia, non debent renati odisse, sed patienti animo suscipere ac perferre: adde, quod Bellarminus concilio Tridentino contradicat, quod statuit, Deum nihil in renatis odisse. Ergo nec concupiscentia in renatis odio habetur a Deo. Resp. Bellarminus, *concilium intelligendum esse de odio, quod redundet in personam; jam vero propter concupiscentiam, quae est in renatis, Deus non odit ipsos renatos*: quod rectissime quidem dicitur, sed non est sententiae concilii conforme; ea enim nobis opposita est, ac nostram sententiam anathemate percellit, qua statuimus, in renatis vere & proprie dictum peccatum habitare, licet renatos non faciat actu reos & damnatos. Ergo aut Bellarminus sententiam concilii non adsequitur, aut concilium non adsequitur nostram. V.) Concupiscentia non est a Deo; Atqui omnis poena est a Deo: Ergo concupiscentia non solum est malum *poenae*, sed & *culpae*. Excipit Bellarminus, *etiam mortem non esse a Deo*. Resp. Deus quidem mortem non fecit, Sap. I. 13. id est, absoluto aliquo odio hominem morti non subjecit; interim tamen propter peccatum justo suo judicio hominem fecit morti & variis calamitatibus obnoxium. Augustinus lib. I. contra Julian. cap. 7. *Mortem Deus intulit, non ut primus auctor, sed ut peccati ultor*. Dispar igitur hic est ratio. Mors est tantum *poena*, non autem *culpa*, sed prava concupiscentia est simul poena & culpa, perinde ut quaedam peccata actualia simul sunt poenae praecedentium delictorum. VI.) Nulla poena hujus vitae est, quae ob finem bonum expeti non possit; at concupiscentia ob nullum finem recte expeti potest. Bellarminus excipit, *etiam ignorantiam rerum necessariarum ad salutem & tentationes Satanae esse peccati poenas, quae tamen expeti non debeant*. Resp. nos hoc argumento non utimur, cui tamen ita respondet Bellarminus, ut nostram sententiam confirmet. Si enim ignorantia rerum necessariarum ad salutem & concupiscentia prava pari loco habendae sunt, utique concupiscentia erit simul peccatum & poena primi peccati; absit enim, ut dicamus, illam mentis caecitatem per primum Adae peccatum in posteros introductam non esse peccatum. Porro inter tentationes satanae & carnis differentiam esse ostendit Lombardus II. sentent. dist. 21. lit. E. VII.) Christus in omnibus nobis similis factus absque peccato: idem tamen concupiscentiae pravae non fuit obnoxius. Excipit Bellarminus, *etiam ignorantiam noluisse Christum adsumere, quae tamen non sit peccatum, si sit omnino involuntaria*. Resp. ergone ignorantia illa per primum peccatum in omnes posteros introducta peccatum non erit? quod igitur vel quale erit originale peccatum in infantibus? Observa autem, nervum argumenti fortius constringi, si addatur, quod Pontificii statuant, ex ipsa materiae conditione pravas concupiscentias oriri, remoto saltem justitiae originalis freno; illa igitur materiae conditio aut non erit in Christo, & sic non erit nobis ὁμοούσιος: aut addendum ei itidem aliquod justitiae frenum, & sic actu primo peccatum in ipso erit. VIII.) Omnis ἀνομία est peccatum: prava illa concupiscentia est ἀνομία. Excipit Bellarminus, 1.) *per jocum a multis hoc eludi*, qui ἐξωθενισμὸς ad sophisticas respondendi rationes pertinet. 2.) Concedit, *concupiscentiam esse peccatum materialiter & largo modo, qua ratione etiam naturae & artis vitia dici possint peccatum, sed argumentum nostrum probat*, concupiscentiam proprie & formaliter esse peccatum, quippe quod a norma legis divinae recedat. 3.) Aliter igitur respondet, *non omne, quod dissidet a legis norma, esse ἀνομίαν; sed ipsam discordiam, ipsam repugnantiam ac recessum formaliter esse peccatum, cum diabolus & voluntas humana etiam a lege divina dissideant, nec tamen proprie sint peccatum*. Resp. quasi vero hoc ignotum fuerit Chemnitio, qui in examine concilii propter lusum illum puerilem graviter Andradium exagitat. Ipsa per se concupiscentia est motus indifferens, sed quatenus vitiositas ei inhaeret, eatenus est ἀνομ☞, & eo respectu ἀνομία ei tribuitur. 4.) *Concupiscentia repugnat legi, sed non est ipsa formalis repugnantia, neque repugnat ut actio recedens a norma legis, neque ut potentia vel persona, quae normam sequi teneatur, sed repugnat ut*

ut incitans & impellens ad praevaricandam legem, perinde ut diabolus legi repugnat. Resp. concupiscentia prava accipitur tum de concupiscentia *habitualiter* inhærente, tum de *primis* ejus *motibus*; utroque modo repugnat legi, & recedit a norma legis: quæ duo hic sunt ἰσοδυναμοῦντα. Vanum ergo est effugium Bellarmini, quod nititur hac hypothesi, quasi concupiscentia tantum repugnet legi incitando ad peccatum, & non etiam sit habitus a norma legis recedens, cum utrumque concupiscentiæ scriptura tribuat. Concessit Bellarminus superiori cap. X. præcepto Dei: *non concupisces*, prohiberi etiam primos concupiscentiæ motus; (quod, nisi concessisset, ex ipsis legis divinæ visceribus late demonstraremus, qua de re videatur Chemnitius in locis comm. capit. de lege Dei) quomodo ergo negare poterit, pravam concupiscentiam esse ἀνομίαν & deviationem a lege. Quod ergo de diabolo addit Bellarminus, id sic invertimus: quemadmodum diabolus, pravas cogitationes homini suggerens, non tantum incitat hominem ad peccandum; (& sic repugnat legi) sed etiam ipsemet peccat: (& sic recedit a lege) ita prava carnis concupiscentia non tantum incitat mentem renatam ad peccandum, sed etiam ipsa peccato est infecta, & sic non solum repugnat legi, sed etiam a lege recedit. Suggestiones satanæ semper sunt peccata, si non semper nostra; (nimirum si non admittantur) tamen satanæ peccata sunt: ita suggestiones carnis itidem sunt peccata, non aliena, sed nostra, quia in nostra carne oriuntur, quo pertinet Lombardi dictum, quod *tentatio, quae est ex carne, non fiat sine peccato.* Res est satis perspicua & manifesta, quam sophisticis suis nebulis nunquam ita involvet Bellarminus, quin veritatis splendor emicet. 5.) *Iohannes nusquam dicit, omnem ἀνομίαν esse peccatum, sed omnem ἀδικίαν, quae est species, ἀνομία autem genus.* Resp. quis tandem erit sophisticationum finis? Apostolus diserte dicit 1 Joh. III. 4. *Omnis, qui facit peccatum,* etiam ἀνομίαν ποιεῖ, *& peccatum est ἡ ἀνομία.* Ex quo immediate sequitur, quod ἀνομία & ἁμαρτία sint termini reciproci; neque enim de corporis vel artis vitiis hic agit apostolus, quæ non sunt ἀνομίαι proprie dictæ, cum a norma legis divinæ non aberrent. ἀδικία sumitur vel *universaliter*, & sic omnis ἁμαρτία est ἀδικία, perinde ut justitia in se virtutem continet omnem: vel *particulariter*, & sic ἀδικία est species ἁμαρτίας, quid vero ex eo contra nostram sententiam elicere potest Bellarminus? Arguit Chemnitius, *quod dixerat, omnem ἀνομίαν esse peccatum, & omnem ἀδικίαν esse peccatum*, cum utrumque diserte pronunciet apostolus. Cæterum ut adpareat, quam prope ad Pelagiana castra Bellarminus accedat, diligenter notamus, quod hoc loco scribit: *Depravationem humanae naturae non esse conformem legi divinae; verum est, si agatur de lege in universum: non autem si agatur de lege, cujus praevaricatio inducat reatum, sitque peccatum proprie dictum. Nam etsi depravatio, quae est in voluntate, si accipiatur pro aversione a Deo, sit vere peccatum: tamen depravatio, quae est in intelligentia, vel in carne, nec non pronitas quaedam voluntatis ad obsequendum desideriis carnis, & difficultas ejusdem ad obsequendum Deo, non est contra legem ullam, cujus praevaricatio sit peccatum proprie dictum, & ideo non est per se ex natura sua peccatum. Quod enim attinet ad legem primae institutionis naturae, non est ea lex moralis, cujus praevaricatio reum constituat transgressorem. Non enim jussit Deus, ut homo nasceretur cum justitia originali, vel hoc aut illo modo: sed instituit naturam, sicut voluit, & ornavit iis donis, quibus illi placuit eam ornare, & idem attribuit principia, ex quibus propagari posset; si quando autem contingit, ut aliter res oriatur, quam Deus instituerit, est quidem in ea re peccatum aliquod naturae, sed non tale peccatum, quod supplicio dignum sit. &c. Quod attinet ad legem naturae, quae jubet, ut vitam agamus secundum rationem, quam legem viribus naturae corruptae servare non possumus; dico posse legem illam bifariam considerari: primo, ut significat legem moralem, quae proprie imperat voluntati, ut sequatur ductum rationis, non consentiat desideriis carnis, &c. Et hoc modo vera lex est, sed ejus praevaricatio non est peccatum originale, sed actuale. Secundo, ut significat ordi-*

nem & congruentiam naturalem, quae requirit, ut pars superior imperet, inferior subjiciatur, &c. Et hoc modo lex ista naturae eadem est cum institutione naturae, contra quam institutionem pugnant rebellio carnis & difficultas voluntatis, sed ea non sunt peccata proprie dicta, sed poenae peccati, & defectus consequentes materiam, quemadmodum se habet rubigo in cultro ferreo. Haec omnia Bellarminus non amplius indirecte, sed aperte Pelagianismum propugnans.

Antithesis adversariorum, quod concupiscentia non sit peccatum.

§. LXXI. Atque haec dicta sint pro nostrae sententiae confirmatione, quod concupiscentia in renatis reliqua vere sit peccatum: videamus, quae sit Pontificiorum de hac concupiscentia opinio. Concilium Trident. sess. V. *Concupiscentiam illam, quam aliquando apostolus* peccatum *vocat, sancta synodus declarat, ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Bellarminus sententiam concilii ita explicat lib. V. de amiss. grat. & statu peccati. cap. 7. *Asserimus, naturae corruptionem, sive concupiscentiam, qualis remanet post baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, non solum quia non imputatur, sed etiam quia imputari non potest, cum nullum sit ex se vel sua natura peccatum.* libro IV. de amiss. grat. & stat. peccat. c. 2. *Cinglius docet, morbum, qui a peccato primi hominis redundat in omnes homines, non esse proprie, sed metonymice peccatum, id est, effectum & causam peccati, in hoc convenit Cinglius cum catholicis, dissentit a Luthero.* lib. V. cap. 10. *Non concupiscentia carnis, sed cordis, id est, voluntaria prohibita est in lege:* non concupisces. (quod descripsit ex Johanne a Daventria in refutat. art. II. Augustanae confess. qui itidem sic scribit: *Non praeceptum est carni, nec animae sensitivae, sed intellectivae:* non concupisces.) Les Jesuites de Bourdeaux au. II. inventaire cap. 12. du peché originel. pag. 79. *Asserimus, proclivitatem ad malum, quae in homine, concupiscentiam illam & naturae labem, qua nos in malum proni sumus, non esse peccatum, quin imo absque Spiritus sancti auxilio rationi & libero arbitrio ita subjici, ut nihil magis.* Molanus tract. V. c. 27. concl. 4. *Multae cogitationes contra fidem & imaginationes impurae non sunt peccata.* (eodem modo Bellarminus lib. V. de amiss. grat. cap. 7. col. 374. *Non est veri nominis peccatum ipsa titillatio & incitatio etiam cum delectatione conjuncta, nisi aliquo modo consensum mentis obtineat.*) Ex quibus adparet, Pontificios non solum concupiscentiam *habitualiter* inhaerentem, hoc est, ipsum originale peccatum, sed etiam primos concupiscentiae motus in renatis non habere pro peccato proprie sic dicto, nimirum ut perfectionem, meritum & supererogationem bonorum operum coram Dei judicio stabilire possint.

Bellarmini argumenta ex Scripturis.

§. LXXII. Bellarminus lib. V. de amiss. grat. & stat. pecc. cap. 5. nostram referens sententiam, per calumniam tribuit Chemnitio, quod statuat, *non solum concupiscentiam, sed ipsam etiam molem carnis, quamvis nondum formatis organis, esse vere proprieque peccatum.* Resp. nusquam dicit Chemnitius, massam illam peccatum esse, sed peccato contaminatam, quae contaminatio, juxta Davidis confessionem, veram rationem peccati habeat; Bellarminus contra conscientiae suae testimonium haec duo, peccatum esse & peccato contaminatum esse confundit, & tamen c. 6. sequent. de mendaciis & calumniis nostrorum conqueritur, quae revera nullae sunt, si verba ipsorum diligenter excutiantur, ut superius in distinctis locis ostendimus. Expendamus Bellarmini rationes. I.) Jac. I. 15. *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Ergo concupiscentia, id est, potentia prona, & primus ejus motus absque consensu nondum est peccatum.* Resp. 1.) concupiscentiam parere peccatum, dicit apostolus, concupiscentiam peccatum non esse, nusquam dicit. 2.) Sed nec firma consequentia ex apostoli dicto hoc potest elici; possem enim

Jac. I. concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.

enim simili ratione concludere: Rom. V. 12. *per unum hominem intravit peccatum in mundum*, v. 19. *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Ergo ille homo non fuit peccator; ergo illius inobedientia non fuit peccatum. 3.) Quin potius si concupiscentia peccatum parit; ipsa peccatum erit, cum gignens & genitum, si non semper *specie*, tamen *genere*, invicem communicent. 4.) Nec unius inclusio statim est alterius exclusio, proinde non licebit colligere: concupiscentia parit peccatum; ergo ipsa non est peccatum. 5.) Quin potius distinguit apostolus peccatorum gradus, & de actuali mortali peccato quærit, unde oriatur? respondet autem ex concupiscentia prava, non a Deo oriri. Quamvis igitur in renatis concupiscentia habitualiter inhærens, & primi concupiscentiæ motus, quibus per spiritum resistitur, non sint actualia mortalia peccata; tamen inscite ex eo infertur, quod plane nullo modo sint peccata, hoc esset a negatione *speciei* ad negationem *generis* procedere, quod ἀφιλόσοφον. 6.) Contrario modo Christus procedit. Ex malis fructibus de malitia arboris judicandum esse docet, ex cogitationibus aliisve pravis motibus de cordis pravitate nos convincit. &c. Matth. VII. 17. XV. 19. Luc. VI. 43. &c. 7.) Quid, quod ipsa actualia mortalia peccata sunt sibi invicem causæ, nec tamen actualia mortalia in se & per se esse desinunt? Eph. V. 18. *Ex vino* (vel ebrietate) *est* ἀσωτία, nihilo tamen minus & ebrietas & ἀσωτία sunt actualia mortalia peccata; quanto minus ita licebit colligere: concupiscentia concipiens & pariens peccatum actuale mortale profert; ergo ipsa nullo modo est peccatum. 8.) Augustini, Cyrilli & Bedæ commentationes in hunc locum nobis non adversantur, adserunt, concupiscentiam parere peccatum, omne peccatum habere voluptatem quandam prævian, concupiscentiam, cui resistitur, parere coronam vitæ, quod nemo nostrum negat, inde tamen nondum evincitur, concupiscentiam sua natura peccatum non esse.

§. LXXIII. II.) Rom. VII. 20. *Nunc ergo non operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum.* v. 18. *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Ergo concupiscentia in carne renatorum habitans & ad peccata impellens non est peccatum.* Resp. mirum, qua arte ex hoc loco exsculpi possit, concupiscentiam peccatum non esse, cum diserte peccatum adpelletur. Excipit Bellarminus, *satis aperte id ex duobus colligi; nam* primo *dicit apostolus, motum concupiscentiae non esse suum opus, ac per hoc non posse sibi imputari; quo enim jure nihil imputari possit, quod meum non est?* Deinde *addit, hujusmodi malum non in se, sed in carne esse; constat autem, carnem non esse capacem peccati proprie dicti.* Resp. apostolus non negat absolute & simpliciter, motus illos esse suum opus, sed se (quatenus est regeneratus) illo opere non delectari pronunciat: v. 19. expresse dicit, se, quod nolit malum, hoc agere: quomodo ergo absolute negaret, motus illos pravæ concupiscentiæ suos esse? Ideo autem dicit, se illos non operari, quia eis non delectatur, qui ex spiritu nollet illos sentire. Augustinus lib. I. de nupt. & concup. cap. 27. *Agit aliquid concupiscentia carnis, etiam quando non exhibetur ei vel cordis assensus, ubi regnet, vel membra, vel arma, quibus impleatur, quod jubet. Agit autem quid, nisi desideria mala & turpia? hinc apostolus velut ex suae personae introductione nos instituit, dicens:* non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio, *id est, concupisco, quia & nollet hoc facere, ut esset omni ex parte perfectus: verum quia concupiscere nolebat, & tamen concupiscebat, sed eidem concupiscentiae nequaquam consentiendo serviebat, adjunxit atque ait:* nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. lib. I. contra duas epist. Pelag. c. 10. *dicit apostolus:* Nunc autem jam non ego operor illud, *sed id*, quod habitat in me, peccatum. *Quid est*, nunc autem, *nisi jam nunc sub gratia, quae liberavit delectationem voluntatis a consensione cupiditatis? Non enim melius intelligitur:* non ego operor, *nisi quia non consentit exhibere membra sua*

Rom. VII.

Non ego operor illud, sed peccatum.

ſua arma iniquitatis peccato. Nam ſi & concupiſcit, & conſentit, & agit, quomodo non ipſe illud operatur, etiamſi ſe operari doleat, & vinci graviter ingemiſcat? ſer. V. de verb. apoſt. Non quod volo, ago; ſed quod odi, illud facio. *Quid facio? concupiſco. Etſi concupiſcentiae non conſentio, poſt concupiſcentias meas non eo, tamen adhuc concupiſco, & utique etiam in ipſa parte ego ſum. Non enim ego alius in mente, & alius in carne, ſed quid igitur ipſe ego? quia ego in mente, ego in carne. Non enim duae naturae contrariae, ſed ex utroque unus homo, quia unus Deus, a quo factus eſt homo.* Et poſtea. *Mihi malum adjacet, & hoc mihi. Num enim caro non mea, aut de alia ſubſtantia caro, aut de alio principio caro, aut anima ex Deo & caro de gente tenebrarum? abſit, &c.* Hæc omnia Auguſtinus, quæ ſunt immotæ veritatis. Cum enim ipſa illa concupiſcens caro ſit apoſtoli caro, quomodo motus concupiſcentiæ in carne ſuos eſſe abſolute negaret? num peccatum aliqua ſubſtantia ab ipſo apoſtolo aliena? Denique ſi nemini poteſt imputari, quod non eſt ſuum, hoc eſt, quod non agit deliberata mente, negabitur iterum διαρρήδην originale peccatum.

Quid carnis nomine Rom. VII. intelligatur.

§. LXXIV. Ad *poſterius* Bellarminianæ exceptionis membrum reſp. *carnis* nomine hic intelligi non ipſum corpus, nec inferiorem tantum animæ partem; (ut loquuntur) ſed totum hominem, quatenus ſub carnis vetuſtate adhuc conſtitutus eſt, uſitatiſſima ſcripturæ phraſi. Bellarminus expreſſe concedit, in multis ſcripturæ locis, utpote Joh. III. Galat. V. &c. per carnem intelligi omnes potentias tum inferiores, tum ſuperiores, per peccatum corruptas; negat vero, in hoc VII. capit. ad Rom. pro toto homine accipi, idque variis adductis in medium rationibus. 1.) *Apoſtolus non vere diceret*, non ego operor illud, *ſi per carnem totus homo intelligeretur; quomodo enim non ipſe operatur, quod ejus caro & animus, hoc eſt, ipſe totus operatur?* Reſp ſane apoſtolus Spiritu renovatus non conſentiebat deſideriis carnis, ſed eis reſiſtebat. interim tamen ipſa ejus anima non minus, atque corpus ſub carnis vetuſtate adhuc quodammodo erat conſtituta. Negat igitur apoſtolus, ſe operari motus illos concupiſcentiæ non ſimpliciter, (quia actiones ſunt ſuppoſiti, & caro concupiſcens erat propria apoſtoli caro) ſed reſpectu habito ad conſenſum mentis renovatæ. Diſtinguit inter ſubjectum *quod* & ſubjectum *quo*. *Non ego operor illud*, ſcilicet mente, quatenus eſt regenerata: ſed peccatum illud operatur, hoc eſt, ego propter peccatum in carne adhuc reliquum. 2.) *Apoſtolus correctionis loco addit, non in ſe, ſed in carne ſua illud malum habitare. Ergo non erat in ipſo toto.* Reſp. ἔξήγησις eſt, non ἐπίπληξις; *declaratio*, non *correctio*. Quia enim ſpiritu mentis renovatus motus illos concupiſcentiæ deteſtabatur, ideo ſe illos operari negat, puta, quatenus ſpiritualis; faciebat enim illud, quod oderat, quatenus carnalis, ſub peccatum venundatus. v. 14. Opponit apoſtolus ſe ipſum ſpiritu renovatum peccato in carne adhuc habitanti; fit ergo oppoſitio ejusdem, ſed non ſecundum idem, ut patet ex verſ. ſeqq. Si motus concupiſcentiæ plane nullo modo erant opus Pauli apoſtoli, quare propter eos ſeſe vocat miſerum, & ab iis liberari expetit? 3.) *Apoſtolus diſerte diſtinguit mentem a carne, id eſt, unam partem hominis ab altera.* Reſp. mentem a carne utique diſtinguit, ſed nomine mentis intelligit animam totam, quatenus renovata eſt; carnis nomine eandem totam, quatenus adhuc ſub carnis vetuſtate conſtituta. Ipſe Bellarminus c. XV. hujus libri agnoſcit, in ipſa renatorum mente, hoc eſt, ut ipſe loquitur, in parte animæ ſuperiore inveniri vitium pravæ concupiſcentiæ. 4.) *Apoſtolus* ad Romanos c. VI. *in corpore mortali hoc malum eſſe dicit, & hoc loco a corpore liberari expetit. Ergo in ſolo corpore peccatum habitat.* Reſpond. magna eſt in ſermone apoſtolico emphaſis; opponit enim vitam præſentem, in qua venundati ſumus ſub peccatum, ac circumferimus in nobis ipſis peccatum & mortem, vitæ æternæ, in qua perfecta erit renovatio totius hominis, & ab omni peccato liberabimur, ut non ſolum non regnet in nobis, ſed & plane non

ſit

sit in nobis. Adpellat corpus mortis, quia propter peccatum adhuc in nobis habitans subjecti sumus morti, quæ non solum definienda est destructione corporis, sed etiam dolore ac miseria animæ, e proprio suo domicilio egredi compulsæ. Chrysostomus serm. XIII. in epist. ad Rom. *Cum audis, quod dicit:* Quis me eripiet de corpore mortis hujus? *noli putare, quod carnem accusat.* Augustinus lib. I. de nupt. & concup. c. 13. *Ad corpus mortis hujus intelligitur pertinere, ut alia lex in membris repugnet legi mentis, dum caro concupiscit adversus spiritum, etsi mentem non subjuget, quia & spiritus concupiscit adversus carnem.* Ubi observa juxta Augustinum, per *carnem, membra, corpus mortis*, &c. idem hic intelligi, quod Gal. V. per carnem spiritui repugnantem intelligitur. Jam vero fatetur Bellarminus Gal. V. *nomine carnis totum hominem, quatenus adhuc nondum plene renovatus est, intelligi, id quod etiam res ipsa demonstrat; negari enim nulla veritatis specie potest, etiam renatos a carne solicitari ad hæreses, superbiam, avaritiam &c.* 5.) *Nomine mentis intelligit apostolus interiorem hominem, quo nomine anima intelligitur.* 2 Cor. IV. *nomine exterioris hominis corpus.* Resp. interiorem illum hominem de die in diem renovari pronunciat apostolus, utique ergo nondum plene renovatus, & in quantum nondum renovatus, in tantum adhuc sub vetustate (& sub peccato) constitutus, ut recte colligit Augustinus lib. II. de peccat. merit. & remiss. c. 7. Per carnem ipse Bellarminus intelligit non solum corpus, sed etiam inferiorem animæ partem, jam vero illa inferior pars est realiter unum cum ipsa anima ἀμερίστῳ καὶ ἀθανάτῳ, quomodo igitur carnem & exteriorem hominem, Rom. VII. & 2 Cor. IV. esse ἰσοδυναμοῦντα obtinebit? 6.) *Caro, cum in malam partem usurpatur, non nisi impiis tribuitur.* Resp. an non diserte apostolus Rom. VII. 14. *ego adhuc carnalis sum?* Galat. V. 17. (in ipsis renatis) *caro concupiscit adversus spiritum.* Quamvis igitur renati sint per Spiritum sanctum a reatu peccati & carnis dominio liberati; (quo respectu in carne esse negantur) tamen ex parte sub carnis infirmitate adhuc laborant, & ad perfectam renovationem adhuc consequendam adspirant; (quo respectu carnales dicuntur.) 7.) *Augustinus itidem nomine carnis intelligit tantum corpus & partem inferiorem.* Resp. Lib. II. de pecc. merit. & remiss. c. 7. diserte scribit, *excepto etiam corpore in ipso animo, qui est homo interior, non fieri perfectam novitatem, ac veterem hominem intrinsecus exui, novum intrinsecus indui.* lib. VI. contra Jul. c. 5. *Motibus suis anima, quos habet secundum spiritum, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum carnem, & rursus motibus suis, quos habet secundum carnem, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum spiritum, & ideo dicitur* caro concupiscere adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. *Sed propter hoc & de ipsa anima dictum est:* renovatur de die in diem. Sufficit nobis, juxta Augustinum lib. XIV. de civit. Dei c. 2. & alibi passim, *carnis* nomine Gal. V. totum hominem, quatenus sub peccati jugo adhuc constitutus est, intelligi; jam vero ab illa concupiscentia carnis etiam in superioribus animæ viribus renati nondum sunt plene ac plane liberi: utique ergo nomine *carnis* Rom. VII. itidem totus homo intelligitur, cum in persona renatorum apostolus ibi loquatur. Ac ne ullum hac de re supersit dubium, urgemus sequentia argumenta: 1.) Ubicunque scriptura *carnis* nomine describit naturæ humanæ corruptionem per peccatum introductam, intelligitur omnium animæ partium corruptio & contaminatio: jam vero nomine *carnis* Rom. VII. describitur humanæ naturæ corruptio per peccatum introducta & ex peccato relicta; ergo. &c. 2.) Apostolus de renatis testatur 1 Cor. III. & VI. quod corpora ipsorum sint *templa Spiritus sancti*, non minus ut hoc loco Rom. VII. mente ipsos legi Dei servire dicit. Ergo non potest tale inter corpus & mentem renatorum discrimen constitui, quasi mens tota renovata sit, & totum corpus sub vetustate adhuc constitutum, sed *carnis, corporis & membrorum* nomine intelligitur *vetus* Adam, totus homo, quatenus adhuc carnalis; nomine *mentis* ac *spiritus* intelligitur *novus* homo, hoc est, itidem totus homo, quatenus renovatus est. 3.) Quando opera

carnis Gal. V. enumerantur, talia carni παθήματα tribuuntur, quæ nec soli corpori, nec inferioribus animæ facultatibus tantum, sed ipsi superiori portioni, ut loquuntur, competunt, ut constat; jam vero de eadem carne renatorum loquitur apostolus Rom. VII. utique ergo nomine *carnis* totus homo, quatenus adhuc nondum plene in omnibus viribus renovatus est, intelligitur. 4.) Illam carnem apostolus intelligit, Rom. VII. cui postea c. VIII. 6. & 7. τὸ φρόνημα adscribit; jam vero φρονεῖν est superioris animæ facultatis proprium: ea igitur *carnis* appellatione itidem comprehenditur. 5.) Quicquid adhuc in renatis indiget renovatione, id nomine *carnis* Rom. VII. intelligitur. *Connexio* patet, quia carnis nomine non ipsa substantia, sed vetustas carnis renovanda accipitur. Jam vero renati indigent adhuc renovari Spiritu mentis Eph. IV. 23. Ergo carnis nomine ipsa quoque mens renatorum intelligitur, nimirum quatenus adhuc nondum plene renovata est. Hæc opponenda sunt Stapletono, qui in antidot. cap. VII. Rom. p. 419. hanc sententiam nostram vocat *profanam & inauditam verborum novitatem*, p. 410. *absurdum esse* addit, ac tragice eam exagitat. Vidit Bellarminus, ex ipso textu sententiæ nostræ argumenta peti posse, ideo addit: *Etiamsi cogeremur nomine* carnis *intelligere omnes animae potentias, tamen omnino dicendum esset, nomen* carnis *in justificatis non pertinere ad voluntatem, sive mentem, nisi quoad primos quosdam motus indeliberatos, sed nec superior animae pars peccati proprie dicti capax, ut praevenit suo motu judicium rationis; cum non possit esse justitia in parte animae inferiore vel etiam superiore, ut praevenit judicium rationis. Ergo nec peccatum proprie dictum in ea erit.* Resp. quo ergo relegabitur peccatum originale in infantibus, qui nondum habent rationis usum? & quid sibi volunt hæc verba, (partem animæ inferiorem, ut & superiorem) quatenus suo motu judicium rationis prævenit, non esse capacem justitiæ? An non originalis justitiæ pars erat promtissima illa inferioris partis erga superiorem subjectio, atque omnium animæ virium cum lege conformitas? utique!

§. LXXV. IV. Rom. VIII. 1. *Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu. Ubi Apostolus dicit, etiamsi renati concupiscentiam sentiant, tamen nihil in eis esse condemnatione dignum.* Resp. de suo hoc addit Bellarminus, quod in renatis nihil sit condemnatione dignum, hoc est, propter quod justo Dei judicio, si remoto gratiæ umbraculo in judicium eos vocare velit, condemnari possint. Apostolus hoc non dicit, quia superiori capite in se & omnibus renatis peccatum adhuc habitare pronunciaverat, quod hic non negat. Sed οὐδὲν κατάκριμα illis metuendum pronunciat, hoc est, negat concupiscentiam tale peccatum in illis esse, quod actu eos reos ac damnationi obnoxios reddat, nimirum quia sunt in Christo, hoc est, per fidem hujus peccati condonationem impetrant, & quia non ambulant secundum carnem, sed secundum spiritum, hoc est, quia concupiscentiæ dominium non permittunt, sed eam mortificant; inde & ideo non redduntur obnoxii damnationi, cum alias concupiscentia sua natura peccatum sit, & per consequens non remissum nec mortificatum damnationi obnoxium hominem facere possit. Frivolum est, quod Bellarminus regerit, *non opus fuisse ab apostolo doceri, quod renati nondum actu ac re ipsa damnati, cum sententia damnationis feratur demum post hanc vitam.* Resp. utique renati propter adhærens peccatum sententiam damnationis sæpius metuunt, seque propter illud reos iræ divinæ & æternæ damnationis constitui posse agnoscunt; erigendi igitur erant hac consolatione, quod non sint venturi in judicium. *Qui non credit, jam judicatus est*, dicit Christus Joh. III. 18. manifestatio interim extremo judicio reservatur: eodem modo res se habet cum renatis, in illis οὐδὲν κατάκριμα, id quod ultimo demum die manifestabitur. Maneat ergo firmum fixum, in renatis nihil damnationis esse ob concupiscentiam, cujus motibus repugnant, non quod sua natura non sit peccatum damnatione dignum, sed quia propter Christum reatus ejus dimittitur. Bellarminus hoc impugnat multis modis: 1.) *Reatus est peccati formale, sub-*

Rom. VIII. Nihil damnationis in his, qui sunt in Christo.

sublato ergo in baptismo concupiscentiae reatu, utique concupiscentia definit esse peccatum. Respond. forma proprie dicta concupiscentiæ & omnis peccati est ἡ ἀνομία, deflexio a norma legis. Quando Philippus & alii *formale* peccati dicunt esse reatum, non accipiunt formam ἀνομίας, sed loquuntur de peccato, ut consideratur in prædicamento relationis. Reatus proprie loquendo non est forma, sed proprium consequens peccati, ut in prædicamento qualitatis consideratur. Adde, quod reatus non tollatur ab ipsa concupiscentia, sed a persona; qua de re sic scribit Augustinus lib. VI. contra Julian. c. 6. *Tollitur in baptismo reatus peccati, non reatus ejus, (concupiscentiae,) quo ipsa rea erat, neque enim aliqua persona est, sed quo reum hominem originaliter faciebat, remissus fuit atque vacuatus.* Absit autem, ut dicamus, eam sanctificari, cum qua necesse habent regenerati, si non in vacuum gratiam Dei susceperint, interno quodam bello tanquam cum hoste confligere. 2.) *Reatus est omnino inseparabilis ab eo, quod sua natura dignum aeterna damnatione, cum sit meritum pœnae.* Resp. reatus non tollitur a concupiscentia, sed ab homine. Concedit Bellarminus, Deum odisse concupiscentiam, & tamen renatos, in quibus est concupiscentia, non odisse. Eodem modo nos dicimus, concupiscentiam esse rem sua natura damnatione dignam, & tamen renatos propter eam non damnari. Propria adjuncta non separantur a re, quoad potentiam, bene tamen quoad actum respectu divinæ potentiæ. Sic ergo etsi concupiscentia actu non damnet renatos, damnare tamen posset, si in se & per se consideratur. Veteres hic utuntur exemplo Cananæorum, quorum jugum & imperium abstulerat Deus a cervicibus Israëlitarum, nec tamen reliquias eorum universas penitus deleverat, sed in materiam continui exercitii ad securitatem Israëlitarum præcavendam eos superstites reliquerat. Bernhardus serm. de cœna Domini: *Licet damnationem abstulerit Christus, tamen ad humiliandos nos peccatum adhuc patitur in nobis, & graviter nos affligere, ut sentiamus, quid gratia nobis praestet, & semper ad illius gratiae auxilium recurramus.* 3.) *Deus nunquam remittit reatum, dum manet ejus fundamentum, quia judicium ejus secundum veritatem.* Resp. quemadmodum peccata impiorum prætereunt *actu*, remanent *reatu:* (teste Augustino lib. I. de nupt. & concup. cap. 26.) ita vicissim renatorum peccata transeunt *reatu, actu* manent. Cum Davidi reatus adulterii dimitteretur, ipse tamen actus non auferebatur, pugnat cum veritate Dei, factum non esse, quod vere factum est. 4.) *Apostolus hanc suam conclusionem deducit ex superioribus, in quibus dixerat, motus concupiscentiae non esse voluntarios, nec peccata.* Resp. posterius nusquam dixit, sed quia in ultimo vers. præcedentis cap. dixerat, renatos per Dei gratiam in Christo impetrata peccatorum remissione & per Spiritum regeneratos ac renovatos carne tantum servire peccati legi, non autem mente; ideo addit, nihil condemnationis (vel ut græca habent, nullam condemnationem) illis esse, quod probat iterum dupliciter: 1.) quia sunt in Christo, videlicet per fidem: 2.) quia non ambulant secundum carnem, sed secundum spiritum.

In baptismo perfecte remittitur peccatum.

§. LXXVI. V.) *Scriptura docet, per baptismum fieri veram peccatorum remissionem, ita, ut non solum condonetur debitum pœnae, sed etiam maculae abluantur, purgentur, deleantur, tollantur.* Resp. de hoc argumento in tractatu de baptismo dicendum erit, hac vice breviter respondemus. *Baptismus est lavacrum regenerationis & renovationis:* Tit. III. 5. per regenerationem obtinemus remissionem peccatorum, gratiam Dei, υἱοθεσίαν, hæreditatem vitæ æternæ, &c. hæc omnia vere & perfecte nobis obveniunt. Renovatio itidem vera est, sed non statim perfecta; diserte enim apostolus 2 Cor. IV. 16. *Interior noster homo de die in diem renovatur.* In baptismo abluimur & sanctificamur; 1 Cor. VI. 11. nihilo tamen minus mundare nos jubemur ab omni inquinamento carnis & spiritus, ac sanctificationem perficere, 2 Cor. VII. 1. qua de re plura suo loco.

§. LXXVII. *Alteram* argumentorum classem petit Bellarminus ex dictis patrum, de quibus ita statuimus: 1.) Hoc probandi genus secundarium est. 2.) Pro nostræ sententiæ confirmatione perspicua & evidentia in illis occurrunt testimonia. 3.) Augustinus veterum sententias libro II. contra Julianum collegit, ex quibus de antiquitatis sententia facile judicari potest. 4.) Ante exortum pelagianum certamen quandoque securius loquuntur patres. 5.) Nomine peccati utuntur in sensu *philosophico*, illud saltem peccatum esse dicentes, quod actu est voluntarium, cum tamen originali peccato hoc non conveniat. 6.) Peccatum sæpius intelligunt, quod *actu* hominem, etiam renatum, iræ Dei & damnationi obnoxium facit, quale peccatum cum concupiscentia in renatis non sit, hoc sensu eam peccatum esse negant. 7.) Alibi vero suam sententiam diserte exponunt, perfectionem ac merita operum repudiantes, ac perfectam legis impletionem in hac vita fieri posse negantes. 8.) Quin etiam cum patres ad populum verba facerent, ea dicebant, quæ utiliora videbantur ad excitandos homines ad bona opera, ut in consimili quæstione fatetur Bellarminus libro II. de grat. & liber. arbitr. capit. 14. col. 628. 9.) Denique tantum abest, ut ea, quæ ex patribus Bellarminus adducit, omnia nobis adversentur, ut etiam diserte nostram quandoque confirment sententiam. Methodius apud Epiphanium hæres. LXIV. dicit, *concupiscentiam in nobis relictam esse ad agonem, ut per eam probemur tanquam aurum in fornace.* Recte, interim sua natura concupiscentia est peccatum, etiam cum diabolo pugnandum, qui tamen peccator maximus. Quid quod verba Methodii nostræ favent sententiæ? *Vides*, inquit, *quod cogitationes propter inhabitans nobis peccatum forinsecus nobis instent, velut canes rabiosi, aut feri, aut audentes latrones, contra nos semper instigati a tyranno ac principe iniquitatis, probantes nos, an resistere ipsis possimus.* Basilius libr. de virgin. *carnis affectus vocat naturales;* (sed intelligit naturam peccato corruptam, in principio enim non erat sic.) Chrysostomus homil. XIX. ad populum Antiochen. *Concupiscere naturale est; male concupiscere voluntatis.* Homil. XIII. Rom. *Ipsae passiones in se peccatum non sunt, effrenata vero ipsarum immoderantia peccatum est.* (Quis hoc negat? distinguimus ipsi inter passiones naturales & inter vitia sive immoderantiam passionum.) Auctor operis imperfect. in Matthæum homil. XII. negat, *carni dictum esse:* non concupisces. (ejus auctoritatem Bellarminus ipse passim elevat) Cyrillus IV. in Joh. cap. 51. *voluptatem quandam peccatum* dicit *praecurrere*; (sed ex eo nondum sequitur, ipsam illam inordinatam voluptatem nullo modo peccatum esse.) De reliquis idem judicium, distinguunt peccatum actuale mortale a peccato originali & veniali. Ex Augustini tomis omnibus probare conatur Bellarminus, quod *negaverit, concupiscentiam esse peccatum.* Resp. diserte se ipsum expositit lib. I. de nupt. & concup. cap. 25. *Si quaeritur, quomodo concupiscentia carnis manet in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum, quandoquidem per ipsam seminatur, & cum ipsa carnalis gignitur proles parentis etiam baptizati, aut certe si in parente baptizato potest esse & peccatum non esse, cur eadem ipsa in prole sit peccatum? ad haec respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renovatione interioris hominis de die in diem; non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus aut spiritus, sed adfectio est quaedam malae qualitatis, sicut languor.* cap. 26. *Sicut eorum peccatorum, quae manere non possunt, quoniam, cum fiunt, praetereunt, reatus tamen manet, &, nisi remittatur, in aeternum manebit: sic illius, quando remittitur, reatus aufertur, hoc est enim, non habere peccatum, reum non esse peccati. Sicut peccata actualia praetereunt actu, manent reatu:* capit. 27. *sic e contrario fieri potest, ut etiam illud (originale) maneat actu, praetereat reatu. Agit enim aliquid concupiscentia carnis, & quando non exhibetur ei vel cordis adsensus, ubi regnet, vel membra velut arma, quibus impleatur, quod jubet: agit autem, quid nisi ipsa desideria mala & turpia? non enim si bona*

bona & licita essent, eis obedire prohiberet apostolus. cap. 29. *Multum boni facit, qui facit, quod scriptum est:* post concupiscentias non eas, *sed non perficit, quia non implet, quod scriptum est:* non concupisces. Observa contra sophisticam Bellarmini: (qui statuit, Augustino plane id non esse peccatum, quod non facit hominem actu reum,) 1.) Quod Augustinus ideo peccatum originale a parentibus etiam baptizatis in sobolem propagari contra Pelagianos docet, quia manet in eis concupiscentia, licet in peccatum non imputetur; utique ergo sua natura est & manet peccatum, alias liberi baptizatorum non nascerentur peccato obnoxii. 2.) Quod illam infirmitatem in renatis manentem nominet adfectionem malæ qualitatis, & desideria ejus mala turpia ac illicita, legi Dei repugnantia, quam esse peccati proprie dicti descriptionem negari nequit, cum omne turpe, illicitum & a legis norma deflectens sit peccatum. 3.) Quod conferat invicem remissionem originalis & actualium peccatorum. Ut ergo in remissione actualium peccatorum ita reatus eorum solvitur, ut non desinant esse id, quod actu sunt; neque enim adulterium Davidis desinit esse ἀνομία, si vel maxime remittatur: ita quoque in remissione originalis concupiscentiæ ita solvitur reatus, ut non definat id esse, quod sua natura est, videlicet ἀνομία & peccatum. Quotiescunque ergo Augustinus concupiscentiam peccatum esse negat, intelligit peccatum tale, quod actu nos (renatos) reos & damnationi obnoxios faciat. Sic lib. VI. contra Julian. cap. 5. dicit, *justificatos carere omni peccato, non autem omni malo.* Quale vero malum intelligat, ibidem exponit: *Tale ac tam magnum malum, tantum quia ineſt, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illa, quae fit in baptismo, remissione omnium peccatorum solveretur?* Ibidem. *Omni peccato caret, non omni malo; quod planius ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis: nunquid caret corruptione corporis? nunquid caret ignorantiae malo, per quod a nescientibus innumerabilia perpetrantur mala?* (hæc ignorantia utique est malum culpæ, quia Augustinus illi tribuit, quod per eam non percipiantur ea, quæ sunt Spiritus Dei.)

§. LXXVIII. *Tertia* classis continet varias rationes. I.) *Baptismus liberat ab omnibus peccatis, & tamen non liberat a concupiscentia.* Respond. de hoc argumento dicetur in tractatu de baptismo. II.) *Concupiscentia est effectus & poena peccati originalis. Ergo non est ipsum peccatum originale.* Respond. Augustinus lib. V. contra Julian. capite 3. diserte scribit, *concupiscentiam esse & peccatum & poenam peccati.* Pœna peccati est, respectu actualis peccati ab Adamo commissi. Peccatum est, quia, ut in nobis hæret, repugnat legi Dei. Punit Deus peccata peccatis, fatente Bellarmino libro II. de stat. peccati cap. 14. col. 174. Lusus igitur est in voce *originalis peccati*, qua intelligitur in antecedente peccatum *actuale Adami*, quod fuit origo corruptionis illius, quæ naturam humanam infecit: in consequente intelligitur ipsa corruptio *nobis inhaerens*, ab Adamo in nos traducta. *Concupiscentia* etiam vocula ambigua est, ea enim quandoque intelligitur vitiosus concupiscentiæ habitus, qui est ipsum originis peccatum, quandoque vero pravi ejus motus ac desideria, qui sunt pœna originalis peccati. III.) *Si homo non nasceretur ex Adam, & tamen haberet concupiscentiam, quam nunc habet, non posset in eo concupiscentia proprie vocari peccatum. Ergo non est ex se & sua natura peccatum. Antecedens probatur auctoritate Augustini* lib. III contra Julian. cap. 12. Respond. Augustinus ibi Juliani Pelagiani objectionem recitat, eandemque refellit. Quod ergo Bellarminus ex Juliani sermone de diabolo hominem creante recitat, a mente atque auribus piorum abhorret, nec ab Augustino ullibi conceditur. Præterea si concupiscentia mala naturalis res est, quare non habuit locum in Christo, nec habebit in vita æterna? IV.) *Concupiscentiae primi motus non sunt peccatum. Ergo nec ipsa concupiscentia habitualiter inhaerens peccatum erit. Antecedens probatur, quia*

Rationes, concupiscentiam peccatum non esse, φαινομένως probantes.

in pueris, amentibus & dormientibus peccatum non est illa prava concupiscentia, teste Augustino lib. X. confess. cap. 30. Prospero lib. III. de vit. contempl. cap. VI. Ambrosio. lib. I. de offic. cap. 21. *At non est etiam in potestate virorum sapientium & vigilantium, non habere primos illos concupiscentiae motus. Ergo illi non sunt peccata.* Resp. hac ratione denuo aboletur originale peccatum. Si enim id non est peccatum, quod vitare non est in nostra potestate; infantes peccato originali obnoxii non erunt. *Per legem est peccati cognitio*, Rom. III. 20. Non autem ex mensura virium nostrarum legis sententia æstimanda est. Si in concreata integritate primi homines perstitissent, in ipsorum & posterorum potestate fuisset, pravos concupiscentiæ motus non habere, quod in illam ἀδυναμίαν implendi legem inciderint, divinæ legis perfectioni nihil derogat. Anshelmus de conceptu virgin. cap. 28. *Deus recte exigit a natura, quod ei debit, & quod sibi juste debetur. Si quis vir & uxor ejus ad magnam quandam dignitatem vel possessionem nullo suo merito, sed sola gratia provecti, simul crimen grave inexcusabiliter committunt, & pro eo juste dejiciuntur, & in servitutem rediguntur, quis dicet, filios, quos post damnationem genuerunt, eidem non debere subjacere servituti?* Apud eundem lib. I. cur Deus homo cap. 24. Boso quærit: *Si non potest homo debitum reddere, quomodo injustus est debitum non reddendo?* cui resp. Anshelmus: *forsitan si nulla est in illo impotentiae causa, aliquatenus excusari potest, sed si in ipso impotentiae est culpa, sicut non levigat peccatum, ita non excusat non reddentem debitum, sicut si quis injungat servo suo aliquod opus, & ei praecipiat, ne dejiciat se in foveam, quam illi demonstrat, unde ullatenus exire possit.* Quæ de possibilitate implendi legem Bellarminus annectit, suum habebunt alibi locum. Augustinus lib. X. confess. c. 30. illos concupiscentiæ in somno motus diserte vocat *turpitudines*, & ab illis liberari ingemiscit. V.) *Si concupiscentia peccatum est, & in justificato manet, sequitur, quod Christus non vere, sed imputative tantum a peccatis nos redemerit, & quod diabolus Christo potentior sit.* Resp. hac de re plura dicemus in articulo de justificatione. Breviter: malitiosa est oppositio inter *veram* & *imputatam* justitiam. Nonne apostolus diserte dicit, quod *fides imputetur credenti ad justitiam?* Rom. IV. 5. num hanc justitiam dicit Bellarminus non esse veram? Vere Christus & perfecte nos liberavit, vere & perfecte redemit; nemo nostrum unquam dixit, Christum *imputative* nos redemisse; hoc vero dicimus, justitiam Christi nobis imputari, quæ imputatio per fidem tam vera est, quam vere Christus peccata nostra in se susceperit. Ergo vere justificamur & redimimur, vere Christus diabolo potentior, quia remissio peccatorum, quam fides in Christi merito quærit & adprehendit, vera ac perfecta est; ipsa interim renovatio in hac vita nunquam ita perfecta est, quin quotidie debeat crescere, quod apostolus diserte adserit. Neque ex illa renovationis in hac vita imperfectione sequitur, vel Christum non vere nos redemisse, vel diabolo inferiorem esse, sed elucet inde atrocitas peccati tam arcte nobis inhærentis, ut non possit venenum hoc prius extergi, quam in minutissimos cineres hæc caro peccati & hoc corpus mortis redigatur. Vide Augustinum lib. VI. contra Julian. cap. 56. *Fieri nequit, ut, qui sunt vere iniqui & peccatores, non sint etiam rei irae divinae.* Resp. distinctio inter *mortalia* & *venialia* delicta hoc rectissime expedit, de qua inferius disputabitur.

An actus exterior peccati habeat malitiam propriam.

§. LXXIX. Hæc dicta sunt de prava concupiscentia in renatis, (quæ est *absconditum illud peccatum, quod Deus collocat in lumine vultus sui* Psalm. XC. 8.) & in universum de interioribus peccatis. Exteriora delicta vel in gestibus, vel in verbis, vel in factis consistunt, juxta explicationem quinti præcepti a Christo traditam. Matth. V. 21. & 22. Quærunt hoc loco Scholastici: *An actus exterior, qui a voluntate imperatur, habeat bonitatem vel malitiam propriam, propter quam magis, quam solus interior voluntatis actus, in peccatum imputetur?* Scotus in Quodlib. q. XVIII. adfirmat; nititur autem his fundamen-

damentis: 1.) *distinctis praeceptis hi actus prohibentur, exterior quidem in septimo, sed interior in decimo;* 2.) *alia integritas eorum, quae secundum rectam rationem debent convenire actui interiori, & eorum, quae actui exteriori;* 3.) *gravius punitur actus interior & exterior simul, quam unus per se.* Sed Biel II. sent. dist. 42. q. 11. secutus suum Occamum quodlib. I. q. 1. q. 20. & quodlib. III. q. 14. ac Gregorius de Arimino negat, *aut enim illa bonitas esset ipse actus exterior, aut aliquid superadditum; non primum, quia idem actus exterior potest primo esse malus & postea bonus: nec secundum, quia illud superadditum non erit nisi respectus conformitatis & dependentiae actus exterioris ad actum interiorem, quia scilicet elicitur conformiter actui interiori, sed hic respectus convenit etiam actui causarum naturalium, ut si voluntas imperet adpropiationem ignis ad candelas.* Ex quo ulterius colligit Biel art. II. *Non esse operationem interiorem voluntatis cum exteriore magis meritoriam vel demeritoriam, quam sit sola interior sine exteriori imperata, stante scilicet aequalitate actus interioris, ut homo volens occidere & occidens non est majori poena dignus apud Deum, quam si vellet occidere, & non occideret, supposito quod voluntatem aeque plenam habeat, quia non majus praemium meretur homo propter voluntatem & opus, quam alius propter aequalem voluntatem sine opere, alias homo invitus posset fieri per alium majoris meriti vel demeriti, cum possit impediri.* Art. III. addit, *hominem plus peccare extensive concomitante exteriori operatione, quam sola interiori voluntate, cum peccet pluribus peccatis, nam tam voluntas interior mala peccatum est, quam etiam operatio exterior imperata.* Thomas. p. II. q. 19. art. 3. distinguit: *Actus interior & exterior, prout considerantur in genere moris,* (ut actus morales) *sunt unus actus; contingit tamen, quandoque actum, qui est unus subjecto, habere plures rationes bonitatis vel malitiae, quandoque unam tantum. Quando exterior actus est bonus vel malus, solum in ordine ad finem, tunc est eadem omnino bonitas vel malitia actus voluntatis & exterioris. Quando autem actus exterior habet malitiam vel bonitatem secundum se, secundum materiam vel circumstantiam, tunc alia bonitas actus voluntatis, alia actus exterioris.* Nos sequimur hic Scotum, cum non ex solo voluntario, sed ex legis norma de actionibus moraliter bonis vel malis sit judicandum.

CAPUT XI.

DE PECCATIS CONTRA DEUM, CONTRA PROXIMUM ET CONTRA NOS IPSOS COMMISSIS.

§. LXXX.

Quædam peccata committuntur contra Deum, quædam contra proximum, quædam contra nos ipsos.

Sequitur tandem *septima* peccatorum divisio ex *objectis* petita. Quædam peccata committuntur contra *Deum*, quædam contra *homines*, idque iterum dupliciter; quædam contra *nos ipsos*, quædam contra *proximum*. Fundamenta hujus divisionis exstant: 1. Sam. II. 25. *Si peccaverit homo in hominem, judices hoc judicant. Si autem homo peccaverit in Deum, quis arbiter erit?* Tit. II. 12. *Vivamus in hoc seculo* σωφρόνως (respectu nostri) καὶ δικαίως (respectu proximi) καὶ εὐσεβῶς (respectu Dei) Num. XXI. 7. *Peccavimus contra Dominum.* Matth. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* Jac. V. 16. *Confitemini invicem peccata vestra.* Triplici omnino obligatione homo tenetur obstrictus, Deo debet obedientiam, proximo beneficentiam, sibi custodiam; utique ergo tribus peccat modis, contra Deum, contra proximum, contra se ipsum, puta *immediate & directe;* nam *mediate* & consequenter peccando contra proximum etiam contra ipsum Deum peccatur, qui dilectionem proximi præcepit; hinc de adulterio suo pronunciat David, quod per illud Domino peccaverit. 2. Sam. XII. 13. Psalm. LI. 6. Quidam tamen non incommode id hoc modo

modo exponunt, quod David hoc suo peccato dederit multis occasionem blasphemandi nomen Domini. v. 14.

Quædam peccata committuntur contra primam, quædam contra secundam tabulam.

§. LXXXI. Adfinis huic divisioni est *octava*. Quædam peccata committuntur contra *primam*, quædam contra *secundam* decalogi tabulam. Fundamentum hujus divisionis exstat in distributione decalogi divinitus facta, qua omnia legis moralis præcepta in duas distinctas tabulas fuere descripta, Exod. XXXIV. 1. Deut. X. 1. quam distributionem confirmant Christus Matth. XXII. 37. 38. 39. & Paulus Eph. VI. 2. De prima decalogi tabula traditur hæc regula: obedientia primæ tabulæ derogat secundæ, quando scilicet simul non possunt servari. De secunda agit hæc regula: mandatum de dilectione proximi simile esse primo; de his in articulo de lege Dei agetur prolixius.

CAPVT XII.

DE PECCATIS IN CORPUS ET EXTRA CORPUS COMMISSIS.

§. LXXXII.

Quædam peccata fiunt extra corpus, quædam in proprium corpus.

Nona peccatorum actualium divisio traditur 1. Cor. VI. 18. *Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat.* Quomodo autem *sola* scortatione in proprium corpus peccatur, cum ebrietate, αὐτοχειρίᾳ & aliis peccatis itidem in proprium corpus peccari videatur? Glossa ordinaria quatuor adfert responsiones: 1.) *Nullum peccatum in tantum dehonestat & coinquinat corpus, ut illud.* 2.) *Omne peccatum est extra corpus, id est, extra uxorem, quae cum viro unum corpus dicitur, praeter istud.* 3.) *Qui criminaliter peccat, fera dicitur, non homo, & extra corpus suum peccat, id est, extra ecclesiam, quia pro venialibus ab ecclesia non separamur: sed qui fornicatur, extra corpus suum peccat, id est, extra ecclesiam, ut ab ea ejiciatur.* (Sed apostolus non loquitur de corpore mystico vel metaphorice accepto, sed de proprio cujusque corpore.) 4.) *Caetera peccata, etsi per corpus gerantur, non tamen animam ita carnali concupiscentiae faciunt obstrictam atque obnoxiam, quemadmodum in solo opere fornicationis corporalis fit.* Lyranus sic commentatur: *Alia peccata communiter inficiunt solam animam, quia non perficiuntur in delectatione corporis, sicut avaritia, odium, invidia & hujusmodi. Sed fornicatio non solum animam, sed etiam corpus inquinat, quia perficitur in delectatione corporali in tantum, quod pro tunc absorbetur intellectus, & efficitur homo quasi equus & mulus. Gula vero licet perficiatur in delectatione corporis, illa tamen delectatio non est ita vehemens, quod absorbeat intellectum. Potest tamen dici, quod apostolus sub fornicatione intelligat etiam gulam, eo quod gula praeparat luxuriae materiam.* Alii quærunt dicti apostolici rationem in eo, quod continua illa cum salacissimis & spurcissimis scortis conversatione extreme perdatur ac evertatur corporis valetudo, cum furore illo libidinis exsugatur sanguis, medulla ossium & ipsum cerebrum, unde postea fœdissimi & gravissimi morbi oriuntur. Eccl. XIX. 3. *Qui meretricibus conversatur, eum caries & vermes occupabunt:* quædam exemplaria græca addunt, καὶ ξηρανθήσεται ἐν παραδείγματισμῷ μείζονι. Frisius part. II. lib. 1. speculi medicinalis c. 9. refert, juvenem quendam Luretiæ in ipso scortationis actu mortuum, in cujus cranio aperto ne minima quidem cerebri particula sit reperta.

Multa Venus vires exhaurit, spiritibusque
Noxia, consumit corpora mille modis,

ut recte canit Eobanus. Hæc verissime de fœdissimo scortationis peccato dicuntur, interim cum & alia peccata corporis valetudinem prosternant, ideo simplicissime ex textu apostolico respondemus, ob id *sola* scortatione in proprium corpus secundum apostolum peccari, quia *qui adhaeret meretrici, fit unum corpus cum ea,* v. 16.

v. 16. *tollit membra Christi, & facit ea membra meretricis* v. 15. Hoc sensu peccatum scortationis in proprium corpus committi apostolus pronunciat, quamvis enim feratur etiam ad scortum, tamen ab eodem in proprium corpus non sine horribili fœditate quasi reflectitur.

CAPUT XIII.

DE PECCATIS CARNIS ET SPIRITUS.

§. LXXXIII.

Quædam sunt peccata carnis, quædam spiritus.

Decimo. Peccata actualia quædam sunt *carnis*, quædam *spiritus*. 2. Cor. VII. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem.* Scholastici hanc divisionem sic exponunt. Peccatum consistit in adpetitu inordinato alicujus boni, in quo habito aliquis inordinate delectatur. Duplex autem est delectatio; *animalis*, quæ consummatur in sola adprehensione alicujus rei ad votum habitæ, & hæc potest dici delectatio spiritualis, ut cum quis delectatur laude humana: alia est delectatio *corporalis*, quæ in ipso tactu perficitur, & potest dici delectatio carnalis. Hos sequitur Bellarminus lib. I. de amiss. grat. & stat. peccati c. 2. *Omnes res, ad quas inordinate convertimur, cum peccamus, aut sunt bona adprehensa sensibus carnis, ut cibus, potus, concubitus: aut intelligentia, ut honor, potestas, divitiæ.* Per conversionem (inordinatam) ad priora fiunt peccata *carnalia*, per conversionem ad posteriora fiunt peccata *spiritualia*. Ambrosius in 2. Cor. XIX. ita legit: *mundemus nos ab omni inquinamento carnis, ut perficiamus sanctitatem*, & ex eo colligit, *omnia vitia esse carnalia*; sed græci Codices constanter legunt σαρκὸς καὶ πνεύματος, ergo & mentem & corpus impollutum servari a renatis, apostolus requirit. Quidam existimant, apostolum respicere ad Corinthiorum excusationem, qui reprehensi, quod interessent idololatricis ethnicorum conviviis, atque ita polluerentur idolorum cultu, responderint, se non eo animo accedere, ut honorem deferant idolis, cum probe sciant, idolum nihil esse, ac proinde se spiritum a pollutione integrum servare: illis ab apostolo hic responderi, quod non satis sit, spiritum a pollutione purum conservare, sed carnem quoque seu corpus impollutum retinendum esse.

CAPUT XIV.

DE PECCATIS MANIFESTIS ET OCCULTIS.

§. LXXXIV.

Quædam peccata sunt manifesta, quædam occulta.

Undecima actualium peccatorum divisio proponitur: 1. Tim. V. 24. *Quorundam hominum peccata manifesta sunt præeuntia damnationi* (αἱ ἁμαρτίαι πρόδηλοι προάγουσαι εἰς κρίσιν, Chemnitius explicat *quæ accelerant pœnas & judicium Dei*) *quosdam vero subsequuntur*, v. 25. *similiter & facta bona ante manifesta sunt*, (πρόδηλα ἔχει) *& quæ aliter se habent, occultari non possunt.* Monuerat apostolus Timotheum, ne peccatis alienis communicaret, hoc est, ne temere ordinaret presbyteros, quorum mores non essent perspecti, hac occasione addit discrimen inter peccata *manifesta* & *occulta*, ut ostendat, se de illis locutum, quorum peccata fuerint patefacta, de occultis ecclesiam non judicare, quæ tamen suo tempore patefactum iri admonet. Porro vox πρόδηλα, v. 25. ostendit, phrasin ἁμαρτιῶν προαγόσων εἰς κρίσιν exponi commodissime de illis peccatis, quæ in sui judicium & condemnationem publica manifestatione nos deducunt, nec ullo teguntur externæ hypocriseos velo, quo minus ea agnoscere, judicare ac detestari possimus.

CAPUT XV.

DE PECCATIS CLAMANTIBUS IN COELUM.

§. LXXXV.

Quædam peccata Deus dissimulat, quædam in cœlum clamant.

Duodecimo. Quædam sunt peccata, quæ Deus longanimitate sua dissimulat, ὑπεριδὼν, ut loquitur apostolus Act. XVII. 30. quædam sunt atrocia delicta in cœlum clamantia, quæ etiam tacentibus hominibus clamant ad Deum & vindictam expetunt. Vulgo quatuor talia numerantur, quæ sequentibus comprehenduntur versiculis:

Clamitat ad cœlum vox sanguinis, (Gen. IV. 10.)
& Sodomorum (Gen. XVIII. 20.)
Vox oppressorum, (Exod. III. 7. XXII. 23.)
merces detenta laborum (Jac. V. 4.)

Hoc sensu quidam accipiunt verba filii prodigi: Luc. XV. 21. *Peccavi pater in cœlum & coram te:* quidam vero concinnius per *metonymiam* accipiunt cœlum pro Deo; *peccavi in cœlum*, id est, in Deum; sicut Christus interrogat Pharisæos, *an baptismus Iohannis fuerit ex cœlo?* Luc. XX. 4. *Deum nomine cœli intelligere, Syriacum est*, ait Angelus Caninius in disquis. de obscur. locis nov. test. Vide Drusium lib. V. observ. sacrarum cap. 11. *Cœlum* (inquit) *pro Deo sumi, e veteribus monumentis dudum observavimus.* Sic 1. Macc. III. 18. οὐκ ἔστι διαφορὰ ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ (*) σώζειν ἐν πολλοῖς ἢ ἐν ὀλίγοις. *Rursus* 1. Macc. IV. 10. καὶ νῦν βοήσωμεν εἰς οὐρανὸν, εἴπως ἐλεήσει ἡμᾶς. *Sed & magistri* (Rabbini) *saepissime ita usurpant, ut cum dicunt, omnia esse in manu cœli. Item, sit timor cœli super vos, & nomen cœli frequens in ore ipsius. Sic: timor hominum, si praevaluerit, excludit timorem cœli.* Hæc Drusius. Quamvis vero quatuor tantum peccata in cœlum clamantia vulgo ita enumerentur, tamen quævis atrocia delicta, quibus mensura iniquitatis impletur, Gen. XV. 16. Matth. XXIII. 32. Amos I. 3. &c. ad cœlum clamare & Dei vindictam expetere recte dicuntur. Rom. VIII. 22. πᾶσα κτίσις συστενάζει dicitur, nimirum propter ἀδελφίαν, qua cogitur impiorum abusui servire. Habac. II. 11. *lapides de pariete clamare* dicuntur, quando cum oppressione pauperum & injustitia domus est exstructa. Eccl. XXXV. 19. *lachrymae viduae in genas ejus defluunt & clamant adversus eum, qui eas evocavit.*

CAPUT XVI.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

§. LXXXVI.

Quædam peccata capitalia, quædam ab illis orta.

Decimotertio. Quædam peccata sunt *capitalia*, quædam *ab illis orta*. Notat Bonaventura lib. II. sent. dist. 42. lit. C. *capitale vitium dupliciter accipi, primo pro eo, quod praecipuum & magnum est in genere vitioso, secundo pro eo, quod est caput & principium aliorum;* hoc modo conciliare conatur diversitatem veterum, quæ in numero capitalium vitiorum apud ipsos occurrit. Gregorius in Exod. *Septem sunt capitalia vel principalia vitia: inanis gloria, ira, invidia, acedia, avaritia, gula, luxuria.* Glossa ordinaria in Prov. VI. enumerat *sex* capitalia vitia. Isidorus in Deut. recenset *octo*. Sufficientiam & numerum capitalium vitiorum ita probat Thomas p. II. q. 84. art. 4. *Illa dicuntur capitalia vitia, quorum fines quasdam habent primarias rationes movendi adpetitum. Est autem triplex hominis bonum, quod adpetitum movet. Est quoddam bonum animae, quod ex sola adprehensione rationem adpetibilitatis habet, sicut excellentia laudis vel honoris, hinc inanis gloria, aliud pertinet ad bonum corporis, idque vel ad conservationem individui, hinc gula; vel speciei, hinc luxuria. Tertium bonum est exterius, scilicet divitiae, & ad hoc ordinatur avaritia. Quod autem aliquis bonum fugiat propter aliquod malum conjunctum (& sic indirecte moveatur ad peccatum) est tripli-*

(*) Alii legunt: τῷ θεῷ τοῦ οὐρανοῦ.

pliciter : aut enim hoc est respectu boni proprii, & sic est acedia, quae tristatur de bono spirituali propter laborem corporalem adjunctum ; aut est de bono alieno, & hoc, si fit sine insurrectione, pertinet ad invidiam, aut est cum quadam insurrectione ad vindictam, hinc ira. Tribuunt autem cuique capitali vitio suas quasi filias. Inanis gloriae dicuntur hae esse filiae ; praesumtio, hypocrisis, pertinacia, discordia, contentio, inobedientia. Irae has adsignant filias, indignationem, tumorem mentis, clamorem, blasphemiam, contumeliam, rixas. Avaritia mater dicitur obdurationis, inquietudinis, violentiae, fallaciae, perjurii, fraudis, proditionis. Gulae adsignantur hae filiae, hebetudo sensus, inepta laetitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia. Luxuria mater dicitur caecitatis, praecipitantiae, inconsiderationis &c. Vide Thomam p. II. q. 118. 132. 153. 158. 168. &c. 1 Joh. II. 16.

tres peccatorum actualium fontes videntur statui: *Quicquid est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitae.* Aug. in Psalm. LXXVIII. *Omnia peccata oriuntur, vel ex cupiditate male incendente, vel ex timore male humiliante.* Distinguunt tamen inter vitia *capitalia*, & inter *radicem* peccatorum. Ut caput notat principale membrum & completum, quod est aliorum principium, quantum ad sensum & motum ; sic capitale vitium notat peccatum completum, a quo omnia alia vitia oriuntur ; radix autem proprie loquendo non notat determinatum genus peccati, sed pronitatem pravae concupiscentiae, quae concurrit ad omne peccatum. Scriptura distinguit inter arborem malam & fructus ejus malos, & incredulitatem adcusat tanquam capitale vitium & omnium reliquorum originem.

CAPUT XVII.

DE PECCATIS, QUÆ ALIIS SUNT GRAVIORA.

§. LXXXVII.

Peccata alia aliis graviora.

Decimoquarto. Peccata alia aliis graviora esse, docet Christus Joh. XIX. 11. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet :* in quem locum sic commentatur Augustinus tract. CXVI. in Joh. *Plus peccat, qui potestati innocentem livore tradit, quam potestas ipsa, si eum timore alterius majoris potestatis occidit.* Ezech. XVI. 47. *Sceleratiora feciſtis illis in omnibus viis vestris.* 1. Tim. V. 8. *Qui suorum curam non habet, infideli deterior est.* 2. Petr. II. 20. *Posteriora fiunt pejora prioribus &c.* Idem etiam probant distincti gradus poenarum, quae peccatoribus olim in die judicii irrogabuntur. Matth. X. 15. *Tolerabilius erit terrae Sodomorum & Gomorrhaeorum in die judicii, quam illi civitati, quae non receperit apostolos.* Matth. XI. 21. *Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam civitatibus Corazin & Bethsaidae.* Luc. XII. 47. *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non praeparavit se, nec fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* v. 48. *Qui autem non cognovit & fecit digna plagis, vapulabit paucis,* Stoicorum & Jovinianorum paradoxum fuit, *omnia peccata esse paria.* Augustinus lib. II. de sentent. Jacobi apost. Hieron. cap. 3. *Illud de inseparabilitate virtutum omnibus philosophis placuit, hoc autem de parilitate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani. Quam eorum vanitatem in Joviniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, in aucupandis autem & defensandis voluptatibus Epicuraeus, de scripturis sanctis dilucidissime convicisti : in qua tua suavissima & praeclarissima disputatione satis evidenter adparuit ; non placuisse auctoribus nostris, vel ipsi potius, quae per eos locuta est, veritati, omnia peccata esse paria.* Campianus Jesuita rat. VIII. *Hunc Stoicorum & Jovinianorum errorem etiam nostris adfricare conatur ecclesiis. Hoc quoque tritum est,* (ait) *in hac fece Protestantium, peccata esse paria, hac trutina non levius in Deum deliquerit ille caupo, qui gallum gallinaceum, quam qui hominem occiderit :* sed ab hac calumnia ipse Bellarminus nos liberat lib. III. de justific. cap. 16.

in princ. *Lutherani non dicunt, quod sciam, virtutes esse pares, aut paria esse peccata, neque negant hominem crescere posse spe, dilectione, aliisque virtutibus.*

§. LXXXVIII. Sunt autem varii modi, quibus unum peccatum efficitur gravius alio, qui tamen omnes ad quatuor classes reduci posse videntur. Gravius enim est peccatum aliud alio 1.) respectu *personae peccantis*. Luc. XII. 47. *Servus sciens voluntatem domini, & non faciens eam, vapulabit multis.* Sap. VI. 7. *Potentes potenter tormenta patientur.*

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

2.) Respectu *personae, quae offenditur*. Sic gravius peccat, qui Deum blasphemat, quam qui homini conviciatur; qui viduas, pupillos, pauperes lædit, quam qui contra alios peccat. Zach. II. 8. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* 3.) Respectu *rei*, cui infertur detrimentum. Sic gravius peccatum est falsare Dei verbum, quam monetam. Qui vitam proximi lædit, gravius peccat, quam qui bona fortunæ ipsi aufert. 4.) Respectu *ipsius peccati*, idque tum ratione *causarum*, tum ratione ipsius *actus*. Sic gravius peccat, qui scienter, quam qui ignoranter peccat. Augustinus libr. IV. contra Donatist. de baptismo cap. V. de grat. & lib. arbit. cap. III. *Peccatum malitiae gravius esse, quam peccatum ignorantiae vel infirmitatis*, demonstravimus thesi 24. Augustinus lib. II. de visit. infirm. cap. 5. *Peccare voluptate gravius est, quam peccare necessitate.* Peccatum *commissionis* gravius esse, quam peccatum *omissionis*, ita probat Thomas p. II. q. 79. art. 4. *Peccatum in tantum grave, in quantum a virtute distat, contrarietas autem est maxima distantia, unde contrarium magis distat a suo contrario, quam simplex ejus negatio, sicut nigrum plus distat ab albo, quam non album; jam vero transgressio contrariatur actui virtutis, omissio importat negationem actus.* Aggravatur etiam peccatum ex continuatione, ex multiplicatione, ex recidivatione, ex peccati defensione vel extenuatione. Sic nocumentum majus efficit etiam peccatum gravius. Thomas p. II. q. 73. art. 3. *Nocumentum se habet tripliciter ad peccatum. Quandoque est praevisum & intentum, tunc directe quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati: quandoque est praevisum & non intentum, ut cum quis transiens per agrum, ut compendiosius vadat ad fornicandum, infert nocumentum his, quae seminata sunt in agro: sic quantitas nocumenti itidem adgravat peccatum, sed indirecte: quandoque nec est praevisum nec intentum, & tunc si per accidens se habeat ad peccatum, non adgravat peccatum directe, sed propter negligentiam considerandi nocumenta, quae consequi possunt, imputantur homini ad pœnam mala, quae eveniunt. Si vero nocumentum per se sequatur ex actu peccati, licet non sit intentum nec praevisum, directe aggravat peccatum, ut si quis publice fornicetur.* Porro quod diximus ratione personæ *peccantis* adgravari peccatum, id hoc modo limitat & confirmat Thomas p. II. quæst. 73. art. 10. *Duplex est peccatum quoddam ex subreptione proveniens propter infirmitatem humanae naturae, & tale peccatum minus imputatur ei, qui est major in virtute, alia peccata ex deliberatione procedunt, & ista tanto magis alicui imputantur, quanto quis major est, propter quatuor causas: 1.) quia facilius possunt resistere peccato, qui excedunt scientia & virtute: 2.) omne bonum, quo aliquis magnificatur, est donum Dei, cui homo fit ingratus: 3.) propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personae, sicut si princeps violet justitiam, qui positus justitiae custos: 4.) propter majus scandalum.* Quod respectu *personae*, in quam peccatum committitur, gravius peccetur, ita probat art. 9. *Persona, in quam peccatur, est quodammodo objectum peccati, prima autem gravitas peccati attenditur ex parte objecti. Ex parte igitur Dei adgravatur peccatum, cui tanto magis aliquis conjungitur, quanto est virtuosior vel Deo carior. Ex parte sui ipsius tanto aliquis gravius peccat, quanto aliquis magis in conjunctam personam seu naturali necessitudine, seu beneficiis, seu quacunque conjunctione peccaverit. Ex parte proximi tanto quis gravius peccat,*

peccat, quanto peccatum plures tangit, ideo peccatum in principem gravius. art. 5. probat, *spiritualia peccata graviora esse, quam carnalia;* 1.) *quia spirituale peccatum plus habet de aversione a Deo:* 2.) *peccatum carnale est in proprium corpus, quod minus diligendum, quam Deus & proximus, in quos peccatur per spiritualia peccata:* 3.) *carnalia peccata habent vehementius impulsivum, videlicet ipsam concupiscentiam connatam.*

CAPUT XVIII.

DE PARTICIPATIONE PECCATORUM ALIENORUM.

§. LXXXIX.

Quædam peccata sunt nostra, quædam aliena, quibus participamus, modis variis.

Decimoquinto. Quædam sunt *nostra*, quædam vero *aliena*, quibus participamus. Fundamenta hujus divisionis exstant in sequentibus scripturæ locis: 1 Tim. V. 22. *Ne communices peccatis alienis* (temere eos ordinando ad sacrum ministerium, quorum eruditio & vita non satis explorata.) Eph. V. 7. *Nolite fieri participes eorum.* v. 11. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed redarguite.* Rom. I. 32. *Qui talia non solum faciunt, sed etiam facientibus consentiunt.* 2 Joh. v. 11. *Qui dicit seductoribus: Ave! communicat operibus eorum malignis.* Apoc. XVIII. 4. *Exite ab ea populus meus, ne participes sitis delictorum ejus.* Modi, quibus alienis peccatis participetur, comprehenduntur his versiculis:

Consulo, præcipio, consentio, provoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed præcipio & defendo aliena.

Omnes hi modi ad duo generalia capita revocari possunt. Reddimur enim participes alieni peccati vel *committendo* vel *omittendo*. Committendo, cum peccati alieni vel auctores sumus vel adjutores, idque 1.) vel *consensu* & adprobatione; cum ea, quæ ab aliis committuntur, nostro comprobamus suffragio; Act. VIII. 1. Rom. I. 32. 2.) Vel *consilio*, cum mali perpetrandi autores sumus ac consultores 2 Sam. XVI. 23. Joh. XI. 49. 3.) Vel *jussione* & mandato, cum vel superiorum decreta in malo perpetrando sequimur, vel alios jubemus malum agere. Exod. I. 16. 2 Reg. XI. 15. Matth. II. 16. Joh. XIX. 16. 4.) Vel *excusatione* ac defensione, cum mala aliorum facta defendimus. Esa. V. 20. Ezech. XIII. 18. 5.) Vel quacunque criminis & commodi ex eo *participatione*, ut cum in partem lucri ex furto recipi nos patimur. Psalm. L. 18. &c. Omittendo, cum officium nostrum, quo peccata reprehendi ac puniri debebant, negligimus, quod fit intempestivo silentio, conniventia, ac nimia lenitate Ezech. III. 17. XXXIII. 7. Esa. LVIII. 1. &c.

CAPUT XIX.

DE PECCATIS VENIALIBUS (*) AC MORTALIBUS.

§. XC.

Quædam peccata venialia, quædam mortalia.

Decimosexto. Ex accidenti quædam peccata sunt *venialia*, cum sua natura omnia sint *mortalia* (rectius mortifera.) Gravis hac de re adversaria nobis cum Scholasticis & Pontificiis constituta, qui statuunt, quædam peccata sua natura venialia esse, quod ut rectius intelligatur, audiamus ipsorum verba. Thomas p. II. q. 77. art. 8. *Veniale peccatum dicitur tripliciter: Uno modo ex causa, quod scilicet habet causam veniae, quae*

(*) Nemo facile negaverit, adpellationem peccati *venialis*, inde ab ævo Scholasticorum in theologorum scholis receptam, esse valde ambiguam. *Vel* enim per *veniale* intelligitur id, quod

diminuit peccatum, & sic peccatum ex ignorantia dicitur veniale. 2.) *Ex eventu, sicut omne peccatum per pœnitentiam fit veniale, hoc est, veniam consequitur.* 3.) *Ex genere, sicut verbum otiosum.* (de hac tertia venialis peccati specie tota quæstio est, non de prioribus) quæst. 88. art. 1. *Peccatum mortale dicitur ad similitudinem morbi, ex eo, quod inducit defectum irreparabilem per destitutionem alicujus principii. Principium autem spiritualis vitae est ordo ad ultimum finem, qui si destitutus fuerit, reparari non potest per principium intrinsecum, sed solum per virtutem divinam. Peccata autem, quae habent inordinationem circa ea, quae sunt ad finem, conservato ordine ad ultimum finem reparabilia sunt, sicut error, qui accidit circa conclusiones per veritatem principiorum. Venialiter igitur peccans, non facit, quod lex prohibet, nec praetermittit id, ad quod lex obligat, sed facit praeter legem.* art. 2. *Veniale ex genere est, quando voluntas fertur in id, quod continet in se quandam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei & proximi, ut verbum otiosum. Contingit autem, ut id, quod est peccatum veniale ex genere, ratione sui objecti fiat mortale ex parte agentis, vel quia in eo constituit finem ultimum, vel quia ordinat ipsum ad aliquid, quod est peccatum mortale, ut verbum otiosum ad adulterium. Similiter ex parte agentis contingit, ut aliquod peccatum, quod ex suo genere est mortale, fiat veniale, propter hoc, quod est actus imperfectus, ut subitus motus infidelitatis.* Hæc Thomas, quæ ex eo repetit Bellarminus lib. I. de amiss. grat. & stat. pecc. cap. 3. ubi ea, quæ sua natura dicuntur venialia peccata, ita dividit, *ut quaedam* dicat esse *venialia ex suo genere*, (quæ habent pro objecto rem malam & inordinatam, sed quæ caritati Dei vel proximi non repugnet) *quaedam vero ex imperfectione operis*, (quæ ex suo genere mortalia esse possunt, tamen ob imperfectionem operis efficiuntur venialia, in quibus sola operis imperfectio hoc efficit, ut cum caritate non pugnare judicentur.) Posterioris generis venialia peccata iterum statuit duplicia: *quaedam dicuntur venialia*

quod ex se & sua natura *venia dignum est*. Quo vero sensu nullum peccatum veniale esse, sed mortalia omnia, præeunte scriptura sacra omnes docent theologi protestantes, secus sentientibus cœtus Romani doctoribus, contra quos in hocce capite disputat b. GERHARDUS noster. *Vel* per το *veniale* denotatur id, cujus *veniam possumus impetrare* per seriam pœnitentiam. Hoc sensu si vox accipiatur, tollitur distinctio inter peccata *venialia* & *mortalia*. Omnia enim peccata sunt venialia, quamdiu homo inter vivos versatur, gratiæque divinæ particeps fieri potest; si a solo peccato in Spiritum S. discesseris. Vel denique id adpellamus peccatum *veniale*, cujus *veniam statim impetramus*. Atque hic postremus significatus adoptatur a nostris theologis, quando peccata dispescunt in *venialia* & *mortalia*. Distinguunt quoque iidem inter peccatum consideratum *abstracte*, *formaliter* & *causaliter*, seu quatenus est ανομια, quo sensu nullum datur peccatum veniale, sed omnia sunt mortalia; & consideratum *subjective*, scilicet respectu certi cujusdam *subjecti*, h. e. personæ regenitæ, quo respectu quædam peccata evadunt venialia, non ob naturam peccatorum in se consideratam, sed quia persona levius peccans Deo per Christum est reconciliata, peccata in carne sua habitantia probe agnoscit, atque de iis serio dolet.

Quum vero, prout modo ostendimus, adpellatio peccati *venialis* ambiguitate laboret, insimulque propter adversarios valde sit incommoda, nec *venia* aperte morti sit opposita, sed *mori* & *non mori* vere sibi opponantur, eorum nobis præferenda videtur sententia, qui dicunt, alia peccata esse *ad mortem*, alia *non ad mortem*. Ita enim rectissime apertissimeque constat *oppositio*. Habet quoque hæc distinctio suum fundamentum, idque firmissimum, in testimonio apostoli Joannis *1 ep. V. 16.* ubi quidem per peccatum *ad mortem* universum genus peccatorum *malitiae* ab hominibus irregenitis perpetratorum; per peccatum vero *non ad mortem*, universum genus peccatorum *infirmitatis* ab hominibus regenitis commissorum, denotatur; prout recte observavit ROMANUS TELLERUS, eximius quondam Lipsiensium theologus, in *animadvers.* ad HOLLAZII *exam. theolog. p. 549.*

lia ex subreptione: (quæ non sunt perfecte voluntaria, ut subiti motus cupiditatis, iræ &c. qui prius in animo existunt, quam ratio plene deliberare potuerit, essent nec ne admittendi, qui quidem & peccata sunt, cum præveniri aut continuo repelli potuissent, si ratio vigilasset: & tamen venialia sunt, cum pleno voluntatis assensu caruerint) *quaedam vero ex parvitate materiae* (quæ in re parva ac levi committuntur, ut furtum unius oboli, quod neque proximum notabiliter lædit, neque tale est, ut apud æquos homines amicitiam tollere queat.) Capit. IX. se ipsum sic explicat, *quod peccatum veniale ex sua natura distinguatur a mortali sine ulla relatione ad Dei misericordiam vel statum renatorum, & sit ejusmodi, ut pœnam quidem mereatur, sed non aeternam; & Deum offendat, sed non usque ad amicitiae dissolutionem.*

§. XCI. De remissione peccati venialis varie disputant. Scotus IV. dist. 21. statuit, quod *remissio venialis peccati nihil aliud sit, quam solutio pœnae temporalis pro eo debitae.* Alii contra statuunt, quod remissio cujuscunque peccati distinguatur a remissione pœnæ, ideoque remissionem peccati venialis fieri per aliquem actum, qui Deo magis sit acceptus, quam veniale peccatum displiceat. Hinc ulterius inferunt, non esse necessarium, agere pœnitentiam de venialibus. Sic enim Biel IV. sent. dist. 16. q. 5. art. 2. *Ad remissionem peccati venialis non requiritur pœnitentia proprie accepta, nec actualis, nec habitualis, nec sacramentalis, quia manens in veniali usque ad mortem non damnatur, sed tandem salvabitur; remittitur autem veniale per satispassionem in purgatorio, item per actum ferventem caritatis consumitur, sicut aqua per ignem.* art. 3. *Accipiendo tamen pœnitentiam large pro cessatione voluntatis ab actu complacentiae in peccato, utique etiam ad venialia requiritur talis pœnitentia.* articul. 4. *Non solum per actum displicentiae, sed per omnem actum meritorium veniale peccatum remittitur, maxime dum ad ejus remissionem ordinatur, quia omnis actus meritorius est satisfactivus pœnae temporalis. Ergo etiam pro peccato.* Idem distinct. eadem quæst. 6. *Per quodlibet opus meritorium remittitur veniale peccatum: specialiter tamen aliqua opera adsignantur, comprehensa hoc versiculo: Orans, (dominicam orationem) tinctus, (aqua benedicta) edens, (eucharistiam) confessus, (sacramentaliter vel confessione generali) dans eleemosynam (corporalem) benedicens (sumens benedictionem (episcopalem). Quia 1.) illi modi specialiter incitant liberum arbitrium ad detestationem peccati, per quam efficacius remittitur: 2.) in illis concurrunt oratio & meritum ecclesiae: 3.) illa frequentius ex intentione ecclesiae, vel agentis ordinantur ad remissionem venialis: 4.) reliqui modi ad illos reducuntur.* Hactenus Biel. Ex jure canonico quidam colligunt duodecim modos remissionem venialium impetrandi, videlicet dignam communionem, aquæ benedictæ adspersionem, eleemosynarum largitionem, injuriarum remissionem, orationem præsertim dominicam, confessionem generalem, episcopalem, sacerdotalem ut & monialem benedictionem, devotam pectoris tunsionem, cordis contritionem, extremam unctionem, patientiam flagellorum, & quodlibet opus bonum. Quidam octo remedia venialium peccatorum agnoscunt, quæ sequentibus versiculis includuntur:

Confiteor, tundo, conspergor, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per haec venialia pono.

Fundamenta & sufficientiam horum remediorum contra venialia delicta ita probat Thomas part. III. q. 87. art. 3. *Ad remissionem peccati venialis non requiritur novae gratiae infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo homo detestetur peccatum vel explicite, vel implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Ergo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum: 1.) in quantum in eis fundatur gratia, quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata. Sic Eucharistia, extrema unctio & alia sacramenta. 2.) In quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris, oratio dominica operantur ad remis-*

remissionem venialium. 3.) In quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum & res divinas, hoc modo episcopalis benedictio, adspersio aquae benedictae &c. operantur ad peccatorum istorum remissionem.

§. XCII. Pharisaicae huic peccatorum extenuationi, legis divinae depravationi, ejusdemque cum evangelio confusioni, ad patrocinium propriae justitiae excogitatae & in Christi sanguinem, qui solus ab omnibus peccatis nos abluit, multis modis injuriae serio adversamur, statuentes, nullum esse peccatum, quod ex genere suo vel ex imperfectione operis sit veniale, sive venia dignum. Quod autem quaedam dicuntur *venialia*, quaedam tantum *mortalia*, id non fit propter naturam peccatorum, sed propter misericordiam Patris, meritum Filii, & sanctificationem Spiritus; ac respicit haec divisio non omnes homines in genere, sed tantum renatos; nec desumenda est *ex lege*, quae omnia peccata, qualiacunque & quantulacunque sint, accusat & damnat; sed ex *evangelio*, quod ostendit credentibus in Christum peccata infirmitatis, ignorantiae & pravas concupiscentias non imputari, si eis resistant, hoc est, si renati 1.) haec mala in corde habitantia agnoscant: 2.) de illis serio doleant: 3.) merito mediatoris velut umbraculo tegi petant & credant: 4.) frenos eis nequaquam laxent, sed spiritu eis resistant, crucifigentes carnem cum concupiscentiis. Haec quatuor capita in apol. confess. August. rectissime ad remissionem & mortificationem referuntur. Ex quibus omnibus adparet, 1.) in non renatis nulla esse peccata venialia, sed omnia mortalia. 2.) Venialia peccata esse talia non ex natura ipsius actus, sed ex conditione personae delinquentis, quae si est in Christo per fidem, peccata infirmitatis teguntur. 3.) Nomen *mortalis* peccati non esse satis commodum, dicendum potius erat *mortiferum*, φονικὸν ac *regnans*. 4.) Nec *venialium* peccatorum nomen satis commodum est, dicenda potius erant peccata infirmitatis, lapsus humani, pravae concupiscentiae &c. neque enim ideo dicuntur venialia, quod in se & ex se venia sint digna, sed quod Deus credentibus ea dimittat ac venia dignetur.

Nulla peccata esse ex se & natura sua venialia.

§. XCIII. Nullum igitur esse per se & sua natura veniale peccatum, demonstramus his argumentis. I.) Quicquid committitur contra aeternam & immotam Dei justitiam in lege revelatam, illud sua natura est mortale peccatum: atqui etiam venialia peccata committuntur contra aeternam & immotam Dei justitiam in lege revelatam; ergo sunt sua natura mortalia peccata. II.) Quodcunque scriptura absolute & simpliciter pronunciat esse peccatum, id veram & propriam peccati naturam, videlicet reum mortis facere, retinet. Jam vero venialia peccata absolute & simpliciter in scriptura dicuntur peccata & debita. 1 Joh I 8. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, decipimus nos ipsos.* Jac. III. 2. *In multis offendimus (πταίομεν) omnes.* Psalm. XXXII. 6. *Pro peccatorum remissione orabit omnis sanctus.* Matth. VI. 12. *Dimitte nobis τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν debita nostra.* Luc. XI. 4. *Dimitte nobis τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν peccata nostra.* Ergo venialia peccata habent per se & ex se veram & propriam peccati naturam, videlicet reum mortis facere. Rom. VI. 23. *Stipendium peccati mors est.* III.) Cuicunque competit propria peccati definitio, eidem quoque propria peccati natura competit: atqui etiam venialibus παραπτώμασι competit propria peccati definitio, videlicet quod sint ἀνομία, 1 Joh. III. 4. ergo etiam propria peccati natura ipsis competit. IV.) Quodcunque sub poena maledictionis temporalis & aeternae a lege prohibetur, illud sua natura est mortale peccatum: atqui etiam venialia peccata sub maledictionis temporalis & aeternae comminatione a lege prohibentur. Deut. XXVII. 26. *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis,* quod repetitur Gal. III. 10. *Lex spiritualis est* Rom. VII. 14. requirit interiorem & exteriorem omnibus numeris absolutam obedientiam, qui in uno etiam minimo delinquit, debitam & a lege requisitam obedientiam non praestat, transgressor igitur legis est, & maledictioni ejus subjacet. Ergo etiam venialia peccata sunt ex se & sua natura mortalia. V.) De quocunque peccato posset

set Deus etiam a renatis exigere rationem in judicio, & revera eam exiget a non renatis, illud est sua natura mortale peccatum. Atqui etiam de venialibus peccatis posset Deus a renatis exigere rationem, & revera eam exiget a non renatis; Matth. XII. 36. *Dico vobis*, (ait Christus, qui est veritas) *quoniam de omni verbo otioso*, (ἀργῷ) *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Ergo venialia, quæ ita dicuntur peccata, sunt sua natura mortalia. *Major* certa est, quia judicium Dei non solum temporales, sed etiam æternas pœnas complectitur, quando in non renatos illius fulmen vibratur. *Minor* itidem evidens; præsertim vero observandum, quod Bellarminus lib. I. de amiss. grat. & stat. pecc. cap. 3. nominatim *verbum otiosum* inter venialia peccata refert. VI.) Cuicunque propria peccati effecta tribuuntur, illud sua natura peccatum mortale est: at venialibus peccatis propria peccati effecta tribuuntur. Matth. XV. 19. *Ex corde procedunt cogitationes malae, quae impurum reddunt hominem.* Esa. LXIV. 6. *Omnes nostrae justitiae sicut pannus mulieris menstruatae,* (videlicet propter adhærens peccatum) Job. XV. 14. *Quid est homo, ut sit immaculatus coram Deo &c.* Exod. XXXIV. 7. *Coram Deo nemo est innocens.* Matth. V. 22. *qui irascitur fratri, judicio est obnoxius.* Hinc omnes sancti, etiamsi concupiscentiis suis resistant, tamen serio orant: Psalm. CXXX. 3. *Si iniquitates observare volueris, Domine, quis sustinebit?* Ps. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens.* Ps. XIX. 13. *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me &c.* Ergo peccata venialia sunt ex se & sua natura mortalia, ac si Deus propter ea in judicium intrare vellet, justissime nos reprobare ac damnare posset. VII.) Quodcunque Christus ut pharisaicam legis divinæ depravationem repudiat, illud a mentibus & scholis christianorum merito exsulare debet: atqui sententia illa, quod quædam sua natura sint venialia peccata, & tam minuta, ut non sint contra legem, ut pharisaicus error a Christo repudiatur, Matth. V. 18. *Amen dico vobis, donec transeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non praeteribit de lege, donec omnia fiant.* v. 19. *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus erit in regno cœlorum.* In quem locum ita commentatur doctissimus Chemnitius cap. LI. harmon. p. 337. & seqq. *Docet Christus tam firmam, immotam & immutabilem esse legis sententiam, ut, cum cœlum & terra, quorum constitutio firmissima judicatur, praeteritura sint, fieri tamen non possit, ut aliquid in lege, quod vel minimum judicatur, intercidere possit, quin omnia perfectissima satisfactione sint implenda, atque hoc opponit Pharisaeis, qui (sumentes hoc axioma certum & verum, ad justitiam & vitam aeternam opus esse impletione legis, atque interim animadvertentes, impossibile esse, ut minutissima quaeque in lege, verbi gratia de interioribus motibus in mente, voluntate & corde, de naevis quibusdam in gestibus, in verbulo aliquo, ex toto corde, tota anima & omnibus viribus perfecta conformitate, impleantur, ita, ut nulla sentiatur contraria concupiscentia) fingebant talem distinctionem, mandata quaedam legis esse minima, quaedam vero magna, ac licet quis in mandatis illis minimis de interioribus motibus & adfectibus cordis legi perfecte non satisfaciat; si modo, quantum in ipso est, magna mandata de externis operibus servet, illum esse justum coram Deo, cum mandata illa de interioribus motibus cordis, utpote de rebus minutulis sint minima, ideo Deum nolle neminem impium censere propter istorum transgressionem, modo reliqua magna mandata de externis operibus praestet. Sed Christus huic pharisaicae persuasioni opponit unum jota & unum apicem, ut ita quam fortissime neget, esse quaedam mandata in lege ita minuta, quae Deus non multum curet, quorum etiam, quamvis non impleantur, non sit habenda ratio in statuenda justitia legis coram Deo. Mandata enim Dei constant verbis, verba constant literis, literae multis apicibus: ut ergo perfectissimam legis impletionem necessariam esse Christus ostendat, ne unum quidem literae apicem cadere pronunciat, quem non sit necesse impleri; quod enim Matthaeus dicit* jota praeterire,

ire, *hoc Lucas dicit* apicem cadere. *Iod est littera minutissima, apices seu puncta vocalia adhuc minora sunt, & tamen Christus pronunciat, unicum Iod & minutissimum punctum in lege eo loco apud Deum haberi, ut priusquam praetereat vel cadat, quin impleatur, prius caelum & terra sint transitura, ac proinde ad legis impletionem requiri, ut omnia etiam usque ad minutissimum apicem impleantur, perinde ut Moses maledictionem denunciat, non illis tantum, qui non in magnis, sed qui non in omnibus permanserint, quae scripta sunt in libro legis: & sicut Iacobus inquit:* Quicunque totam legem servaverit, offendat autem eſt, factus eſt reus omnium, cap. II. 10. Hæc Chemnitius.

Exceptiones Bellarmini.

§. XCIV. Excipit Bellarminus lib. I. de amiſſ. grat. & ſtat. pecc. cap. 12. I.) *venialia peccata non esse perfecte peccata, si cum mortalibus conferantur, ideoque vocabulum* peccati *non praedicari univoce de peccatis mortalibus & venialibus.* Reſp gradus peccatorum eſſe, non negamus; ex eo autem nondum ſequitur, eſſe quædam ſua natura venialia peccata, quibus *aequivoce* tantum peccati nomen tribuatur, cum illis ipſis venialibus & nomen & definitio & propria effecta peccati tribuantur. Prædicatio *univoca* opponitur tum *aequivocae*, tum ei, quæ dicitur ἀφ' ἑνὸς ſive *analogica*: clarius ergo exponendum erat, quo ſenſu & quo reſpectu Bellarminus neget, *peccati* nomen univoce de mortalibus & venialibus prædicari. II.) *Dicta illa ſcripturae loqui non de venialibus, ſed de ſolis mortalibus peccatis.* Reſp. imo vero in genere loquuntur de quacunque cujuscunque præcepti transgreſſione, ut ſonus verborum & circumſtantiæ textus evidenter oſtendunt. III.) *At*, inquit Bellarminus, *ſi ſcripturae illae etiam peccata venialia comprehenderent, ſequeretur, homines juſtos ob illa non ſolum poſſe excidere, ſed etiam re ipſa excidere gratia Dei.* Reſp. legis hoc judicium & hic rigor eſt, quam evangelium non abolet, nec deſtruit, ſed oſtendit nobis Chriſtum mediatorem, qui noſtro loco ſe ſubjecit legi, eandemque perfectiſſima ſua obedientia implevit, quin & pœnas peccatorum noſtrorum in ſe recepit: hanc perfectam Chriſti juſtitiam offert evangelium cordibus vere contritis, quæ fide nobis imputatur; Rom. V. 15. X. 6. &c. atque hæc eſt mirabilis illa conſenſio legis & evangelii, de qua apoſtolus Rom. III. 31. *Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtabilimus.* Evangelium non deſtruit legem, ſed translationem legis factam eſſe oſtendit; docet enim, Chriſtum eſſe impletionem & finem legis ad juſtitiam omni credenti, quod lex a nobis requirit, id a Chriſto pro nobis præſtitum eſſe, & gratia Dei credentibus imputari. Hoc ergo tantum ſequitur ex Bellarmini argumento, ne ipſos quidem renatos ex lege & ex operibus coram Deo juſtificari, cum minimos quosque defectus & παραπτώματα ipſorum lex obſervet, arguat & accuſet; ſed evangelium oſtendit, credentibus in Chriſtum & concupiſcentias pravas Spiritu mortificantibus, peccata illa non imputari εἰς κατάκριμα; bona renatorum opera Deo placere, quia fiunt ex fide in Chriſtum; interim juſtitiam, quæ coram Deo conſiſtat, in illis nec quæri nec ſtatui poſſe, cum nec perfecta ſint, nec immaculata, ſi ad legis divinæ normam examinentur IV.) Pergit Bellarminus, & ex ſingulorum locorum circumſtantiis evincere conatur, de mortalibus tantum peccatis in eis agi. Deut. XXVII. *proponuntur mandata longe graviſſima de cavenda idololatria, inceſtu & homicidio, quae ſunt peccata lethalia. Ergo iſtorum longe graviſſimorum mandatorum transgreſſoribus ſolummodo denunciatur maledictio.* Rom. VI. *Illius peccati ſtipendium mors eſt, quod pugnat cum gratia, & cum juſtitia ſimul conſiſtere nequit.* Jac. II. *de illa offenſione loquitur, quae eſt contra legem & contra caritatem, talis non eſt peccatum veniale.* Reſp. ſententia maledictionis Deut. XXVII. 26. fertur in omnes legis transgreſſores, non ſolum in eos, qui in maximis præceptis legem violant, ſed in omnes, qui non permanent in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis. Oſtendunt circumſtantiæ textus, omnia legis præcepta, non ſolum graviora de non mœchando, de non furando &c. ſed etiam illud ultimum de non-concupiſcen-

piscendo fuisse prius in auribus populi Israëlitici publice recitata, & tunc demum maledictionis sententiam in omnes transgressores legis promulgatam. Ideo apostolus Gal. III. 10. ut generalem sententiam eam accipit: *Quicunque ex operibus legis sunt* (quicunque in operibus legis justitiam quærunt) *sub maledicto sunt, scriptum enim est: Maledictus qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Glossa ordinaria pulcerrime in cap. 27. Deut. in fine. *Haec sententia generaliter & praeterita & praesentia & dicenda legis mandata complectitur, tanto gravior, quanto generalior.* Quis enim potest sine transgressione in omnibus sermonibus legis permanere, cum & Paulus dicat: *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt?* Nemo hanc maledictionem evadere potuit, nec legislator (Moses) nisi Christus, unde: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Rom. VI. 23. *stipendium peccati mors dicitur*, quæ sententia itidem generalis est omne peccatum respiciens; quod autem quædam peccata renatos non reddunt æternæ morti obnoxios, ejus causam reddit apostolus Rom. VIII. 1. *quia sunt fide in Christo, & quia non ambulant secundum carnem*, nec permittunt in corpore suo peccatum regnare. Ostendit autem res ipsa, generale esse apostoli pronunciatum, quod stipendium peccati mors sit, cum & baptizati & renati propter inhabitans peccatum sint morti temporali obnoxii. Rom. VIII. 10. *Si Christus est in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vita propter justitiam:* nisi remissio hujus inhabitantis peccati obtingeret renatis per Christum, non minus æternæ, quam temporalis mortis vinculum eos teneret obstrictos. Libenter interim fatemur, de peccatis regnantibus sive mortalibus, quæ actu hominem reddunt æternæ morti obnoxium, proprie apostolum ibidem loqui. Jacobi apostoli sententia itidem generalis est, ad προσωποληψίαν, quæ ex se videtur leve & veniale peccatum, respiciens, ut adparet ex v. 9. Augustinus epist. XXIX. ad Hieron. sive libr. II. de sent. Jac. apost. ad Hieronym. cap. 11. recte statuit, *ideo qui in uno offendit, omnium fieri reum, quia contra caritatem facit, unde tota lex pendet.* Interim tamen non negat, etiam leviora (quæ ita nobis videntur) peccata contra legem & caritatem committi, sic enim scribit cap. 10 præced. *Caritas in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est, plenissima vero, quae jam non possit augeri, quam diu hic homo vivit, est in mente, quam diu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet: ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens: propter quod vitium*, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: *propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere:* Dimitte nobis debita nostra, *cum jam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata dimissa sint.* cap. 15. *Sanctus Iacobus jam ex isto loco de misericordiae operibus loquitur, ut quos vehementer illa sententia terruerat, consoletur, cum admonet, quomodo etiam quotidiana peccata, sine quibus hic non vivitur, quotidianis remediis expientur, ne homo, qui cum in uno offenderit, sit reus omnium, in multis offendendo, quia in multis offendendo, propter magnum aggerem reatus sui minutim collectum ad tribunal tanti judicis perveniat, & eam, quam non fecit misericordiam, non inveniat, sed potius dimittendo atque dando mereatur sibi dimitti peccata reddique promissa.* Hæc Augustinus. Ex quibus omnibus patet, generales esse illas legis comminationes, id quod patet etiam ex illis locis, quæ in specie de peccatis levioribus loquuntur, utpote de verbo otioso, Matth. XII. 36. de subitis iræ motibus, Matth. V. 22. de adspectu libidinoso, v. 28. & quæ testantur, in medio pietatis cursu sanctos precari, ne Deus in judicium cum ipsis intret Psalm. CXLIII. 2. &c. V.) Cumprimis vero in pervertendo cap. V. Matth. industrius est Bellarminus, monet primo loco, *sententiam Christi:* Qui solverit unum de his minimis mandatis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum, *oppositam esse non illis, qui mandata minima transgrediuntur, sed illis, qui solvunt ista mandata prava sua interpretatione,*

ne, quod non amplius est veniale, sed mortale crimen, videlicet depravare Dei verbum. Resp. utrumque docet Christus, nimirum legi non satisfieri particulari & mutila obedientia, sed necesse est, ut omnia usque ad minimum apicem perfectissime impleantur, quo pertinet v. 18. & præcipue interim minatur falsis doctoribus, qui perversa hac opinione homines ad vanam operum suorum justitiam abducunt, quo pertinet v. 19. nihilo tamen minus utrosque simul, & qui ita docent, & qui hac doctrina sese patiuntur a vera justitia abduci, excludit e regno cœlorum. In doctorum vel potius seductorum istorum numero est ipse Bellarminus, qui hoc loco & alibi passim prorsus similia docet, ut justitiam operum stabiliat, Deum scilicet non requirere, ut minutissima quæque legis in hac vita summo perfectionis gradu a nobis impleantur, sed contentum esse, si quantum in nobis est, fecerimus, reliqua pertinere ad alteram vitam. Aliam igitur exceptionem addit priori huic parum fidens: *Si quis* (inquit) *contendat, excludi hoc loco a regno cœlorum etiam eos, qui non observant minima mandata, possumus aliam adhibere solutionem. Nam per minima mandata recte possunt intelligi verba legis veteris:* Non mœchaberis, Non occides, *quae dicuntur minima, quia minus perficiunt hominem, quam ea, quae Christus explicando & perficiendo tradidit.* Resp. ostendemus suo loco, Christum non addidisse legi perfectiora & graviora quædam mandata, quæ enim major perfectio esse potest, quam diligere Deum, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & proximum sicut se ipsum? quomodo igitur mandatum illud poterit dici minimum? Adde, quod ipse Bellarminus, vi veritatis coactus fateatur lib. IV. de justif. cap. 3. *Christum hoc loco non tradere nova quaedam praecepta, sed adversus Pharisaeorum corruptelas veterem legem declarare.* Ergo nec huic solutioni acquiescit Bellarminus, sed addit tertiam, *Christum scilicet vocasse mandata minima, quae adjecit supra justitiam pharisaeorum & scribarum, utpote: Non concupiscere mulierem alienam, non odisse inimicos, non dimittere uxorem, nisi ob fornicationem, non ducere aliam vivente priore &c. non quia sint levia & exigua, sed ut modeste de rebus suis loqueretur, vel etiam quia minus peccatum est haec violare, quam superiora.* Resp. quomodo Christus ea vocaret minima mandata, quæ sunt ipsius legis præcepta? Pharisæorum corruptelas unice respicit, illi tale fingebant discrimen inter præcepta Dei, quasi quædam sint tam minuta ac levia, ut eorum transgressio non magnopere curetur a Deo: sed Christus illis gravem & seriam illam adsertionem opponit v. 18. *Amen dico vobis, donec transeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* v. 19. *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum,* hoc est, nullus, ut recte interpretantur veteres & colligitur ex v. 20. Quæ Bellarminus addit de gradibus quinti præcepti a Christo expositis, quasi id solum ex illis colligi possit, eum, qui proximo irascitur, recedere tantum a perfecta observatione legis, non tamen censeri simpliciter prævaricatorem legis, (mirifica distinctio, recedere ab observatione legis, & tamen non esse prævaricatorem, ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ) ea paulo post excutientur. Quæ de perfecta impletione præcepti de diligendo Deo super omnia disputat, excutientur in tractatu de lege. VI.) Quidam ducunt argumentum ex Joh. XIII. 8. ubi Christus ad Petrum dicit: *Si non lavero te, non habes partem mecum,* & docet renatos, etiamsi mundi sint ac purgati, tamen quotidiana peccatorum remissione indigere, ita enim lotionem illam interpretantur Augustinus in comm. & Bernhardus serm. de cœna Dom. Quod si venialia illa quotidiana renatorum delicta excluderent a parte Domini, nisi ab eodem remitterentur, utique sua natura sunt mortalia peccata. Huic argumento frigide respondet Bellarminus; *(non simpliciter ejusmodi peccata excludere a regno cœlorum, sed solum ad tempus, donec videlicet purgata non fuerint, nec simpliciter ea mereri ex natura sua pœnam aeternam, sed temporalem)* hæc enim non erant nude repetenda, sed confirmanda. Christus diserte testatur, etiam renatos ac lotos non habituros partem secum, hoc est,

in

in regno cœlorum, nisi quotidiana peccatorum remissione mundarentur ac lavarentur.

§. XCV. Ex patribus referenda huc dicta ea, quibus perfectionis laudem operibus nostris & perfectam legis impletionem nobis derogant, de quibus suo loco. Basilius in quæst. comp. explic. q. IV. *nullum peccatum contemnendum ut parvum, cum revera nullum sit parvum, quando Paulus de omni peccato generatim pronunciaverit, stimulum mortis esse peccatum.* Hieronymus dial. II. adv. Pelagian. *Si ira & sermonis injuria atque interdum jocus judicio concilioque & gehennae ignibus delegatur, quid merebitur turpium rerum adpetitio & avaritia?* Augustinus lib. II. de pecc. merit. & remiss. cap. 3. *Quis cum spe aliqua adipiscendae salutis aeternae de hac vita migraret, manente illa sententia, quod quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, reus factus sit omnium, nisi post paululum sequeretur, misericordia autem superexsultat judicio?* libr. IX. confess. cap. ult. *Vae etiam laudabili hominum vitae, si remota misericordia discutias eam.* Epist. XXIX. *Cum rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? quae igitur spes est, nisi superexsultet misericordia judicio?* Denique multis in locis adserit, quotidiana venialia peccata non esse parvipendenda, cum simul collecta hominem damnent, nisi eorum quotidiana remissio impetretur: epist. XXIX. ad Hieronym. epist. CIX. in Psalm. CXVIII. conc. 3. tract. XII. in Joh. tract. in epist. Johan. His veterum dictis ira respondet Bellarminus, ut concedat, *nullum peccatum ut parvum ac leve contemnendum, ex eo tamen nondum sequi, quod sint sua natura mortalia.* Atqui nisi venialia illa & quotidiana renatorum peccata sua natura mortalia essent, non foret metuendum ab ipsis, nec eorum dimissio tam solicite petenda. Augustini dictis respondet, *venialia peccata non pugnare cum caritate*, qua de re superius diximus. Beda in Samuelem: *Non tantum capitalium criminum incendia, in quibus apertum opus diaboli claret, sed & parva quaeque & quae hominibus extrema vel levia forte peccata videntur, districti judicis sententia reprobans damnat.* Gerson part. III. de vita spirit. anim. lect. 1. *Omne peccatum, pro quanto est offensa Dei & contra legem ejus aeternam, est de sua conditione & indignitate mortiferum secundum rigorem justitiae, & a vita gloriae separativum. Ratio est, quoniam omnis offensa in Deum potest juste ab ipso judice Deo puniri poena mortis tam temporalis, quam aeternae, imo annihilationis poena. Est igitur de se mortifera. Adsumtum deducitur ex hoc, quod nulla poena talis est ita mala, quantum mala est ipsa offensa. Et ex alio, quia potius toleranda esset omnis mors poenalis & annihilatio, quam committenda esset quantumlibet parva offensa in Deum. Da oppositum: jam offensa Dei licite fieri deberet in casu; praeterea quaelibet offensa Dei nisi remitteretur, repelleret a gloria Dei, perpetuo & absque termino puniretur, elioquin maneret dedecus culpae, sine decore justitiae, quod autem offensa dimittitur aut remittitur, est ex pura libertate Dei remittentis & non amplius imputantis &c.* Coroll. 1. *Nulla offensa Dei est venialis de se, nisi tantummodo per respectum ad divinam misericordiam, quae non vult de facto quamlibet offensam imputare ad mortem, cum illud possit justissime: & ita concluditur, quod peccatum mortale & veniale in esse tali non distinguuntur intrinsece & essentialiter, sed solum per respectum ad divinam gratiam.* Coroll. 3. *Obligamur Deo ad gratificationem & gratiarum actionem ex hoc, quod peccata nostra venialia non imputat ad mortem, sicut tenemur ex remissione mortalium.* Hanc Gersonis dissertationem adprobat Biel IV. sent. dist. 16. q. 2. art. 1. ubi addit: *Non habet hic locum quorundam verbalis concertatio, quod veniale non sit offensa, nec contra Deum, quia omne peccatum est contra Deum.* Gersonem sequitur Almarius vel Alma in tract. III. cap. 20. & Michaël Bias referente Vasquez in Thomam tom. I. disp. 142. num. 7. uti etiam Rossensis acerrimus Lutheri adversarius artic. XXXII. *Quod peccatum veniale solum ex Dei misericordia veniale sit, in hoc tecum sentio. Sed quoniam & nos mortale quoque peccatum*

per Dei misericordiam fieri posse veniale credimus, vellem apertius nobis exponeres, quid ipse discriminis arbitreris, inter mortale venialeque peccatum statui debere. Nec opinor te dicturum, quin mortale, protinus ut fit, effuget ab animo gratiam, & in odio Dei constituat ipsum peccatorem. At veniale non ita, quod si mortale gratiam averset, non autem veniale; profecto palam est, non mediocre discrimen esse venialis a mortali, nec exiguum inter ipsa repositum intervallum. Hactenus convenire te par est, ut opinor, nobiscum de veniali mortalique.

§. XCVI. Format etiam Bellarminus cap. 14. rationes quasdam pro nostræ sententiæ confirmatione, easdemque conatur solvere. Videamus, quid præstet: I.) Quælibet culpa juste potest a Deo puniri pœna temporali & æterna: ergo quælibet culpa natura sua mortalis est. Excipit Bellarminus, *Deum, si id faceret, Dominum se probare, non judicem.* Resp. imo vero justum judicem & Dominum se probaret, quia transgressorem legis suæ puniret. Quantum abest Bellarmini responsio ab illo pronunciato, quod Deus justo suo judicio, salva justitia sua, quosdam homines absoluto decreto reprobatorio æternæ morti adjudicare possit & adjudicaverit nullo habito peccatorum respectu! II.) Peccatum quodlibet infinitam habet malitiam, quia committitur contra infinitum bonum; ergo etiam infinitam pœnam ex natura sua meretur. Excipit Bellarminus, *veniale peccatum non habere infinitam malitiam, cum non avertat hominem a summo bono.* Resp. posset tamen a summo bono avertere, nisi Deus misericorditer propter Christum illud remitteret. Solum Dei odium *formaliter* est aversio a summo bono, nihilo tamen minus etiam alia mortalia peccata actu avertunt a summo bono per inordinatam conversionem ad temporalia, idem facerent venialia, nisi remitterentur. III.) Peccatum veniale posset nunquam remitti, cum ex indebita gratia Deus illud remittat; ergo sua natura meretur æternam pœnam. Excipit Bellarminus, *per accidens id non remitti propter adjunctum mortale.* Resp. imo vero posset Deus etiam sola venialia non conjuncta cum mortali non remittere, cum eadem gratis & ex indebita misericordia remittat, quamvis enim eorum remissionem credentibus promiserit, ea tamen promissio est mere gratuita, neque nititur nostra dignitate, nostrisve meritis, sed sola promittentis & promissionem illam implentis Dei misericordia, quæ in Christo ac propter Christum nobis contingit.

Antithesis adversariorum, quod quædam peccata sint sua natura venialia.

§. XCVII. Scholastici & Pontificii quædam peccata sua natura venialia esse disputant, ut superius vidimus, interim tamen non consentiunt in omnibus: I.) Bonaventura lib. II. sent. dist. 42. q. 2. num. 47. negat, *per veniale peccatum Deum offendi.* Bellarminus lib. I. de amiss. grat. & stat. pecc. cap. 9. concedit, *veniali peccato Deum offendi, sed non usque ad amicitiæ dissolutionem.* II.) Biel lib. IV. sent. dist. 16. q. 5. art. 2. dicit, *ad remissionem peccati venialis non requiri pœnitentiam proprie acceptam, nec actualem, nec habitualem, nec sacramentalem: nihilominus inter remedia venialium peccatorum numerant contritionem & confessionem,* eademque jejunio, flagellis, adspersione aquæ benedictæ &c. expiare, sive pro iis satisfacere jubent recentiores scriptores. III.) Quidam statuunt, etiam venialia peccata sacerdoti confitenda esse, quidam vero negant. Bonaventura statuit, quod teneatur quis ad confessionem venialium ratione præcepti ecclesiæ per cap. *omnis utriusque sexus:* sed Biel hoc improbat, & statuit, capitulum illud loqui de solis mortalibus peccatis, addit etiam rationem valde egregiam. *Nemo tenetur de illis confiteri, ad quorum contritionem non tenetur, sed de venialibus non est habenda contritio.* Thomas lib. IV. sent. dist. 17. recitat opinionem quorundam, quod *tunc quis teneatur ad confessionem venialium, si non habet mortalia,* cui concordat Richardus ead. c. dist. sed contrarium statuunt Scotus, Durandus, Petrus de Palude, vide summam angelicam in verbo confessionum I. quæst. 28.

§. XCVIII.

§. XCVIII. Nobis cum Bellarmino res erit: Is lib. I. de amiſſ. grat. & ſtat. pecc. cap. 4. & lib. IV. de notis eccleſ. cap. 9. *Joviniano & Pelagio nos conjungit, qui diſcrimen & gradus peccatorum tollebant*, quod a nobis minime fit, retinemus enim diſcrimen inter venialia & mortalia peccata in renatis, ac gradus peccatorum eſſe agnoſcimus. Quæ ergo cap. 5. & 6. diſputat, nos non attingant, uti nec ea, quæ cap. 7. profert; neque enim dicimus, omnia electorum peccata venialia eſſe, ſed peccatis contra conſcientiam admiſſis, fidem & Spiritum ſanctum amitti, cum Auguſtino confeſſ. art. XII. profitemur, qua de re in articulo de fide dicendum erit. Cap. 8. tria contra nos demonſtrare nititur Bellarminus: *1.) falſum eſſe, quod ea peccata ſint venialia; quae nobis non imputantur.* Argumento utitur tali: *Scriptura docet remiſſionem peccatorum venialium a Deo petendam; ergo ea non ſunt tecta.* Reſp. imo vero invertimus hoc argumentum: quia Chriſtus jubet, pro quotidianis orare delictis, & exauditionem precum promiſit; ergo teguntur & remittuntur petentibus in fide, ac niſi gratis propter Chriſtum remitterentur, reos nos facerent. Eſt omnino illa renatorum precatio perpetuum fidei exercitium, ejuſdemque confirmandæ & augendæ medium, proinde non debent hæ preces & fiducia remiſſionis peccatorum ſibi opponi, ſed fides illa certo ſtatuens, propter Chriſtum peccata infirmitatis quotidiana nobis remitti, per orationem ſeſe exſerit, & peccatorum remiſſionem quærit. *2.) Falſum etiam illud eſſe, quod ea ſolum peccata ſint venialia, quae cum fide conſiſtunt, fore enim ut ſacrilegia, homicidia, adulteria, furta &c. ſint venialia. 3.) Falſum denique & iſtud eſſe, quod peccata mortalia non conſiſtant cum fide.* Reſp. hac de re in articulo de juſtificatione dicetur, & contrarium evidenter demonſtrabitur.

§. XCIX. Tandem igitur cap. 9. acropolin controverſiæ adgreditur Bellarminus, & conatur probare, eſſe quædam ſua natura venialia peccata. Primam argumentorum claſſem petit ex ſcriptura: I.) Matth. V. 22. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; Qui dixerit, raca, reus erit concilio; Qui dixerit fatue, reus erit gehennae ignis:* ibi tres gradus iracundiæ ſtatuit Chriſtus, eiſdemque tres reatus opponit. Hoc ita adplicat Bellarminus: *Manifeſtum convitium, teſte vel judice Chriſto, facit reum gehennae ignis, ac per hoc eſt mortale peccatum. Iracundia ſono vocis expreſſa, ſed ad malum convitii non pertingens, facit reum concilii, id eſt, non conſtat, an mereatur gehennam, ſed aut ea pœna, aut minore digna eſt. Inveniuntur ergo peccata quaedam, quae leviora ſunt, quam ut gehennam ignis mereantur. Quorſum enim cogeretur concilium ad diſcernendum, num aliqua culpa gehenna ignis punienda eſſet, ſi omnes culpae gehennam ignis mererentur? ſunt ergo culpae aliquae, quae divino judicio ſola pœna temporali mulctandae ſunt. Rurſus iracundia, quae nullo ſigno externo foras prorumpit, non facit reum concilio, ſed judicio; hoc eſt, non conſtat, an mereatur pœnam aliquam vel nullam.* Reſp. fœdiſſima hæc eſt textus depravatio, quod ſic oſtendimus. Docuerat Chriſtus in præcedentibus, non qualemcunque, ſed perfectam legis impletionem requiri, ut quis intret regnum cœlorum, nec tale divinorum præceptorum diſcrimen ſtatuendum, quaſi quædam ſint minuta & levia, quorum obſervationem non adeo ſcrupuloſe & rigide requirat legislator, modo in maximis præceptis legi obedientia præſtetur; ſed omnia uſque ad unicum jota & minutiſſimum punctum perfectiſſime implenda eſſe. Hanc generalem doctrinam more ebraico exemplis quorundam præceptorum declarat & phariſaicas eorum corruptelas refellit. Vers. 21. recitat verba veteris traditionis, hoc eſt, phariſaicæ depravationis quinti præcepti ſpecioſo veteris traditionis ſchemate venditata: *Audiſtis, quod dictum ſit antiquis* (*): *Non occides, qui autem occiderit,*

fratri, reus erit judicio.

Ex ſcriptura. Matth. V. Qui iraſcitur

(*) *Antiquis*, id eſt, *ab antiquis* ſive *veteribus*. Obſervandum vero, των αρχαιων nomine ſæpius denotari *antiquos a multis retro ſeculis*, ſubinde vero eos tantum, *qui nos præceſſerunt*. Videtur

derit, reus erit judicio (*). Ex quo adparet, Phariſæos interpretationem quinti præcepti ita depravaſſe, quod is tantum, qui externo opere homicidium committit, reus ſit iræ Dei & pœnæ æternæ coram Dei judicio, perinde ut in civili judicio juxta forenſes leges Moyſis externum tantum homicidium morte puniebatur. Huic corruptelæ Chriſtus opponit veram legis divinæ explicationem v. 22. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri ſuo raka* (**), *reus erit concilio; qui autem dixerit fatue* (***), *reus erit gehennae ignis* (****); ubi oſtendit quatuor gradus peccatorum, quibus quintum præ-

tur vero Chriſtus per *veteres* hoc loco intelligere חכמים ראשונים *doctores antiquiores*, hocque voluiſſe innuere: antiqua eſt traditio, inde a longo tempore a veſtris doctoribus inculcata. Hancce traditionem cum adoptaverint phariſæi, iisdem diſertis verbis ſe heic opponit ſervator. Phraſis ἐρρέθη, quæ in textu Græco legitur, reſpondet Ebræorum אמר, quæ in talmude ſæpiſſime uſurpatur de *traditionibus* doctorum, quibus legem divinam vel explicarunt, vel ſuppleverunt.

(*) Erat hoc additamentum, quod præcepto divino adjunxerant ebrææ gentis doctores. Exiſtimabant enim, illud duntaxat homicidium, quod quisque ſua manu perpetravit, juſſu magiſtratus politici, pœna capitali puniendum eſſe; cum contra ii, qui per tertium quendam mercede conductum, inimicum ſuum interfecerint, a ſynedrio morte plecti nequeant, etſi ἔνοχοι ſint τῇ κρίσει, h. e. *judicio Dei ſubjecti*. Vid. quæ hanc in rem differit C. M. PFAFFIUS, in *notis exeg. in evang. Matthæi, p. 90. ſeqq.* Quem ad modum vero in *commate 21.* non de aliquo ſynedriorum judicio, ſed de *judicio Dei* ſermo eſt; ita idem ſignificatus in *comm. 22.* quoque locum habet, cum κρίσις a συνεδρίῳ ibidem clare ſatis diſtinguatur, nec ullo judicio humano ira in fratrem prodita, de qua ibidem ſermo eſt, ſubjici ſoleat.

(**) Ρακὰ eſt vox contemnentis ſummo contemtu, apud ſcriptores ebræos uſitatiſſima, hominem *futilem* atque *ſimplicem* ſignificans. Procul dubio hocce convicium conjunctum erat cum geſtibus, ſubſannationem & contemtum inferentibus.

(***) Habetur heic juſta gradatio, & inſinuatur, convitium μωρὸς multo gravius eſſe convitio τὸ ῥακά. Hoc poſterius morum vitæque levitatem denotat; aſt μωρὸς alterum ceu reprobum exſecratur penitus, eundemque ceu hominem quoad ſtatum ſpiritualem & æternum inſipientem deſcribit. Ita ſane Salomoni extreme improbus & reprobus adpellatur *ſtultus*, ut recte adnotavit Io. LIGHTFOOTUS ad *h. l.* qui & obſervat, ſcribas ac phariſæos ſemet ipſos חכמים *ſapientes* nominari non ſolum paſſos eſſe, ſed quaſi ex merito & condigno ſibi arrogaſſe; cum illis vero, qui eorum diſciplinæ ſe non tradebant, inclementius egiſſe, eosque abominatos atque exſecratos eſſe. *Plebs iſta ignara legis*, inquiebant, *exſecrabilis eſt Joh. VII. 49.*

(****) In textu græco exſtant verba: εἰς τὴν γεενναν τοῦ πυρός. Obſervavit laudatiſſimus LIGHTFOOTUS, Judæos orcum, ſive locum damnatorum, uſitatiſſime per vocem גהנם *gehinnom* effari, phraſeologia a valle *Hinnom* deſumta, loco nimirum ob fœdam idololatriam, infantum Molocho confecratorum ululatus, elatas eo ſordes, & perpetuum ignem infami, atque ad *inferni* horrorem repræſentandum, quam aptiſſimo. Paraphraſtes chaldæus in *Eſai. XXXIII. 14.* reddidit גהנם יקידות עולם *gehenna ignis æternus*. Chriſtus igitur variis hominum peccatis variam pœnam, juſtiſſima talione heic denunciat, verbaque, queis uſus eſt, hunc fundunt ſenſum: qui ſine graviori cauſſa fratri iraſcitur, nec tamen iram ſuam per verba injurioſa hactenus manifeſtam reddit, etſi ipſius peccatum duntaxat ſit inchoatum, *Dei* tamen *judicium* pœnamque incurrit. Qui vero inſuper verbis injuriam infert fratri, ac contemtim de eo loquitur, pœnas dabit *ſynedrio*, h. e. concilio LXX. virorum Hieroſolymis congregato, atque ab eo, pro ratione injuriæ inflictæ punietur. Iſte vero, qui eousque proceſſerit, ut fratrem ſuum in numerum reproborum ac maledictorum referre, atque ita jura divina violare haud dubitet, ipſa inferni pœna dignus eſt. Licet vero, prout ex dictis patet, gradus delictorum, pœnarumque delictis congruentium, heic a ſervatore Chriſto indicentur, eo ipſo tamen non negatur, reliqua quoque delicta inferni pœna digna eſſe. Id tantum inſinuant verba ſervatoris, poſtremum delictum tam grave eſſe, ut a nemine, niſi ab homine extra gratiæ ſtatum conſtituto, committi queat; prout recte monet b. PFAFFIUS *loc. excitat. p. 93.*

præceptum de non occidendo violetur: 1.) *Quisquis irascitur fratri;* nomine *irae* intelligit omnes interiores motus in mente, voluntate & corde cum proximi caritate pugnantes. 2.) *Quisquis dixerit fratri suo: raka;* cum hic gradus ponatur in medio inter adfectus interiores & manifesta convitia, inde colligitur sub voce *raka*, quæ procul dubio tum temporis fuit vulgaris & in omnium ore, comprehendi omnia signa & gestus irati animi. 3.) *Quisquis dixerit: fatue*, hoc est, qui irati animi adfectus per manifesta convitia & maledicta ostendit. 4.) *Quisquis occiderit*, hoc est, qui externo opere corpus aut vitam proximi læserit: omnibus & singulis hisce gradibus quintum decalogi præceptum violari Christus docet, nec eum solum, qui occiderit proximum, sed etiam, qui eidem iratus fuerit, judicio obnoxium esse pronunciat. Respicit autem, uti dictum, Christus ad Pharisæorum corruptelas, qui docebant, externa tantum graviora delicta, quæ judicio forensi capitalia censentur, coram Dei etiam judicio maledictioni obnoxia esse. Sed Christus hac sua explicatione ostendit, de magnitudine peccatorum & de ira Dei adversus peccata coram Dei judicio non esse pronunciandum ex forma judiciorum humanorum, vel ex forensibus legibus; sed ex genuina decalogi sententia, juxta quam etiam is, qui interioribus saltem iræ motibus quintum præceptum transgreditur, judicio Dei fiat obnoxius. Quia vero judicium Dei de magnitudine & pœnis peccatorum declarat Christus per vocabula *judicii, concilii, & synedrii*, quæ in politia Mosaica usitata erant, ideo observandum, quod ex Paulo Fagio in cap. XVI. Deut. adnotat Chemnitius in harmon. cap. V. pag. 34. *Judices in Politia Mosaica in tres ordines fuisse distributos: 1.) In judicio sedebant triumviri, pronunciantes de causis, quae erant manifesti juris, ut de pœna homicidii. 2.) In qualibet civitate Israël erat parvum synedrium, constans ex XXIII. judicibus, illi judicabant de causis, quae aliquid habebant controversiae. 3.) Hierosolymis erant LXXII. judices, qui de summis causis cognoscebant, quod summum judicium vocabatur synedrium, a Judaeis sanhedrin. Haec ergo vocabula* concilii, judicii & gehennæ, *significant hoc loco pœnas, non civiles, sed supplicia capitalia, quae pro ratione delictorum adgravabantur quidem & exasperabantur, omnia tamen erant capitalia; Christus igitur ea ab usu forensi transfert ad descriptionem judicii Dei adversus peccata, & concedit: sicut peccata omnia non sunt paria, ita etiam pœnas coram Dei judicio non fore per omnia aequales, sed simul contra Pharisaeos ostendit in judicio Dei, si non facta fuerit remissio, omnia etiam, quae minutissima a nobis censentur peccata, obnoxia esse judicio damnationis aeternae* Hæc omnia doctissimus Chemnitius, ex quibus Bellarmini depravatio facile refelli potest. Nam *a)* statuere, quod quædam peccata contra quintum præceptum sint ita comparata, ut de illis non constet, an pœnam aliquam mereantur, vel nullam; evidenter repugnat scopo & intentioni Christi, qui pharisaicum somnium de minutulis quibusdam mandatis hac quinti præcepti explicatione refellit. *b.) Judicii* nomine non *humanum*, sed *divinum* hoc loco intelligitur judicium, quod non modo examen & discussionem causæ complectitur, sed in scriptura ita explicatur Psalm. CXLIII. 2. cum quo Deus in judicium suum ingreditur, is non justificatur. *c.)* Gal. V. 20. ira numeratur inter opera carnis, & additur: *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Col. III. 8. ira refertur ad veterem hominem. 1 Joh. III. 15. *Qui odit fratrem, homicida est, non habens vitam aeternam in se manentem;* quo ergo ore, quave fronte Bellarminus pronunciat, non constare, an iracundia, quæ nullo externo signo sese prodit, pœnam aliquam mereatur, vel nullam? *d.)* Quid nomine *judicii* hoc loco intelligatur, Christus ipse v. 25. exponit, cum inquit: *tradetur talis homo judici, judex tradet illum tortori.* Et Luc. XII. 58. *conjicietur in carcerem, unde non exibit, donec solverit extremum quadrantem.* Ergo in judicio Dei etiam extremus debitorum nostrorum quadrans, nisi in hac vita remissio facta fuerit, hanc habet rationem, ut, si Deus in judicium nobiscum ingredi velit, æterno carcere nos mancipare possit. *e.)* Imo generalis clausula omnibus præ-

ceptis, & sic etiam quinto præcepto addita, ostendit, quale sit judicium Dei adversus peccata: *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis* Deut. XXVII. 26. *f.)* Si *reum esse judicio*, hunc habet sensum, quod non constet, an talis mereatur pœnam aliquam, vel nullam, sequetur, etiam homicidam venialiter peccare, ut patet ex v. 21.

Luc. VI. quædam peccata comparantur festucis.

§. C. II.) Urget Bellarminus, quod Matth. XXIII. & Luc. VI. *Christus comparet peccata quaedam rebus sua natura levissimis, videlicet culicibus & festucae, alia vero gravissimis, ut camelo & trabi, inter quae ex natura rei est discrimen.* Resp. esse quædam peccata aliis graviora, quod ex his locis evinci potest, non negamus; id vero probandum erat, leviora illa, quæ aliorum comparatione ita dicuntur, esse sua natura venialia sive venia digna, quod ex illis locis evinci non potest. Matth. XXIII. Christus taxat Pharisæos, quod in minutissimis videri velint habere rationem conscientiæ suæ, cum interea in rebus maximis conscientia stupida secure peccent & delinquant. Augustinus libr. I. quæst. evang. cap. 35. Luc. VI. Christus taxat eos, qui in levioribus aliorum erratis observandis quovis Argo oculatiores, in suis vero quavis talpa cœciores, non vident id manticæ, quod in tergo est. Sed quid hoc ad præsentem quæstionem, in qua non agitur de comparatione peccatorum, an alia aliis graviora, sed de vera ac propria natura eorum, quæ nobis videntur minuta ac levia? Quod III.) Bellarminus addit, *per novissimum quadrantem* Luc. XII. 59. *intelligi peccata minuta & levissima, pro quibus in carcere purgatorii satisfaciendum; uti etiam* 1 Cor. III. 12. *per lignum, fœnum ac stipulas eadem venialia peccata intelligenda esse;* id suo loco nimirum in tractatu de purgatorio excutietur. Certum est, ex parabolis seu allegoriis non posse dogmata constitui aut probari, nisi ipsa scriptura addat explicationem. Parabola Christi Luc. XII. non hoc ponit *categorice*, post judicium aliquando dissolvi posse debitum, neque adserit, fore, ut debitor ex illo carcere olim liberetur; sed rigidum atque summum jus, sive exactissimam debiti inquisitionem describit illa hypothetica, neminem ex illo carcere liberari posse, nisi omne debitum & quidem extremum quadrantem persolverit, & diserte ibi agit Christus de irreconciliabili odio erga proximum, quod veniale peccatum esse non opinor. Dicit Bellarminus 1 Cor. III. non agitur de peccatis venialibus, sed de humanis opinionibus fidei fundamento superstructis, qua de re suo loco. Dictum Jacobi c. I. de concupiscentia ad peccatum illiciente expositum est superius. Denique adfert Bellarminus duo scripturæ loca, *quae mitius loquuntur de quibusdam peccatis, quam de mortalibus solent loqui.* Matth. XII. 35. *de verbo otioso tantum rationem reddendam in judicio, Christus pronunciat, sed operantes iniquitatem plane a se rejicit.* Eph. V. 3. & 4. *enumerat apostolus sex peccatorum genera, fornicationem, immunditiam, avaritiam, turpitudinem, stultiloquium, scurrilitatem,* & v. 5. *de prioribus tribus tantum subjungit, eos, qui talia agunt, non habere haereditatem in Dei regno.* Resp. hoc saltem ex illis & similibus dictis probari potest, esse quoddam peccatorum discrimen, ita, ut quædam a renatis committantur, nec tamen e regno cœlorum actu eos excludant; quædam vero si a renatis committantur, fidem & Spiritum sanctum excutiant, quod nos non negamus, sed ullum omnino peccatum sua natura, & ex suo genere esse veniale & venia dignum, ex illis dictis probari nunquam poterit. Si de verbo inutili rationem deberemus in judicio reddere, quis consisteret? per fidem in Christum ab illo judicii divini rigore liberamur, *qui enim in Christum credit, non venit in judicium* Joh. V 24. Quis vero patienter audiat, voluntariam turpitudinem & scurrilitatem numerari inter venialia peccata, quæ sua natura venia sint digna, cum verbum turpe & scurrile animam proximi gravius vulneret, quam gladius ipsius corpus? Diserte apostolus cap. IV. 29. & 30. sermone σαπρῷ Spiritum sanctum contristari pronunciat.

§. CI.

§. CI. Quæ ex concilio Milevitano, Origene, Chrysostomo & Augustino Bellarminus producit, ea nostræ non adversantur sententiæ, probant enim hoc tantum, quod sint peccatorum gradus, quod sint quædam venialia peccata, quod renatis sæpe in levissimis & aliquando incautis obrepat peccatum, per quod non desinunt esse justi, quod sine levibus ac brevibus quotidianis peccatis hæc vita nostra non traducatur &c. quorum nihil a nobis negatur; probandum vero erat, quædam peccata esse sua natura venialia & venia digna, quod diserte in dictis ipsorum non occurrit. Audiamus ergo rationes, quas profert Bellarminus cap. 11. I.) *Si venialia peccata sua natura essent mortalia, in infidelibus omnia omnino peccata essent mortalia: posterius est absurdum; ergo & prius.* Resp. imo vero hoc certissimæ veritatis est, quod omnia infidelium opera sint peccata, Matth. VII. 18. *Non potest arbor mala fructus bonos facere.* Joh. III. 36. *Qui incredulus est Filio, super eum manet ira Dei.* Rom. XIV. 23. *Quicquid non fit ex fide, peccatum est.* Tit. I. 15. *coinquinatis & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt ipsorum mens & conscientia.* Hebr. XI. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Quid ab inimicis, qua talibus, offerri potest gratum & acceptum? quis ab oleastro sperari potest fructus? Proinde quamvis quædam infidelium opera juxta externam speciem videantur adprime bona, & suo genere (vel ut alii loquuntur) ex substantia actus sint honesta, ut cooperire nudum, subvenire periclitanti &c. tamen coram Deo sunt peccata, quia fiunt in vetustate literæ, non in novitate spiritus, a persona Deo nondum reconciliata; non fiunt ex fide in Christum, nec referuntur ad verum finem, videlicet Dei gloriam. Nondum renati sunt in peccatis mortui, ut ergo spiritualis vita in eis nulla, ita quoque spiritualis operatio non est ab eis exspectanda. Huic sententiæ calculum suum addunt Ambrosius, Augustinus & Anshelmus, ut suo loco videbimus, unde glossa ordinaria in Rom. XIV. ex illis scribit: *Omnis infidelium vita peccatum est.* *At*, inquit Bellarminus, *fidelis magis tenetur perfectioni studere, quam infidelis; ergo in eodem peccati genere gravius Deum offendit.* Luc. XII. *Servus sciens voluntatem Domini &c.* Hebr. X. *Deteriora meretur supplicia, qui Filium Dei conculcaverit &c.* Resp. certum est, renatos per peccata mortalia contra conscientiam admissa gravius Deum offendere, quam infideles vel non renatos, quibus tantum cognitionis lumen ac tantus beneficiorum divinorum cumulus non obtigit, sed ex eo nondum inferri potest, quædam peccata infidelium esse sua natura venialia. Quod enim in renatis quædam sunt venialia, id non est a natura peccatorum, sed ex sola Dei miserentis & peccata non imputantis gratia; ergo in non renatis ac infidelibus omnia omnino peccata sunt, & manent talia, qualia sunt ex sua natura, hoc est, mortalia. Ubi vera in Christum fides, per caritatem efficax, ibi homo spiritualiter vivit, hanc spiritualem vitam non amittit per quævis peccata ignorantiæ & infirmitatis, modo ea agnoscat, deploret, & Christo adhærens spiritu concupiscentias carnis mortificet, sed per peccata contra conscientiam admissa, per quæ Spiritus sanctus excutitur, fides & vita spiritualis amittitur. In non renatis ac infidelibus locum non habet spiritualis vita, sunt enim in peccatis mortui & ira Dei super ipsos manet; ergo tale peccatorum discrimen in ipsis non habet locum. II.) *Non ideo peccatum aliquod veniale, quia Deus illud ad reatum mortis aeternae non imputat, sed ideo Deus ad reatum mortis aeternae non imputat, quia veniale est. Veniale siquidem dicitur, quod est venia dignum.* Resp. imo vero ideo aliquod peccatum veniale, non quia sua natura venia dignum, sed quia Deus illud credentibus in Christum & peccatum illud mortificantibus non imputat: major hic rei, quam nominis habenda ratio. Scriptura nuspiam adpellat peccata venialia, interim tritam illam & usitatam adpellationem retinemus, sed veram ex scripturis declarationem addimus. Addit Bellarminus: *ideo a nobis quaedam peccata dici venialia, quia sunt involuntaria, quaedam vero mortalia, nimirum quae sunt voluntaria, & ex eo colligere*

Ex patribus.

Ex ratione.

gere nititur, re ipsa nos adfirmare, quod verbis negemus, videlicet ad ipsam peccati naturam mortalium & venialium peccatorum discrimen esse referendum, cum voluntarium esse ad propriam peccati rationem pertineat, adeo ut plane non sit peccatum, quod nullo modo voluntarium. Resp. Augustinianum illud, quod omne peccatum sit voluntarium, de solis actualibus, & ne de omnibus quidem, sed de solis peccatis malitiæ intelligendum, alias ipsum originale peccatum, uti etiam ignorantiæ & infirmitatis peccata negabuntur. Non est perpetuum, quod ea peccata sint mortalia, quæ voluntaria; & vicissim venialia, quæ involuntaria; cum peccatum originale in infantibus nondum baptizatis sit mortale, etiamsi non sit voluntarium. Ideo autem quædam dicuntur in renatis mortalia, quia contra conscientiam admissa excutiunt fidem & Spiritum S., quod non fit per peccatum inhærens, quamdiu illi resistitur. III.) *Peccatum veniale ex natura sua non ponit aversionem a Deo, cum non repugnet caritati. At pœna aeterna non debetur peccato, nisi ratione aversionis a bono aeterno.* Resp. de peccati magnitudine judicandum ex lege, ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία· 1 Joh. III. 4. quicquid ergo a lege deflectit, peccatum est, omne autem peccatum sua natura tale est, ut a lege accusetur & damnetur. Quamvis ergo venialia peccata non videantur actu & formaliter pugnare cum caritate Dei & proximi, tamen quia testantur, in corde hominis non esse tantam caritatem, quantam lex exigit, ideo sunt & manent sua natura mortalia peccata contra legis prohibitionem admissa, ac proinde si Deus in judicium suum ea adduceret, ipse tanquam ignis consumens propter ea nos jure a se rejicere & damnare posset. IV.) *Non quaevis offensio dissolvit amicitiam inter homines; ergo etiam venialibus peccatis non offenditur Deus usque ad amicitiae dissolutionem. Qui amicum incaute vel in re levissima laedit, judicio prudentum non censetur solvendae amicitiae satis justam causam dedisse.* Resp. non ex rationis judicio, *sed ex lege est agnitio peccati* Rom. III. 20. *Non sunt cogitationes Dei, sicut cogitationes nostrae, nec viae Dei sunt sicut viae nostrae, sed quanto altiores sunt cœli, quam terrae, tanto altiores sunt viae Dei, quam viae nostrae.* Esa. LV. 8. & 9. Alia Dei, alia hominum judicia. Adde, quod humano etiam judicio delictum soleat æstimari juxta dignitatem personæ offensæ, qui incaute vel in re levi offendit principem, gravius judicatur peccare, quam qui alium in re majori offendit. Quamvis ergo venialia peccata actu non dissolvant Dei & renatorum amicitiam, (ut Bellarmino placuit loqui) hoc est, quamvis non per quævis peccata renati excidant Dei gratia; id tamen non fit ex natura peccatorum, sed ideo, quia talia non excutiunt fidem & Spiritum S. De infidelibus dici non potest, per leviora peccata non dissolvi amicitiam, quæ cum Deo ipsis intercedit, cum sint Dei inimici. V.) *Venialia peccata nec sunt perfecte voluntaria, nec perfecte contra legem; ergo non sunt perfecte peccata, sed tantum imperfecte & secundum quid.* Resp. actualia peccata non esse *eodem gradu* voluntaria, concedimus, sed ex eo inferri non debet, quod sint imperfecte peccata, quia ex legis norma de peccato judicandum. Quicquid est ullo modo contra legem, illud est peccatum vere & proprie dictum, licet alio peccato minus sit. Si ergo nomine *imperfecti* peccati Bellarminus hoc quærit, ut obtineat, involuntaria peccata non esse vere & proprie peccata, tunc illam vocem improbamus, quia originale peccatum non est voluntarium; & tamen vere, proprie ac perfecte imo perfectissime est peccatum. Si vero nomine *imperfecti* peccati gradus peccatorum exprimit, concedimus peccata alia aliis graviora esse, sed ex eo nondum sequitur, quod leviora illa, quæ reliquorum graviorum comparatione ita dicuntur, non sint vere & proprie peccata, cum sint ἀνομία sive deflectio a legis norma. Probandum igitur erit, quædam peccata non esse contra legem. *Peccatum veniale ex parvitate materiae* (ait Bellarminus) *non est perfecte contra legem, quia lex prohibet furtum in genere, non autem furtum unius oboli in specie*, quæ consecutio mirabilis est, ex genere enim & toto ad speciem & partes firmissime procedi docent omnes logici, quia lex prohibet furtum in gene-

genere, ideo etiam prohibet furtum unius oboli in specie. *At*, inquit Bellarminus, *furtum levius non laedit enormiter proximum; ergo nec repugnat caritati proximi, nec est contra legem perfecte.* Resp. furtum majus proximum laedit gravius, interim tamen furtum etiam levissimum caritati proximo debitæ repugnat, quod ostendit regula Christi: *Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, idem & vos illis facite*, Matth. VII. 12. Adpellavit in ratione quarta Bellarminus ad judicium prudentum, audiat ergo hic jurisconsultos, qui rectissime disputant, *etiam in re minima vere committi furtum, cum majus & minus non mutent speciem.* §. Gallinarum 16. inst. de R. D. arg. l. 3. §. 1. ff. commodati l. 3. C. de distract. pign. l. 37. ff. de usucap. c. 4. C. 14. q. 6. Clarus in §. furtum. nu. 23. testatur, hanc esse communem sententiam. Et recte monet Wesenbecius, *pauperibus unum nummum esse pretiosiorem, quam divitibus centum.* Fictitia ergo & falsa distinctio est, quod quædam tantum peccata sint *contra legem*, quædam vero tantum *praeter legem*, cum omne peccatum sit ἀνομία ac proinde contra legem. Vasquez in Thom. disp. CXLIII. cap. 4. num. 8. *Negari non potest, peccatum veniale esse contra aliquod praeceptum legis.* Azorius instit. moral. lib. IV. cap. 8. Dicendum est, ut docuerunt Durandus, Cajetanus, Vega, *veniale peccatum esse quidem contra legem Dei, id quod argumenta adversariorum* (protestantium) *comprobarunt: at non est contra speciale Dei praeceptum de amicitia ejus nunquam violanda.* (quod subterfugium vanum ac putidum esse ostendit Thom. Mortonus apol. cath. lib. II. p. 2. cap. 23.) Pergit Bellarminus ac disputat, *praecepta de re minima non esse proprie & in rigore praecepta, siquidem constituantur de re, quae parum admodum ad finem praecepti, videlicet caritatem pertinet.* Resp. non poterat pharisæorum causa melius defendi, quam hac ratiocinatione, cum & ipsi statuerint, præcepta de rebus minimis non esse proprie, perfecte & in rigore præcepta: imo serpentina diaboli primævos homines decipientis calliditas non poterat speciosiori schemate pingi atque velari, quam quod primordialis illa lex, de non comedendo arboris vetitæ fructu sit præceptum de re minima, ac proinde non perfecte & in rigore præceptum, cujus transgressio magnopere a Deo curetur. Atqui obligatio præcepti dependet non a quantitate objecti, sed a majestate præcipientis: non tam quid dicatur, quam quis dicat, in lege Dei attendendum; qui in uno non veretur Dei præceptum violare, audebit id ipsum etiam in alio, qui in minimo inobediens, is in majoribus itidem remissus. VI.) *Absurdissimum est statuere, quod per veniale aliquod peccatum homo justus fiat praevaricator legis, cum scriptura quosdam nominet simpliciter sanctos & justos, etiam cum peccatis venialibus non carerent, ut de Zacharia & Elisabetha* Luc. I. Resp. coram Deo erant justi non *legaliter*, sed evangelice per fidem in Messiam; & hanc fidei justitiam demonstrabant exterius sincera erga legem Dei obedientia, qua de re suo loco dicetur plenius. Nec ullo modo absurdum, sed certissime verum est, renatos per quodcunque peccatum fieri legis prævaricatores, *ideoque ex operibus legis non justificatur omnis caro; quod erat legi impossibile, id praestitit Deus mittens Filium: a Christo exciderunt, qui per legem justificari volunt: si ex lege justitia, Christus frustra mortuus est.* VII.) *Venialia peccata non excludunt caritatem; qui vero proximum diligit, legem implevit.* Rom. XIII. *Ergo venialia peccata non tollunt impletionem legis, nec sunt proprie contra legem.* Resp. non qualiscunque, sed perfecta caritas est impletio legis, quare cum caritas in hac vita non sit perfecta, & omnibus numeris absoluta, ideo non potest in ea quæri & statui coram Deo valens justitia. Venialia peccata in renatis etsi directe & formaliter non pugnent cum caritate proximi, tamen pugnant cum caritate Dei, qui tulit legem istam, quam per peccata venialia transgredimur, & quam perfectissima Dei & proximi dilectione implere debebamus.

§. CII. Atque hæc dicta sint de venialibus peccatis, an sint talia sua natura, an vero ex Dei propter Christum ea non imputantis gratia,

quam controversiam Bellarminus vocat non levem, cum ardua illa de nostri coram Deo justificatione quæstio non mediocriter ex ea illustretur. De mortalibus peccatis itidem gravis agitatur controversia, *an renati per ea excutiant fidem & Spiritum S., ac amittant gratiam & vitam aeternam?* Ad quam ex verbo Dei adfirmate respondet Augustana confess. art. XII. ejus discussionem rejiciemus in tractatum de fide justificante. Porro mortalia peccata septenarii numeri ambitu complectuntur Scholastici plerique, eademque memoriæ caussa includunt voci *SALIGIA*, significantes *superbiam, avaritiam, luxuriam, iram, gulam, invidiam, acediam.* Vere autem monet Toletus Jes. instruct. sacerd. tract. de pecc. mortal.

An sint septem mortalia peccata?

restius ea dici capitalia, quam mortalia, cum plura sint omnino peccata mortalia. Gal. V. 19. numerantur inter opera carnis *adulterium, fornicatio, immundities, luxuriae.* v. 20. *idololatria, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, haereses,* v. 21. *invidia, homicidia, ebrietates, comessationes*; & additur, *quod qui ea & illis similia agunt, non sint consecuturi cœlestis regni possessionem.* Augustinus in speculo præfat. epist. ad Rom. *Quidam putant, tria tantum crimina esse mortifera, idololatriam & homicidium & fornicationem, ubi utique & adulterium & omnis praeter uxorem concubitus intelligitur: quasi non sint mortifera crimina; quaecunque alia sunt praeter haec tria, quae a regno Dei separant.*

CAPUT XX.

DE PECCATIS REGNANTIBUS ET NON REGNANTIBUS.

§. CIII.

Quoddam peccatum regnans, quoddam non regnans.

Finiamus tandem hanc de discrimine venialis ac mortalis peccati dissertationem: succedat actualium peccatorum divisio *decima septima*, qua quædam dicuntur peccata *regnantia*, quædam *non regnantia.* Convenit hæc re ipsa cum priore, quia peccata mortalia in renatis dicuntur regnantia, sed venialia dicuntur non regnantia. Fundamentum hujus divisionis exstat: Rom. VI. 12. *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Quando ergo originalis concupiscentia membris inhærens non mortificatur, sed ejus desideriis secure indulgetur, tunc fit peccatum regnans, sive dominans. Joh. VIII. 34. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* 1. Joh. III. 6. *Omnis, qui manet in Christo, non peccat.* v. 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* v. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Aliud ergo est in Johanne peccare, & *peccatum facere*, hoc est, concupiscentias pravas & desideria peccatricis carnis perficere: aliud vero *peccatum habere*, hoc est, concupiscentiæ motus sentire. Felix anima, quæ sentiens peccatum non consentit peccato!

CAPVT XXI.

DE PECCATIS PER SE ET PER ACCIDENS.

§. CIV.

Quædam sunt peccata per se, quædam κατ' ἄλλο & per accidens.

Decimo octavo. Quædam sunt *per se* peccata, quædam vero κατ' ἄλλο, *propter aliud*, Sic quando infideles furantur, fornicantur, rapiunt &c. ea sunt *per se* & ex natura actus peccata; quando vero cooperiunt nuditatem proximi, eidemque subveniunt &c. ea ex se & quoad naturam actus non sunt peccata, sed *per* ac *propter aliud* fiunt peccata, quia persona Deo nondum est reconciliata, qualia talia opera non procedunt ex puro corde, quia non diriguntur ad Dei gloriam. Usus hujus divisionis est multiplex. Dicebat b. Lutherus, *justum in omni bono opere peccare*; graviter hoc exagitat Bellarminus; sed observa, bona

bona opera renatorum non dici peccata *per se* & quoad substantiam actus, sunt enim cultus Deo gratissimus & odor suavitatis coram ipso, sed quia renatis bona operantibus adhæret peccatum, & quia illa ipsa bona opera non sunt *perfecte* bona, ideo hoc respectu verissime dicitur, justum in omni opere bono peccare, & bona opera renatorum esse peccata, nimirum κατὰ τί propter adhærentem pravam concupiscentiam & multiplicem imperfectionem, propter quam Deus ipsa renatorum bona opera repudiare posset, si ad rigidam legis normam ea velit exigere. Atque inde est, quod Esaias LXIV. 6. *omnes nostras justitias coram Deo quasi pannum mulieris menstruatae esse* pronunciat. *Iugiter super pannum vitae, quem justitiae operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum*, scribit Adrianus de Trajecto in IV. sent. referente Cassandro in sua consult. Ad ejus examen vita nostra ducitur, sub quo & ipsæ virtutes trepidant. Quia vero renatorum bona opera procedunt ex fide, ideo adhærentes istas sordes & imperfectionem Deus ipsis non imputat, sed filialem ipsorum obedientiam in Christo ac propter Christum gratam habet.

CAPUT XXII.

DE PECCATO MORTUO ET VIVENTE.

Quoddam peccatum mortuum, quoddam vivens.

§. CV.

Decimonono. Est quoddam peccatum *mortuum*, quoddam vero *vivens*. Fundamentum hujus divisionis exstat Rom. VII. 8. *Sine lege peccatum erat mortuum.* v. 9. *sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.* Ergo respectu legis manifestantis & accusantis peccatum aliud dicitur *mortuum*, aliud *vivens*. Peccatum *mortuum* est, quod in nobis quidem hæret, sed non agnoscitur pro peccato, neque ita furit, ut solet post legis cognitionem. Peccatum *vivens* dicitur, quod ex legis speculo agnoscitur & in nobis furit.

CAPUT XXIII.

DE PECCATO MANENTE ET REMISSO.

Quoddam peccatum manens, quoddam remissum.

§. CVI.

Vigesimo. Est quoddam peccatum *manens*, quoddam vero *remissum*. Fundamentum hujus divisionis exstat Joh. IX. 41. *Si cæci essetis*, (si agnita cœcitate vestra ad medicum animæ confugeretis) *non haberetis peccatum*, (remitteretur vobis peccatum vestrum) *nunc vero dicitis, quod videatis*, (non agnoscitis morbum, nec quæritis medicum) *ideo peccatum vestrum manet.* Peccatum igitur *manens* est omne, quod non remittitur, de quo præcedente cap. VIII. 24. Christus loquitur ad Pharisæos: *Moriemini in peccatis vestris*; & quia non aliter obtineri vel obtingere potest peccatorum remissio, nisi fide in Christum, ideo addit: *Si non credideritis, quod ego sim*, (lux mundi, unicus mediator & agnus Dei, qui tollit peccata mundi) *moriemini in peccatis vestris.* Joh. III. 36. *Qui non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei* μένει ἐπ' αὐτὸν, *manet super ipsum.*

CAPUT XXIV.

DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

De peccato in Spiritum sanctum.

§. CVII.

Denique cum omnia peccata reliqua sint remissibilia, unum a Christo statuitur irremissibile, videlicet *peccatum in Spiritum S.*, de quo pronunciat Augustinus serm. XI. de verb. Dom. quod *Deus exercere nos voluerit difficultate quaestionis de hoc peccato, cum*

m

in omnibus scripturis sanctis forte nulla major, nulla difficilior inveniatur. Ipse autem statuit peccatum illud in Spiritum S. esse *cordis impœnitentis perseverantem duritiem, quae in nullo, dum in hac vita est, deprehendi possit.* Vide epist. L. ad Bonifac. lib. de corrept. & grat. cap. 12. de vera & falsa pœnit. cap. 4. Athanasius q. 71. tom. II. p. 296. ἐὰν εἴπεν ὁ θεὸς τῷ βλασφημοῦντι καὶ μετανοήσαντι· ἐκ ἀφεθήσεται, ἀλλὰ τῷ βλασφημοῦντι, ἤγουν τῷ ἐν τῇ βλασφημίᾳ ἐπιμένοντι, ἐπειδήπερ ἐκ ἔστιν ἁμαρτία ἀσυγχώρητος παρὰ τῷ θεῷ ἐν τοῖς ὁσίως καὶ κατ' ἀξίαν μετανοοῦσιν. Gregorius in Psal. LI. *Quis est, qui peccat in Spiritum S., nisi qui non credit remissionem peccatorum? remisso enim peccatorum opus est Spiritus S.* Lombardus lib. II. sent. dist. 43. lit. A. *Quidam dicunt, illud peccatum esse desperationis vel obstinationis. Obstinatio est induratae mentis in malitia pertinacia, per quam homo fit impœnitens. Desperatio est, qua quis diffidit penitus de bonitate Dei, aestimans suam malitiam divinae bonitatis magnitudinem excedere. Utrumque dicitur in Spiritum S., quia Spiritus S. est amor Patris & Filii, & benignitas, qua se invicem & nos diligunt, quae tanta est, cujus finis non est.* lit. B. *Quidam dicunt, omnem obstinationem & omnem desperationem esse peccatum in Spiritum S. Alii dicunt illam tantum adpellari peccatum in Spiritum S. quam comitatur impoenitentia.* lit. C. *Est etiam alia hujus peccati adsignatio, videlicet cum post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem & adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidiae facibus agitatur.* lit. D. *Secundum Ambrosium, si quis corporis specie deceptus humani remissius aliquid sentit de carne Christi, quam dignum est, habet culpam, non est tamen exclusus a venia, si quis vero sancti Spiritus dignitatem, majestatem & potestatem abneget sempiternam, & putet non in Spiritu Dei ejici daemonia, sed in beelzebub, non potest ibi exhortatio esse veniae, ubi sacrilegii plenitudo est.* Thomas p. II. q. 14. art. 1. *Antiqui doctores, Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus & Chrysostomus dicunt, esse peccatum in Spiritum S., quando ad literam aliquid blasphemum dicitur contra Spiritum S., sive Spiritus S. accipiatur, secundum quod est nomen essentiale, sive prout est nomen personale.* Augustinus dicit, esse *finalem impoenitentiam.* Alii dicunt, peccatum in Spiritum S. esse, *quod provenit ex certa malitia,* bonitas enim adpropriatur Spiritui S. &c. Communiter sex species hujus peccati constituunt Scholastici: 1.) desperationem, 2.) praesumtionem, 3.) impugnationem agnitae veritatis, 4.) invidentiam fraternae caritatis, 5.) impœnitentiam, 6.) obstinationem. Vide commentatores in II. sent. dist. 43.

§. CVIII. Ut ad veram & propriam hujus peccati designationem penetrare possimus, diligenter expendenda sunt scripturae dicta, quae de eo agunt: Matth. XII. 31. (*) *Omne peccatum & blasphe-* *Ex scriptura.*

(*) Est hic locus sedes doctrinae de *peccato in Spiritum S.* qui enim adjunguntur, loci paralleli *Marc. III. 29. Luc. XII. 10.* unum duntaxat oraculum sacrum constituunt. Equidem GERHARDUS noster ac complures alii theologi cum hocce loco conjungere solent nonnulla alia dicta, quae *Ebr. VI. 4. seqq. X. 26, 29. 1. Joh. V. 16.* leguntur, ubi de ejusmodi peccato sermo est, quo commisso homines ad pœnitentiam renovari nequeunt, nec ullum pro peccato habent sacrificium, & pro quo orare haud licet. Verum sunt magni nominis theologi, qui, gravibus inducti rationibus, negant, haec dicta esse παραβλητα, itidem de peccato in Spiritum S. agentia. Neque enim in iis vocabulum *peccati in Spiritum S.* occurrit, cujus notio scripturae non inferenda, sed ex illa potius eruenda est. Quod speciatim ea oracula sacra, quae ex epistola ad Ebraeos adferuntur, attinet, ea agunt de apostasia eaque qualificata, quae fit ab homine satis illuminato, qui jam ad praecipuum quendam vitae spiritualis gradum pervenit. Locus vero Johannaeus de quovis peccato gravi morteimque spiritualem inferente agit, nosque condocet, pro ejusmodi peccatore non orandum esse Deum, ut peccatum ex malitia commissum ipsi remittat, cum id sine praevia pœnitentia eaque seria fieri haud possit, Deusque prius

blaſphemia remittetur hominibus. Spiritus autem blaſphemia non remittitur. v. 32. *Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Marc.

prius invocandus ſit, ut ejusmodi peccatorem convertat, utpote qui nonniſi peccata infirmitatis, quæ *non* ſunt *ad mortem*, immediate condonet fidelibus. Proinde non aliud nobis ſuppetit fundamentum definiendi, quid ſit peccatum in Spiritum ſanctum, præter verba optimi ſervatoris, a ſcriptoribus ſacris, Matthæo, Marco & Luca *locis citatis* recitata. Hiſce ut noſtra ſolide ſuperſtrui queat tractatio, ante omnia occaſionem de ſingulari hac peccati ſpecie differendi Chriſto ſuppeditatam paucis commemorabimus.

Adlatus erat ſervatori Chriſto dæmoniacus cœcus & mutus, quem is mox ſanavit, ita, ut cœcus & mutus loqueretur & videret. Conſpecto inſigni hocce miraculo, quod potentiam vere divinam arguebat, obſtupuit tota turba, Deique celebravit laudes, dicendo: *numquid hic eſt filius Davidis*, h. e. Meſſias, Davidis familiæ promiſſus? Non quidem plane adfirmabant iſti homines, qui oculati hujus miraculi teſtes erant, Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam. Agnoſcebant tamen in eo virtutem quandam atque potentiam divinam, quod luculentum fidei incipientis ſignum erat. Id ægre ferentes phariſæi, invidiæ odiique oeſtro perciti, miraculum a Chriſto perpetratum, quod nullis rationibus ſolidis aut ſpecioſis ſaltim impugnari poterat, fidemque eorum promovere & poterat & debebat, in atrocis calumniæ convertere materiam, Chriſtumque conſpirationis cum diabolo arguere haud dubitabant, dicentes: *hic non ejicit dæmonia, niſi per Beelzebulem, dæmoniorum principem.* Inſignem hujus calumniæ abſurditatem poſtquam variis rationibus comprobaverat ſervator, occaſionem vel tandem arripuit, oſtendendi gravitatem hujus peccati, quod directe Spiritum ſanctum lædat atque ita ſit comparatum, ut illius remiſſio neque in hoc, neque in futuro ſeculo obtineri poſſit. *Itaque ſic habetote*, inquit, *omne peccatum ac maledictum remittetur hominibus: Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; at ſi quis contra Spiritum ſanctum dixerit, non remittetur ei, nec in hoc ſeculo nec in futuro.*

Patet ex hoc ſervatoris optimi effato 1) omnia peccata, etiam maxima atque atrociſſima, hominibus remitti poſſe propter Chriſtum, qui pro omnibus peccatis pleniſſime ſatisfecit; 2) a regula hacce generali nonniſi unicum excipi peccatum; 3) illud peccatum adpellari peccatum in Spiritum ſanctum; 4) peccatorem in Spiritum ſanctum aperte dici βλασφημειν apud Matthæum, Marcum & Lucam, adeoque non animo duntaxat, ſed etiam ore graviter peccare; blaſphemia enim eſt peccatum oris, quod lingua committitur; 5) diſcerni hocce peccatum ab omni alia blaſphemia *Matth. XII. 31. Marc. III. 21.* adeoque eſſe peccatum prorſus ſingulare, ab omnibus aliis diverſum; 6) opponi hocce peccatum iſti injuriæ, qua quis *filium hominis*, generis humani redemtorem, adficit; 7) injuriam filio hominis illatam non eſſe tam atrox peccatum, quam peccatum, quod in Spiritum ſanctum committitur; ac denique 8) hujus generis peccatum ita comparatum eſſe, ut a Deo non remittatur neque in hoc, neque in futuro ſeculo.

Jam, ut ordine progrediamur I) inquirendum nobis eſt, quid per SPIRITUM SANCTUM intelligat ſervator, quando peccati in eundem commiſſi in oraculo modo recitato facit mentionem? Conſtat, in Spiritu S., tertia divinitatis perſona, tria cumprimis deprehendi, noſtra conſideratione digniſſima. Nam 1) *naturam* divinam cum patre & filio communem, immo eandem habet; 2) eſt *perſona* divina a patre filioque diſtincta, ita tamen, ut utrique par atque æqualis ſit; 3) varia *dona*, ac ſpeciatim *media* gratiæ convertentis, illuminantis, ſanctificantis, beantis, & quæcunque ad ſalutis ſpectant *adplicationem*, Spiritui ſancto ſingulari quadam ratione in divinis libris adſignantur. Vid. *1. Iob. V. 6, 8. 1. Cor. XII, 3, 4.* Nemo non videt, neque in *natura*, neque in *perſona* Spiritus S. quidquam deprehendi *ſingulare*, propter quod peccatum in Spiritum ſanctum ab omnibus aliis notabili ratione diſtingui, multoque gravius cenſeri queat iis peccatis, quæ vel in Patrem, vel in Filium committuntur. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam ut dicamus, in denominatione hujus peccati reſpici ad *operationes* Spiritus S. atque ad *media* illa, quibus ſanctior ille Spiritus homines vult convertere atque ad fidem in Chriſtum perducere. Neque enim converſio hominis aliter obtineri poteſt, niſi *mediis gratiæ* adhibitis, recteque *uſurpatis*; cum contra, iis rejectis ac repudiatis, homo nunquam ſalutari mentis mutatione reſipiſcere, veniamque peccatorum ſuorum apud Deum ob-

Marc. III. 28. *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata & blasphemiae, quibus blasphemaverint.* v. 29. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum S., non habet*

tinere queat. Atque hæc gratiæ divinæ media, quibus Deus in hominum conversione utitur, eaque non *ordinaria* duntaxat, sed & *extraordinaria*, quorsum cumprimis *miracula* pertinent, repudiarunt immo blasphemarunt pharisæi, atque hac ipsa ratione peccatum omnium gravissimum, nimirum peccatum in Spiritum sanctum commiserunt.

Hisce positis jam *II*) natura peccati in Spiritum sanctum opera haud difficili determinari potest. Est nimirum nihil aliud, quam *malitiosa ac contumax resistentia, quae omnibus gratiae mediis, tum ordinariis, tum extraordinariis ac superabundantibus, a peccatoribus in negotio conversionis opponitur, cum publica irrisione ac contemtu illorum mediorum seu operationum gratiae conjuncta.* Atque ita comparata erat calumnia pharisæorum, ad quam verba servatoris in oraculo nostro respiciunt. Ediderat servator Christus quam plurima miracula, eaque longe præstantissima, in conspectu pharisæorum, non alium in finem, quam ut infensissimi isti personæ ac doctrinæ Christi hostes evidentissime convincerentur, Jesum esse verum Messiam patribus promissum ipsumque Dei filium, in quem omnes credere debeant, qui vitam consequi velint sempiternam. Erant proinde miracula a Christo perpetrata *media extraordinaria*, queis Spiritus sanctus, cui opus regenerationis nostræ peculiari ratione adpropriatur, ad homines istos convincendos, illuminandos ac convertendos uti voluit. Neque pharisæi negare poterant veritatem istorum miraculorum, quibus cœlestem suam missionem, doctrinæque suæ veritatem ac divinitatem, tanquam argumento omnium certissimo potentissimoque adstruxit generis humani redemtor. Patet hoc ex verbis NICODEMI, quibus suo & fratrum suorum nomine Christum adlocutus est, quando ait: *Magister, scimus, te venisse doctorem a Deo. Nam ista tam miranda facere, quae tu facis, nemo possit, nisi adsit ei Deus, Iob. III. 2.* Nihilo tamen minus ex immani adversus Christum odio, non tantum publice negabant, opera ista, naturæ viribus superiora, ab ipso naturæ domino atque auctore profecta esse; sed & malitiose calumniabantur, Christum per conspirationem quandam cum infernali genio, immo cum principe dæmoniorum, opera ista atque prodigia prorsus stupenda edere. Hæc si quis probe attenderit, facile perspiciet, definitionem peccati in Spiritum S. quam modo suppeditavimus, recte se habere. Is nimirum peccatum in Spiritum sanctum committit, 1) qui *media*, non tantum *ordinaria*, sed & *extraordinaria*, quibus Spiritus S. in opere conversionis utitur, malitiose ac pertinaciter rejicit, exemplo pharisæorum, qui extraordinariis gratiæ convertentis mediis obicem posuerunt; 2) qui mediis gratiæ non tantum resistit, hacque ratione conversionem suam impedit; sed & illa conversionis media spernit atque irridet, Spiritumque sanctum, (seu potius *operationes* Spiritus sancti, quæ per το πνευμα denotantur, *Marc. III. 30.*) blasphemare haud dubitat.

Progredimur jam *III*) ad *peccati* hujus *irremissibilitatem*. Disertis verbis pronunciat servator, *non remittetur* (hocce peccatum) *neque in* HOC SECULO, *neque in* FUTURO, id quod, præeunte Marco *cap. III. 29.* secure ita interpretamur, *non habet remissionem in aeternum.* Nec contemnenda est HUG. GROTII aliorumque virorum eruditorum observatio, servatorem nostrum eam ob rationem utrumque nominasse seculum, & *praesens*, quod fluit usque ad vitæ hujus animalis terminum, & *futurum*, quo Ebræorum sapientes *statum animarum post mortem* intellexerunt, ut hac ipsa ratione confutaret vanam, qua Judæi sibi adversus gravissima delicta blandiebantur, persuasionem. Existimabant nimirum, esse peccata a religionis Judaicæ sociis commissa, quæ abstergat mera *pœnitentia*, si præceptum adfirmativum fuerit transgressum; esse alia, ad quorum remissionem opus sit *sacrificiis*; esse rursus alia tam gravia, ut remitti nequeant, nisi in *die* solemni *expiationis*, ut quæ committantur contra pleraque præcepta negativa; iterum alia his adhuc graviora deleri per *hujus vitæ castigationes*, verb. grat. ea, quæ *mortis* aut *excidii* pœnam adjunctam habeant; denique & esse peccata gravissima, quæ demum *post mortem*, sive statim, sive post temporis alicujus moras, remittantur, ut quæ cum manifesto divini numinis contemtu sint conjuncta. Loca talmudica, quæ huc spectant, collegerunt JO. LIGHTFOOTUS in *horis ebraicis ad h. l. oper. tom. II. p. 324.* ROBERT. SHERINGHAMUS in *Iona cap. VIII. §. 8, 9.* HERM. WITSIUS in *miscell. sacror. tom. I. libr. II. diss. VI. §. IV. seqq. p. 619. seqq.* aliique. Persuadebant itaque sibi Judæi, quædam delicta in *hoc seculo* expiari

bet remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti; v. 30. *quoniam dicebant, Spiritum immundum habet.* Luc. XII. 10. *Omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur ei;*

expiari veniamque consequi; alia vero, eaque graviora, quibus divini nominis blasphemiam accensebant, demum remitti in *futuro seculo*, & quidem vel per mortem ipsam, vel per passiones mortem insecutas. Vid. *Sanhedrim fol. 37. col. 3.* At contra Christus docet in oraculo nostro, blasphemiam in Spiritum S. ita esse comparatam, ut ii, qui istam committant, sibi nulla vel *hujus*, vel *futuri seculi* expiatione blandiri queant.

Hisce præmissis jam *IV)* inquirendum nobis est, quænam sit vera immo unica *causa*, cur peccatum hoc remitti prorsus nequeat. Si peccatum aliquod est *irremissibile*, fundamentum hujus *irremissibilitatis* quærendum *vel* in defectu gratiæ sufficientis voluntatisque divinæ peccatum istud remittendi, *vel* in defectu satisfactionis pro illo præstitæ; *vel* denique in natura hujus peccati prorsus singulari ac propria. Ob defectum gratiæ sufficientis aut voluntatis Dei nullum peccatum, adeoque nec peccatum in Spiritum S. esse irremissibile, vel exinde patet, quia gratia atque misericordia Dei est infinita, atque peccato omni, etiam atrocissimo, multis modis abundantior, *Rom. V. 20.* Constat quoque e sanctioribus litteris, ipsis pharisæis, quos Christus diserte peccati in Spiritum S. reos peregerat, *Marc. III. 30.* tamen postea per Christum atque apostolos oblata fuisse gratiæ media. Nec defectus satisfactionis a Christo præstitæ causa esse potest, quod peccatum hocce est irremissibile, siquidem Christus pro omnibus ac singulis hominibus & pro quocunque peccato plenissime satisfecit, secundum clarissima sacræ scripturæ oracula, *1. Joh. I. 7. II. 2. Ebr. II. 9.* aliaque multa. Nihil itaque superest, quam ut dicamus, in ipsa natura hujus peccati prorsus singulari quærendam esse ejusdem irremissibilitatem. Scilicet peccator in Spiritum S. omnia gratiæ media, tum ordinaria, tum extraordinaria, maxima & perpetua animi obstinatione repudiat, qua quidem ratione μετανοιαν, seu *mentis mutationem* salutarem, quæ *remissionem peccatorum* præcedere debet, reddit impossibilem, *semenque* christianæ *fidei* tollit. Sublata autem fide, quo modo salutis per Christum recuperatæ recta fieri potest applicatio?

Quæstio quoque moveri solet *V)* an soli *renati*, an vero etiam *irregeniti* in hocce peccatum incidere queant? Multi nostrorum theologorum hocce peccatum *renatorum* proprium esse contendunt, provocantes cumprimis ad auctorem epistolæ ad Ebræos *cap. VI. 4. seqq.* Verum supra jam observavimus, in hocce oraculo nullam peccati in Spiritum sanctum fieri mentionem. Proinde nec ad illud provocari potest, quamdiu de natura atque indole hujus peccati controversia agitatur. Ex altera vero parte cœtus Reformati doctores solis *non renatis* hocce peccatum tribuunt, quoniam sibi persuadent, quod vere regeniti gratia excidere nequeant. Nos existimamus, hancce quæstionem ex iis, quæ de natura hujus peccati supra diximus, facile posse decidi, scilicet rei hujus criminis fieri possunt omnes homines, qui *operationum gratiosarum Spiritus sancti facti sunt participes*, sive *illuminati* antehac fuerint ac *renovati*, postea vero rursus defecerint, sive *nondum* salutari modo sint *illustrati*, sed *irregeniti*, quales certe fuerunt pharisæi, *Matth. III. 7.* qui, licet *tum* per doctrinam servatoris eandemque efficacissimam, *tum* per vitam ejus innocentem, *tum* per miracula ab eo perpetrata ad *convictionem* quandam, saltim *internam*, procul dubio pervenerint, tamen admiranda Spiritus S. opera, quibus missio Christi divina luculenter fuit comprobata, blasphemabant, infernali genio ea tribuentes.

Denique *VI)* quæri quoque hoic posset: utrum peccatum illud in Spiritum sanctum hodie adhuc committi queat? Equidem nulli dubitamus, quin post illud tempus, quo servator inter mortales versatus est, & post insignem illam pharisæorum, Spiritum sanctum blasphemantium, malitiam, peccatum illud atrocissimum ab aliis quoque commissum fuerit, vel saltim committi potuerit, præsertim cum extraordinaria eaque miraculosa Spiritus S. dona, prioribus post Christum natum seculis, multis, iis præsertim, qui amplificandis regni Christi finibus studebant, divinitus liberaliter fuerint concessa, Deusque in convertendis hominibus haud raro miraculis usus sit. Ipsemet PAULUS, *Saulus* antea vocatus, sectæque pharisæorum addictus, qui patriæ religionis Zelo immane quantum flagrabat, modo prorsus miraculoso ad Christi fidem fuit conversus, ac procul dubio peccati in Spiritum S. factus fuisset reus, si *mediis gratiæ*, iisque *extraordinariis* atque abundantibus, quæ ipsi fuerunt oblata, restitisset, nec voci cœlo delapsæ eumque

ad

qui autem Spiritum S. blasphemaverit, ei non remittetur. Hebr. VI. 4. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, & participes facti sunt Spiritus*

loquenti in via, obtemperasset, nec salutari evangelii doctrinæ, quam Ananias eidem tradidit, suum præbuisset adsensum. Vid. *Act. IX. 1. seqq.* Verum recentiori ævo, ubi ecclesia in his terris jam est plantata, veritasque religionis christianæ testimonio miraculisque Spiritus S. stabilita, sapientiæ supremi numinis haud necessarium esse videtur, ut homines, qui media gratiæ ordinaria spernunt, per media plane extraordinaria, ac speciatim *miracula* ad fidem in Christum perducat; unde non ita facile contingere potest, ut homines eadem prorsus ratione, ut pharisæi olim fecerunt, in Spiritum S. peccent. Neque tamen hoc ipsum impedit, quo minus nostræ quoque ætatis homines ad eundem malitiæ, qui in pharisæis se conspiciendum præbet, gradum progrediantur, omniaque gratiæ media, quæ iis offeruntur, contra conscientiam, rejiciant, derideant, immo maledictis ea excipiant, adeoque æque grave committant peccatum, quam quidem illud fuit, quod pharisæi tempore Christi commiserunt. Unde non possumus non nostro adprobare calculo sententiam JAC. SAURINI, facundissimi quondam apud Hagienses verbi divini præconis, qui quæstionem: an hodienum peccatum illud irremissibile committi queat? sequentem in modum solvit: *On ne peut pas le commettre dans toutes ses circonstances, mais on peut le commettre dans son essence, & dans ce, qui en fait l'atrocité. Il est rare, qu'on y tombe, mais il n'est pas impossible. Peu de personnes s'y abandonnent dans toute son étenduë; mais plusieurs le commettent en partie, & dans ses degrez.* Vid. ejus *sermons sur diverses textes de l'Ecriture sainte tom. I. p. m. 349.*

Tractationi nostræ de peccato in Spiritum S. pauca jam subjungemus de *peccato in filium hominis*, quod illi peculiari ratione contradistinguitur *Matth. XII. 32.* Sunt, qui locum hunc intelligunt de convitiis in nudos homines conjectis, qui υἱοι ἀνθρωπων subinde in sanctioribus litteris adpellantur. Vid. JO. REINHARD. RUSII *harmon. evangelist. tom. I. p. 1011.* Verum licet non inusitata sit in sacro codice ea loquendi ratio, qua homo dicitur *filius hominis*, oppositio tamen in textu nostro obvia totaque cohærentia haud obscure insinuat, sermonem hic esse de individuo hominis, ipsoque servatore nostro Jesu Christo, qui sæpius in novi testamenti libris adpellatur *filius hominis* κατ' ἐξοχην, ut proinde hic innuatur peccatum, quo Jesus Nazarenus obtrectatur. Quod si naturam atque indolem hujus peccati adcuratius velimus investigare, ad ea omnia respicere hic debemus, quæ Christo, mediatori inter Deum hominesque, *propria* sunt, eundemque a reliquis divinitatis personis discernunt. Novimus autem, Christo in solidum adscribendam esse eam gratiam, quæ ad *adquisitionem* salutis nostræ pertinet. Novimus porro, Christum non tantum esse verum *hominem*, sed & verum *Deum*, siquidem nudus homo redimere nos haud potuisset, *psalm. XLIX. 4, 8, 9.* Novimus denique, Christum & ut *propheram*, & ut *sacerdotem*, & ut *regem* spectari posse, atque intuitu *triplicis* istius, quo functus est *officii*, adpellari *Messiam*, seu χριστον, hoc est, *unctum*. Omnia hæc Christo sunt *propria*, adeoque jure meritoque hic consideranda veniunt, ubi de *peccato in filium hominis* sermo est. Peccat proinde in *filium hominis*

1) qui Jesum Nazarenum obtrectat tanquam *nudum hominem*, nec divinam ejus originem agnoscit. Ita sane in filium hominis olim peccarunt, qui servili ejus forma, quam in statu exinanitionis adsumsit, offensi, eum pro nudo habuerunt homine, immo huic homini subinde maledicebant, aut de eo male loquebantur. Constat, id feciisse Judæos, Jesum Christum publicanorum amicum, sociumque peccatorum, quin hominem voracem ac vinosum vocantes, *Matth. IX. 11. XI. 19. Luc. XV. 2.* Peccat in *filium hominis*

2) qui negat, Jesum Nazarenum esse magnum illum *prophetam*, doctoremque hominum divinitus legatum, *Deuter. XVIII. 15, 18, 19. Act. III. 22, 23.*

3) qui sacrificium Christi in cruce peractum, quo iratum Deum placavit, redemtionemque sanguine ejus factam negare haud dubitat, *1. Petr. I. 18, 19.* vel, si admittit, fructum tamen salutarem mortis Christi vel in se, vel in aliis impedit, *1. Cor. VIII. 11, 12.*

4) qui *regiam* servatoris nostri *dignitatem* venerari recusat, nec mandatis ejus debitum præstat obsequium, *psalm. II. 6, 11, 12. Luc. XIX. 27.*

Quod restat, hoc unicum paucis notamus, fieri utique posse, ut duo illa peccata, in *filium* scilicet *hominis* & in *Spiritum sanctum*, conjunctim deprehendantur in uno eodemque homine, quando nimirum is, qui in *Christum*, Dei hominumque reconciliatorem, peccat, omnia gratiæ

tus S. v. 5. *& gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesque futuri seculi*, v. 6. *& prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibi Filium Dei, & ostentui eum habentes.* Hebr. X. 26. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis non relinquitur pro peccatis hostia.* v. 27. *terribilis autem quaedam exspectatio judicii &c.* v. 29. *quanto deteriora mereri putatis supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritus gratiae contumeliam fecerit.* 1. Joh. V. 16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet & dabit vitam peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Verba Christi apud evangelistas directa sunt contra pharisæos, qui contra testimonium conscientiæ miracula Christi dicebant fieri per Beelzebub. Locus Hebr. VI. varie exponitur. Quidam *impossibile* accipiunt pro *difficili*. Quidam textum accipiunt de pœnitentia post hanc vitam. Quidam ex vocabulo φωτισμῷ elicere volunt, agi de renovatione per baptismum, ad quem non pateat denuo aditus: sed commodissime accipitur hic locus de peccato in Spiritum sanctum, ut ostendunt adcuratæ illæ descriptiones subjecti. Peccatum ad mortem, de quo 1. Joh. V. 16. agitur, quidam distinguunt a peccato in Spiritum sanctum, sed rectius pro eodem accipitur.

Quodnam sit. §. CIX. Horum locorum verba & περιςάσεις si diligenter excutiantur, invenietur, quod peccatum in Spiritum S. sit *agnitae & in conscientia adprobatae veritatis evangelicae destinato consilio facta abnegatio cum pertinaci impugnatione & voluntaria blasphemia conjuncta.* Observandum enim, hanc peccati speciem a Christo in pharisæis argui, qui veritatis ab ipso prædicatæ vi constricti & fulgore ejusdem in conscientia convicti, malitiosa tamen impietate sic in ipsum furebant, ut doctrinam & miracula ipsius satanæ adscribere non erubescerent. Epistola ad Hebræos peccantes in Spiritum S. sic describit, quod illi, qui prius illuminati gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti Spiritus S., gustaverunt etiam bonum Dei verbum & virtutes venturi seculi, nihilo minus postea prolabuntur (παραπεσόντες) & sic sibimet ipsis rursum crucifigunt Dei Filium, eumque ostentui habent, (hæc enim omnia ad *subjecti* descriptionem ibidem pertinent.) Item, quod voluntaria apostasia Filium Dei conculcent, & sanguinem testamenti pollutum ducant, in quo sunt sanctificati, & Spiritui gratiæ contumeliam inferant. Hoc peccatum 1.) dicitur peccatum in Spiritum S. non respectu *personae*, hac enim ratione qui peccat in Patrem & Filium, peccat etiam in Spiritum S., cum Patris, Filii & Spiritus S. una sit divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas, sed ratione *ministerii* Spiritus 2. Cor. III. 8. quod est evangelium, ac ratione *officii* Spiritus, quod est illuminare, & ratione *testimonii*, quod Spiritus S. fert spiritui nostro Rom. VIII. 16. Quo sensu etiam blasphemia Spiritus: Matth. XII. 31. *blasphemia* in Spiritum: Marc. III. 29. *& contumelia Spiritui gratiae illata* Hebr. X. 29. adpellatur. Illi ergo soli peccatum hoc committunt, qui veritatem agnitam, de qua in conscientia convicti sunt, voluntaria malitia abnegant, eandemque cum blasphemia impugnant. Ex quo colligitur, nimis late hoc peccatum ab eis extendi, & desperationis ansam præberi, qui quodvis voluntarium peccatum hoc nomine accipiunt, vel etiam quamvis veritatis abnegationem. 2.) Vocatur hoc peccatum *irremissibile*, quod nimis dilute

tiæ salutaris media, sine quibus nulla unquam fieri potest μετανοια, obstinato animo rejicit.

Scriptores, qui de peccato in Spiritum S. ex instituto egerunt, ut hoc recenseamus, vix opus esse arbitramur. Diligenter id fecerunt b. cancell. PFAFFIUS, in *hist. theolog. litterar. part. I. p. 347. seqq.* ven. J. G. WALCHIUS, in *biblioth. theolog. select. tom. I. p. 88. seqq.* & *p. 254.* JO. SAM. HICHTEL, in peculiari dissertatione *de peccato in Spiritum S. ad ductum loci classici Ebr. VI. 4, 5, 6.* sub præsidio b. BAUMGARTENII ann. *MDCCXL.* defensa, aliique.

quidam accipiunt pro eo, quod difficulter remittitur, quia Christus magna vehementia pronunciat, nec in hoc, nec in futuro seculo, hoc est, in æternum non remitti, ac epistola ad Hebræos dicit, omnino impossibile esse, ut tales renoventur. Dilutius etiam hoc est, quod *irremissibile* quidam accipiunt pro eo, quod non habet coram hominibus excusationem, non enim de excusatione, sed de remissione peccati hoc loco Christus agit. Dicitur autem illud peccatum *irremissibile*, tum quia ipsum salutis medium, videlicet ministerium Spiritus sancti directe impugnat, tum quia cum extrema cordis induratione & finali impœnitentia conjunctum est. Unde non absurde quidam dicunt, verbo hoc τὸ γινόμενον potius, quam τὸ δυνατὸν notari, quod tenor verborum Christi non obscure comprobat, & sic stante (ut ita loquar) irremissibilitate hujus peccati nihilominus verum ac certum manet, gratiam exuberare supra peccatum Rom. V. 20. 3.) Eodem sensu dicitur *peccatum ad mortem*, non solum, quia est mortale peccatum, sed potius quia æternæ mortis nexibus per hoc ita constrictus tenetur homo, ut ex illis liberari non possit. 4.) Ex quo sequitur etiam quartum, quod scilicet pro tali peccato non sit orandum, neque enim frustra Spiritus precum debet ingemiscere pro illis, quos in Spiritum S. irremissibiliter peccare constat. Sed cum rectissime moneat Augustinus lib. I. retract. & serm. 11. de verb. Dom. *non nisi a posteriori, hoc est, a finali impœnitentia, seu postquam judicium Dei per mortem declaratum est, de hoc peccato judicandum, quorsum attinebat moneri, ne quis pro tali peccato oret.* Hieronymus lib. II. adv. Jovin. sententiam Johannis μεταληπτικῶς interpretatur, quasi postulatio posita sit pro venia, quæ postulatur, sicut Jer. VII. 16. *noli orare pro isto populo*, hoc est, frustra orabis. Ambrosius lib. I. de pœnit. cap. 9. solutionem quærit in pronomine *quis*: non dico, ut pro eo quis oret, scilicet de plebe aliquis, quia hujusmodi peccatum indiget perfecto deprecatore. Certum est, in primitiva ecclesia viguisse donum διακρίσεως πνευμάτων, 1. Cor. XII. 10. quod hodie non ita viget. Tutissimum igitur & christianæ caritati, *quae omnia sperat* 1. Cor. XIII. 7. maxime congruum, precibus suis omnes, etiam persecutores & blasphemos apostatas complecti 1. Tim. II. 1.

CAPUT XXIV.

DE USU HUJUS LOCI ET PECCATORUM ACTUALIUM DEFINITIONE.

Usus hujus loci.

§. CX.

Usus hujus loci de peccatis actualibus consistit in tribus potissimum partibus: 1.) ut gravitatem ac varietatem peccatorum nostrorum agnoscentes vere & serio nos coram Deo humiliemus, abjecta omni propriæ justitiæ fiducia. 2.) Ut medicinam morbi nostri in Christo quæramus, *cujus sanguis nos mundat ab omnibus peccatis* 1. Joh. I. 7. 3.) Ut peccata contra conscientiam tanquam venenum, imo mortem animæ studiose caveamus, nec patiamur peccatum inhærens nobis dominari, sed spiritu concupiscentias ejus mortificemus, & ad vitæ æternæ purissimam perfectionem ac perfectissimam puritatem suspiremus: *O Christe, quod factum tege, quod futurum rege!*

Definitio peccatorum actualium.

§. CXI. Ex superioribus omnibus talis constitui potest actualium peccatorum definitio. Peccata actualia sunt *omnia vel facta, vel dicta, vel cogitata contra normam legis divinae, quibus malum committitur, vel bonum omittitur, promerentia iram Dei, temporales & aeternas poenas, eisdemque hominem obnoxium reddentia, nisi facta fuerit remissio propter Christum mediatorem*, cui cum Patre & Spirity sancto sit gloria in seculum, Amen!

LOCUS XII.

LOCUS XII.
DE
LIBERO ARBITRIO,
Hoc est,
DE VIRIBUS HUMANIS POST LAPSUM ADHUC RELIQUIS.

PROOEMIUM.

Connexio cum loco præcedente.

§. I. Quam miris ac miseris modis peccatum originale veneni instar omnes hominis vires pervaserit, quam intime corruptio ex eo naturæ humanæ adhæserit, quam pestiferos venenatum illud semen proferat fructus, superius vidimus: restat inquirendum, quid in hominis viribus reliquum manserit. Pulcerrima erat quondam hujus ædificii structura, utpote omnipotentis Dei habitaculum atque templum, sed peregrinus admissus hospes eam horribiliter destruxit: videamus, quæ manserint rudera atque ἐρείπια.

Radix liberi arbitrii.

§. II. Vires hominis æstimantur potissimum ex anima rationali, per quam homo a brutis secernitur, & in certam speciem constituitur. Animæ rationalis duæ facultates sunt: *mens* & *voluntas; illa* cognoscendo, discernendo, consultando, judicando; *haec* eligendo & repudiando suum expedit officium, ex utriusque potentiæ συνδρομῇ & concursu nascitur id, quod vulgo vocatur liberum arbitrium, quod mentis & voluntatis facultas est, ita, ut arbitrium pertineat ad mentem, liberum ad voluntatem.

Liberum arbitrium est facultas mentis.

§. III. *Etsi vero liberum arbitrium est mentis & voluntatis facultas, mixta ex intelligentia & adpetitu*, (rationali) ut loquitur Thomas p. I. q. 83. art. 3. recte tamen ab eodem additur, *eam magis ad adpetitum inclinare*, quia judicium mentis est quasi prævium, electio complementum & formale huic libertati addit. Ex quo Bellarminus lib. III. de gratia & liber. arbit. cap. 2. minus recte colligit: *per liberum arbitrium solius voluntatis actum significari*, imo *liberum arbitrium esse ipsam voluntatem*; libr. III. de liber. arbitr. cap. 7. nimirum ut fucum facere possit suæ calumniæ, quod arbitrii libertatem negantes ipsam naturam violemus; at non dicimus, hominem voluntate, sed voluntatis sanitate privatum esse.

CAPUT I.
DE DISTINCTIONE LIBERTATIS.

Libertas vario respectu tribuitur arbitrio.

§. IV. Libertas illa arbitrii unde æstimanda sit, & quo respectu consideretur, adcurate dispiciendum, id quod multis liberabit nos difficultatibus, quæ alias doctrinam hanc circumcingunt. *Ista quaestio* (ait Augustinus lib. I. de gratia Dei contra Pelagium cap. 47. & lib. IV. contra Julianum cap. 8. ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur) *ita difficilis est ad discernendum, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem adseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Libertas adsignatur arbitrio, primum habito respectu ad *modum* agendi, quia talis est, ut voluntas, quatenus

tenus talis, libere agat, hoc est, non cogatur aut violenter rapiatur externo motu, nec ex naturali instinctu solum agat, sed sponte sua seu interno motus principio aliquid vel amplectatur vel rejiciat; hoc sensu liberum & voluntarium sunt synonyma, ac voluntatem non liberam dicere, est perinde ac si quis dicere velit calidum absque calore.

Libertas a coactione, & necessitate; Libertas interior & in subjecto.

§. V. Vocatur hæc libertas a *coactione*, qua fit, ut non possit voluntas cogi ad faciendum aliquid contra suam inclinationem. Item libertas a *necessitate*, quatenus necessitas pro coactione & violentia accipitur (non autem pro immutabilitate.) Alii vocant libertatem *interiorem*, qua voluntas hominis ἑκουσίως sponte, libere, sine coactione, vi insita ac προαιρέσει movetur, suique motus internum habet principium. Aliis dicitur libertas *in subjecto*.

Quæ per lapsum non est amissa.

§. VI. Hæc libertas cum sit naturalis atque essentialis a Deo indita voluntati proprietas, per lapsum non est amissa. Substantia hominis non periit; ergo nec anima rationalis, ergo nec voluntas, ergo nec libertas voluntatis essentialis. Voluntas est potentia animæ essentialis, & anima nihil aliud est, quam ipsæ potentiæ seu facultates essentiales; proinde, manente anima, potentiæ etiam ejus essentiales, intellectus & voluntas, manent. Vicissim vis libere & absque coactione volendi est voluntati essentialis, manente ergo voluntate, etiam vis illa manet.

§. VII. Hinc Augustinus in enchirid. cap. XXX. *Liberum arbitrium semper est liberum*, (intellige a coactione) *sed non semper est bonum.* lib. II. de gratia & libero arbitr. cap. 15. *Semper in nobis voluntas est libera, sed non semper bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala, aut a peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona.* Ambrosius vel potius Prosper lib. I. de vocatione gentium (*) cap. 3. *Homo a diabolo spoliatus, non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est, depravatum est voluntatis judicium, non ablatum.*

§. VIII. Hoc sensu & hoc respectu liberum in homine arbitrium etiam post lapsum manssse firmiter credimus, & sonora voce profitemur, adeo, ut cum Augustino dicamus hypogn. III. *eum, qui neget liberum arbitrium, non esse catholicum.* Apage igitur tragicas illas accusationes, ecclesiis nostris a Bellarmino in præfat. libror. de lib. arbit. intentatas, quasi arbitrii libertatem tollamus, ipsam naturam violemus, & nos ipsos non solum belluarum similes, sed omnino belluas rationis expertes profiteamur. Idem libr. de not. eccles. cap. IX. §. *Manichæorum*, sic scribit: *Hæresis octava Manichæorum, quorum erat, (ut ait Hieronymus) damnare naturam & liberum auferre arbitrium, nec peccatorum originem* (inquit Augustinus) *libero arbitrio tribuebant. Idem omnino Lutherus, qui librum scripsit de servo arbitrio &c.* Sed enim si liberi arbitrii nomine intelligatur ipsa voluntas, itemque si de libertate arbitrii in primo homine, ac de libertate in malis actionibus quæratur, nos nequaquam liberum arbitrium negamus; viderit igitur Bellarminus, qua fronte Manichæorum hæresin nobis adfricet, cujus adcusationem longe justiorem ipsi intentare possemus, siquidem statuit rebellionem carnis adversus spiritum futuram fuisse in homine ex naturæ conditione, si homo in puris naturalibus exstitisset, libro de gratia primi hominis cap. VII.

§. IX.

(*) Libros *de vocatione gentium* AMBROSIO male tribui, alibi jam observavimus. Mentio enim in iis fit pelagianorum & semipelagianorum, qui seculo demum V. ecclesiæ pacem turbarunt. Ut de stili dissimilitudine in rerum præsentia nihil memoremus. Unde & opusculum hocce nova sua atque eleganti operum Ambrosii editione jure meritoque excluserunt monachi Benedictini congregationis S. Mauri. Rectius hocce scriptum PROSPERO, Aurelianensi episcopo, tribuit VOSSIUS, in *hist. pelag. libr. I. cap. XX.*

Nec per providentiam divinam excluditur.

§. IX. Neque hanc voluntatis humanæ libertatem providentia divina tollit, vel excludit: sic enim res administrat, ut eas proprios motus agere sinat, Augustinus lib. VII. de civ. Dei cap. 30. Gerson de consol. theol. l. II. prosa. 4. Ut in *naturaliter* agentibus vim naturaliter agendi, ita in *voluntarie* agentibus vim libere agendi divina providentia conservat.

§. X. Cumque hæc libertas a coactione cum voluntate sit ἀντίστροφος, sequitur, quod non minus in Deo sit, quam in homine, cum hoc tamen discrimine, quod eam Deus habeat a semet ipso, proinde est αὐθεκούσιος & ἀντεξούσιος: homines autem a Deo eam habent, unde proprie illis ἐκούσιον tribuimus, exemplo scripturæ epist. ad Philem. v. 14. Heb. X. 26. 1 Petr. V. 2. Videtur igitur τὸ ἀντεξούσιον (quod theologi græci usurpant) gloriosius esse, quam ut homini conveniat. Significat enim αὐτοδέσποτον, quod nullius imperio subest, quodque a nemine prohiberi vel impediri potest, utpote eligendi facultate & præstandi viribus abunde instructum: Deo autem propriissime competit, cujus voluntati ac potentiæ nemo potest resistere.

Libertas ab obligatione & jure.

§. XI. Quæ consideratio nobis suppeditat alium libertatis respectum, quam vocabimus libertatem *ab obligatione*, qua arbitrium non obligatur ad certam aliquam & immutabilem normam, secundum quam judicet atque eligat. Aliis vocatur libertas *a jure*. Hæc libertas nihil aliud est, quam effrenis licentia omni lege soluta, vagans more belluarum sine notitia gubernante & ordine obligante: indigna hæc est honorifico illo libertatis nomine: vera enim libertas est justitiæ servire.

§. XII. Hanc libertatem hominis voluntati plane denegamus. Impressit enim Deus menti humanæ in prima creatione notitias naturales, legem suam scripsit in cor hominis, eamque solenni promulgatione repetit, cui ad obediendum voluntas obstricta est & obligata: atque ut hæc norma æterna est, ita quoque æterna obligatio.

§. XIII. Dei quidem voluntas externæ cuidam normæ non est obligata: unde iterum patet, ἀντεξούσιος denominationem propriissime ipsi competere: interim tamen ipsa ejus natura talis est, ut non possit non bene & recte agere. Deus est ἀυταγαθὸν, Deus est essentialiter & summe bonus, Deus est caritas; contra hanc normam nihil agit, nihil agere potest: id quod non impotentiæ, sed summæ potentiæ argumentum.

§. XIV. Si ergo respicias libertatem *a coactione*, homo semper habet liberum arbitrium(*), etiam post lapsum; si respicias libertatem *ab obligatione*, homo nunquam habet liberum arbitrium, nec ante lapsum, imo nec ipsi angeli. Est autem adhuc alius libertatis respectus, de quo proprie & potissimum hoc loco quæritur.

Libertas ratione objecti.

§. XV. Æstimari enim potest arbitrii libertas ratione *objecti*, circa quod voluntatis actio occupata est, & hæc dicitur a quibusdam libertas *ad objectum*, item libertas *exterior*, ubi non amplius de libertate motus, de ipsa libera volendi vi agitur, sed respectus habetur ad objectum voluntatis, bonum puta vel malum, & quæritur, quomodo ad illud vires voluntatis comparatæ sint.

CAPUT II.
DE CONSIDERATIONE LIBERI ARBITRII SECUNDUM QUADRUPLICEM STATUM HOMINIS.

§. XVI. Hic vero distinguendi sunt diversi illi hominis status, alia enim libertas arbitrii fuit in homine ante lapsum, cum adhuc in statu integritatis concreatæ floreret & vigeret: alia est post lapsum, postquam justitiæ servire detrectans, imagine divina spoliatus, *jugo malæ dominæ iniquitatis* adstringitur. Proinde *libertas*, proprie sic dicta, est *facultas agendi vel non agendi, hoc vel illud, ita vel aliter agendi, sine ullo impedimento prævalente.*

(*) Competit homini non tantum libertas a *coactione*, quæ *spontaneitas* alias vocari solet, sed etiam libertas a *necessitate*, siquidem nec per internum, nec per externum principium ad aliquid agendum

quitatis (ut loquitur Augustinus Jerem. XII. de verb. apost.) *sese sponte subdidit.*

§. XVII. Vicissim quia amissa imago divina incipit in hac vita reformari, & natura sanari, in futura demum plene restituenda: ideo alia libertas arbitrii est in hominibus nondum renatis *ante* conversionem, alia in renatis *post* conversionem. Itemque alia libertas arbitrii in hominibus renatis, dum in *hac vita* adhuc sub vetustate carnis ex parte laborant: alia vero erit in *futura vita*, quæ plenariam demum libertatem ac securitatem pariet.

§. XVIII. Promanat ex hoc fonte πολυφύλακτον illa distinctio inter quadruplicem hominis statum, quæ jubet hominem considerare *primo* in natura instituta, hoc est, in concreata originali perfectione ante lapsum; *deinde* in natura destituta & corrupta post lapsum, cum ante reparationem, tum in ipso conversionis actu, quomodo ad gratiam Dei sese habeat; *tertio* in natura restitui cœpta, hoc est, in statu novæ obedientiæ post factam conversionem; *quarto* in natura plene & consummate restituta, hoc est, in patefactione alterius seculi post resurrectionem. Vide Lombardum lib. II. sent. dist. 25. lit. G. ubi satis commode hos quatuor status distinguit. Ad hanc distinctionem proxime accedit illa Augustini in expos. epist. ad Rom. quæ prætermissa primi status consideratione tres posteriores hominis status hoc modo effert: *Distinguamus quatuor hominis gradus: ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem sequimur concupiscentiam carnis, sub lege trahimur ab ea, sub gratia nec sequimur eam, nec trahimur ab ea, in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante legem ergo non pugnamus, quia non solum concupiscimus & peccamus, sed etiam adprobamus peccata; sub lege pugnamus, sed vincimur; sub gratia pugnamus & vincimus; in pace non pugnamus, sed perfecta & aeterna pace requiescimus.*

Libertas arbitrii ante lapsum.

§. XIX. *Libertas arbitrii in homine ante lapsum fuit facultas rationis ac voluntatis, qua potuit homo peccare & non peccare.* Anshelmus de lib. arbitr. c. VII. Hoc est, potuit mente Deum recte agnoscere, & spontaneo voluntatis motu integram obedientiam ipsi præstare: vicissim etiam potuit a Deo se avertere atque deficere; quippe nondum in bono erat confirmatus, hoc est, voluntas ejus nondum erat ad bonum immutabiliter ita determinata, ut a bono se non posset avertere, sed erat in ea δύναμις ἀντιφάσεως, poterat velle bonum & nolle malum, poterat etiam nolle bonum & velle malum (*).

Quæ vocari potest libertas a servitute & miseria, libertas rectitudinis.

§. XX. Nominemus hanc libertatem a *servitute*, quia homo se nondum peccato ejusdemque tyrannidi mancipaverat: item libertatem a *miseria*, quia homo nondum miseræ illi peccandi necessitati illaqueatus erat. Vocari etiam potest libertas *rectitudinis*, quia poterat mens recte Deum cognoscere, poterat voluntas recte agere, judicium mentis & electio voluntatis cum norma legis divinæ exacte congruebant, quamdiu in statu isto integritatis homo persistebat. Non tamen conjunctum erat huic libertati libertas *a mutabilitate*, quia poterat voluntas hominis mutari, & libere malum eligere, uti etiam elegit.

§. XXI. Hæc libertas in primo homine accurate secernenda ab ea, quam supra vocavimus libertatem *a coactione*: quia libertas illa a coactione est essentialis voluntatis proprietas, vel potius ipsa voluntatis essentia, ac proinde dicitur a Bernhardo de grat. & lib. arb. *inamissibilis*: sed libertas *rectitudinis* fuit accidens quoddam separabile, ita comparatum, ut salva voluntatis essentia amitti posset, uti etiam amissa est.

Per lapsum est amissa.

§. XXII. Si ergo quæratur de illa libertate *rectitudinis*, seu de δυνάμει illa ad alterutrum, bonum, puta, vel malum eligendum vel repudiandum, æqualiter se habente, dicimus eam periisse. *Homo enim male utens libero arbitrio, & se perdidit & ipsum. Cum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est & liberum arbitrium; a quo enim quis*

(*) Poterat quidem homo *velle malum*, adeoque incidere in peccatum. Sed ista *labilitas*, seu possibilitas peccandi in homine adhuc integro erat duntaxat *remota*, cum contra in homine lapso sit *proxima*.

quis devictus est, huic servus addictus est: Verba sunt Augustini in enchir. cap. XXX. Atque hoc respectu idem vocat *arbitrium hominis non amplius liberum, sed servum,* lib. II. contra Julian. *captivatum*, quod non nisi ad peccatum valet, lib. III. contra duas epistolas Pelag. cap. 8. *perditum*, lib. III. hypogn. Voluntatem vocat *non liberam*, *sed damnabilem ancillam*, de verb. apost. serm. XIII. *contumaciam*, *non libertatem,* epist. LXXXIX. ad Hilarium.

§. XXIII. Postquam enim per peccatum imago Dei amissa est, simul etiam δύναμις illa bonum eligendi amissa est, (quippe quæ erat pars imaginis divinæ) & quia per peccatum homo non solum spoliatus, sed & misere corruptus est; ideo in locum istius libertatis successit effrenis ille ad malum impetus, ita, ut post lapsum in hominibus corruptis & nondum renatis (sive voluntate sua corrupti sint, ut primi homines, sive ex parentibus corruptis nascantur, ut omnes eorum posteri) arbitrium sit liberum ad mala tantum, quia tales corrupti homines & nondum renati nihil nisi peccare possunt.

Libertas arbitrii post lapsum. Libertas a justitia.

§. XXIV. Alia igitur jam arbitrii libertas est in hominibus post lapsum, quam possumus vocare libertatem *a justitia*, exemplo apostoli Rom. VI. 20. qua fit, ut corrupta hominis voluntas libere ac sponte feratur tantum ad malum. Joh. VIII. 34. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* 2 Petr. II. 19. *a quo quis superatus, ejus & servus est.*

§. XXV. Misera hæc est libertas, ac potius miserabilis servitus. *Qualis quæso potest servi peccato addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est.* Augustinus in ench. cap. XXX. *Libertas sine gratia nihil est, nisi contumacia, non libertas.* Vere enim liberi eritis, si Filius vos liberaverit. Id. epist. LXXXIX. ad Hilarium.

§. XXVI. Ἐμφατικώτερον hoc exprimit Bernhardus serm. LXXXI. super Cant. *Nescio quo pravo & miraculoso modo ipsa sibi voluntas facit, ut nec necessitas excusare valeat voluntatem, nec voluntas excludere necessitatem; est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Premimur jugo, non alio tamen, quam voluntariæ cujusdam servitutis, ideo pro servitio sumus miserabiles, pro voluntate inexcusabiles, quia voluntas cum libera esset, servam se peccati fecit. Anima sub hac voluntaria quadam ac male libera necessitate & ancilla tenetur & libera; ancilla propter necessitatem, & libera propter voluntatem: & quod magis mirum, magisque miserum, ideo rea, quod libera, ac per hoc eo ancilla, quod libera.*

§. XXVII. Dicis: quia homo libere agit, ergo æqualiter se habet ad bonum vel malum, alias liber non erit; respondemus verbis Bernhardi de grat. & lib. arb. *Nemo putet ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum potestate aut facultate versetur; alioquin nec Deus, nec angeli, sive boni vel mali, liberi arbitrii esse dicerentur; sed ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo æque liberam facit voluntatem, cum nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat aut esse valeat, nisi volens.*

§. XXVIII. Libertas *a coactione* proprie attenditur in libero arbitrio, non autem *exterior* illa libertas ratione objectorum, qua ad alterutrum vel bonum vel malum voluntas ferri potest. Summa in Deo libertas, qui tamen malum velle nequit. Major libertas in angelis bonis, quam in homine ante lapsum, cum tamen illi in bono sint confirmati, & non possint non bonum velle. Summa libertas est, non posse esse miserum: summa felicitas, non posse esse infelicem.

§. XXIX. Constitit ergo arbitrii libertas in homine cum peccati servitute, nam & peccat & non potest non peccare, & tamen libere peccat, ac peccare ipsum delectat; quamvis non nisi ad malum feratur, id tamen libere, id est, ultro & sponte, non invitus aut coactus, eligit, totoque impetu ad illud fertur. Adde quod in ipso malorum delectu quadam libertate utatur. Augustinus lib. I. contra Julian. cap. 2. *Liberum*

arbitrium usque adeo non periit in peccatore, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant.

§. XXX. Eo autem sensu & eo respectu, ut libertas accipiatur pro illa libera vi ac facultate bonum eligendi ac malum aversandi, quæ in Adamo fuit, dicimus, rectissime pronunciatum a Luthero in assert. artic. art. XXXVI. *liberum arbitrium esse titulum sine re, vel rem de solo titulo.* Intelligit quidem adhuc homo post lapsum mente, voluntate libere eligit, ac prosequitur corde, sed propter lapsum primorum parentum, eumque secutam naturæ corruptionem sit, ut mens in judicando erret, & voluntas in eligendo: aut si mens quandoque recte judicat, tamen voluntas ab ea quasi divortium facit, & cum vitiosis adfectibus se conjungit, eorumve ductum sequitur. Desiit enim in mente vera & integra Dei cognitio, in voluntate & corde vera dilectio & timor Dei, fiducia erga Deum, propositum & studium ex animo obediendi Deo: successerunt autem in mente ignorantia, cœcitas, dubitationes; in voluntate & corde contumacia adversus Deum, pravæ ad omnis generis peccata inclinationes.

§. XXXI. Quia vero cardo totius rei in eo consistit, ideo scripturæ sacræ fundamentis id confirmatum & expositum dabimus uberius, ut hac ratione nobis ἐπομένως innotescat: quid ante conversionem & παλιγγενεσίαν hominis arbitrium propriis suis & post lapsum adhuc reliquis viribus præstare possit, itemque an in primo conversionis momento, quando verbum Dei prædicatur, & gratia in eo nobis offertur, homo vi liberi arbitrii spirituales motus inchoare, vel Spiritui sancto cooperari, atque ita sui conversionem adjuvare, sive firmo, sive infirmo arbitrio possit.

CAPUT III.

DE VERO CONTROVERSIÆ STATU.

Verus quæstionis status in quo consistit?

§. XXXII.

Accurate vero genuinus quæstionis status observandus, quod superius quidem admonitum denuo monendum est, propterea quod studiose eum in scriptis multorum involvi, & diversas quæstiones confundi videamus. I.) Non est hoc loco quæstio de statu hominis in primæva integritate atque innocentia constituti, quem fatemur talibus ac tam perfectis liberi arbitrii viribus instructum fuisse, ut promte potuerit Deo obedire ac non obedire: hoc est, potuit Deum concreata intellectus luce recte agnoscere, ac spontaneo voluntatis motu sinceram, integram & numeris omnibus perfectam obedientiam ipsi præstare, potuit etiam se a Deo avertere, atque a sanctæ obedientiæ tramite declinare, quod proh dolor ipsum fecisse, satis constat. II.) Neque quæstio est de statu hominis renati ac renovati, quomodo in eo vires liberi arbitrii sint constitutæ; fatemur enim, hominem per Spiritum sanctum regeneratum ac renovatum ad bonum spirituale liberam habere voluntatem, quippe virtute Spiritus S. a peccati servitute liberatam, quæ tamen libertas in hac vita longe abest a perfecta futuræ vitæ libertate, uti paulo post plenius expositum dabitur. III.) Neque quæstio est de statu hominis glorificati; fatemur enim, hominem post suam εἰς δόξαν αἰώνιον μετάθεσιν perfectis iterum liberi arbitrii viribus fore instructum atque in bono confirmatum, ut non solum possit non peccare, sed etiam non possit peccare: sed tota quæstio est de statu hominis per lapsum corrupti, quid in illo vel ante conversionem vel in conversione propriis suis & naturalibus liberi arbitrii viribus possit. IV.) Neque quæstio est de ipsa voluntatis essentia, an illa post lapsum superstes manserit, id enim sonora voce profitemur, hominem non voluntate, sed voluntatis sanitate privatum esse, cum Ambrosio (vel Prospero) lib. I. de vocat. gent. cap. 3. adserentes. V.) Neque quæstio est de libertate *a coactione*; fatemur enim, hoc sensu & respectu voluntatem in agendo etiam post lapsum esse liberam, hoc est, libere, non coacte, malum agere: sed tota quæstio est de libertate ratione *objecti*, circa

circa quod voluntas occupata est, hoc est, de libertate *rectitudinis*, an δυνάμει illa ad bonum & malum æqualiter se habente homo post lapsum adhuc sit instructus. VI.) Neque quæstio est de objecto *civiliter* bono, an homo naturalibus liberi arbitrii viribus illud eligere possit: fatemur enim, aliquid libertatis remansisse quoad opera, quæ justa sunt, justitia *morali, politica & œconomica*, quæ ad inferius hemisphærium pertinent, ut loquitur Lutherus; potest utique homo nondum renatus locomotivam externam utcunque regere, potest externis membris dictamine rectæ rationis imperare, potest justitiam civilem aliquo modo præstare, & peccata externa graviora cum pædagogia externa pugnantia vitare: quinimo potest etiam verbum Dei exterius audire, meditari. Interim tamen libertas illa tum externis tum internis impedimentis sæpius labefactatur, ut postea explicabitur, unde notanter diximus, aliquid libertatis in hoc actionum genere remansisse: tota igitur quæstio est de objecto *spiritualiter* bono, de operibus, quæ justa sunt justitia spirituali, quæque ad superius hemisphærium pertinent, de motibus spiritualiter bonis, an homo ex se & suis viribus spirituales illos motus inchoare, oblatam gratiam acceptare, aliqua Deo grata præstare possit, quod διαῤῥήδην negamus. VII.) Neque quæstio est, an in conversione fiant aliqui motus mentis & voluntatis; fatemur enim, nullam fieri conversionem absque cognitione intellectus & adsensu voluntatis; sed tota quæstio est, unde oriantur tales motus, sintne divinæ gratiæ an humanæ voluntatis effecta? VIII.) Neque quæstio est de naturalibus animæ actionibus, quales sunt audire, legere, meditari; quæ suo modo κατα-χρηστικῶς spirituales dici possunt, quia ab anima, quæ spiritualis est essentia, proficiscuntur; agnoscimus enim in hisce quandam arbitrii libertatem, potest homo legere, potest non legere; potest audire, potest aures avertere; sed tota quæstio est de motibus proprie dictis spiritualibus, quales sunt, Deum recte agnoscere, verbum Dei cum fructu audire & legere. IX.) Neque quæstio est de mediis ad spirituale objectum deducentibus, qualia sunt, verbum Dei audire & legere. Fatemur enim, externum horum mediorum usum hominis etiam nondum renati viribus expositum esse. Sed tota quæstio est de salutari horum mediorum usu, de spirituali legis & evangelii intellectu, de interiori conversione, ubi dicimus, nullam ne modiculam quidem arbitrii libertatem aut virium ἱκανότητα ad tales spirituales motus in homine post lapsum superstites esse, quod ut manifestum fiat, hoc modo procedimus.

§. XXXIII. In opere conversionis concurrunt Deus convertens, & homo convertendus: inquirendum ergo, quid Deo, quid homini scriptura in hoc opere tribuat: ita manifestum evadet, quid de viribus liberi arbitrii in homine ante conversionem & in ipsa conversione statuendum. Cumque liberum arbitrium sit mentis & voluntatis facultas, inquirendum, quid de mente, quid de voluntate hominis nondum conversi scriptura pronunciet, utriusque enim integritas ad liberi arbitrii integritatem requiritur.

CAPUT IV.

DE AMISSO LIBERO ARBITRIO POST LAPSUM.

Corruptio mentis post lapsum.

§. XXXIV. De mente hominis nondum renati scriptura testatur, quod in locum istius lucis concreatæ, quæ in mente primi hominis fulgebat, successerint tenebræ. Eph. V. 8. *Eratis quondam tenebrae.* Joh. I. 5. *Lux lucet in tenebris.* Act. XXVI. 18. *Ut convertantur homines a tenebris ad lucem.* Proinde non cogitandum est, intellectum saltem cœcutire in vera & salutari Dei cognitione, sed est plane obtenebratus: atque hæ tenebræ tales sunt, ut illis conjuncta sit umbra mortis: Esa. IX. 2. Luc. I. 79. *Sedent homines in tenebris & umbra mortis;* sunt igitur tenebræ illæ mortis, id est, ducuntur ad æternam mortem, qui in tenebris illis manent.

Id Paulus sic exprimit: *Habent tenebris obscuratum intellectum ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ alienati a vita Dei per ignorantiam Dei, quae est in illis* (id est, quæ in natura ipsorum hæret) *propter cœcitatem* (πώρωσιν callosam duritiem) *cordis eorum.* Eph. IV. 18. *Ambulant in vanitate mentis suae* v. 17. id est, ut exponitur Rom. I. 21. *Evanescunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*, sunt διεφθαρμένοι τὸν νοῦν. 1 Tim. VI. 5. *Vivunt in temporibus ignorantiae*, Act. XVII. 30. Etsi ergo mens hominis cogitationes sua opinione satis egregias sibi format, tamen Dei judicio sunt vanæ. Gen. VIII. 21. *Omne figmentum cordis* (etiam illæ cogitationes, quæ maxima diligentia & summa sapientia finguntur) *est tantum malum omni die.* Proinde *caro & sanguis non revelat nobis salvificam Dei cognitionem;* Matth. XVI. 17. hoc est, homo, ut ex carne & sanguine corruptorum parentum in mundum nascitur, non potest connatis viribus ad eam adspirare, quia *animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* 1 Cor. II. 14. Ubi animalis homo idem est, quod in dicto Christi, caro & sanguis, id est, talis homo, qui sine revocatione Spiritus, solis naturæ viribus & facultatibus præditus est. Huic derogat apostolus & γνῶναι & δέχεσθαι ea, quæ sunt Spiritus, ita, ut nec intelligere, nec firmo vel infirmo adsensu ea amplecti possit: quinimo non solum γνῶσις, sed & δύναμις γνώσεως, vis illa activa δεκτικὴ ipsi adimitur, adeoque φρόνημα σαρκὸς, non solum adfectus, sed & sapientia carnis, (ut habet vulgata versio) præstantissimi cogitatus & conatus mentis in homine carnali (seu nondum regenerato & sub vetustate carnis adhuc constituto) *sunt inimicitia adversus Deum,* Rom. VIII. 7. Ubi in substantivo magna emphasis, quod non solum mens nostra Deo inimica, sed ipsa adversus Deum inimicitia, ut proinde etiam πᾶν νόημα *fit captivandum sub Christi obsequium.* 2 Cor. X. 5. Concludimus ergo pronunciato apostolico 2 Cor. III. 5. *Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est;* ubi observandæ particulæ ἀπὸ & ἐξ, quibus denotatur non esse in viribus nostris cogitare aliquid boni: jam vero cogitare longe minus, quam adsentiri, consultare, firmiter sibi proponere &c.

Adsertio dictorum scripturæ. 1 Cor. II. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.

§. XXXV. Hæc scripturæ oracula quasi solis radio scripta de extrema intellectus corruptione & ad spirituale bonum percipiendum ἀδυναμίᾳ satis manifeste testantur, neque tamen a corruptelis manent libera. Dictum apostolicum 1 Cor. II. 14. *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei,* ita depravabat olim Emserus, ut per hominem ψυχικὸν adpetitum ejus sensitivum, quem cum brutis communem habet, intelligi juberet; sed apostolus non de aliqua hominis parte, sed de toto homine nondum renato loquitur, qui Spiritu Dei non regitur; manifestum enim est ab anima dici animalem, quemadmodum Jac. III. 15. *Sapientia* ψυχικὴ dicitur carnalis hominum nondum renatorum sapientia. Intelligitur ergo per hominem animalem is, qui sine Spiritus renovatione solis naturæ viribus & facultatibus præditus agit, quem apostolus vocat ψυχικὸν, quia non vult intelligi Epicuræos, qui sunt ἄλογα ζῶα, 2 Pet. II. 12. sed eos, qui potissimam sui partem animam scilicet excolunt, tales dicit nec γνῶναι, nec δέχεσθαι ea, quæ sunt Spiritus Dei. Augustinus tract. XCVIII. in Joh. *Animalis homo, id est, qui secundum hominem sapit, animalis dictus ab anima, carnalis a carne, quia ex anima & carne constat totus homo, non percipit, quae sunt Spiritus Dei, id est, quid gratiae credentibus conferat crux Christi.* Id ipsum ex textu apostolico manifeste ostenditur; opponit enim apostolus hominem ψυχικὸν illi, qui Spiritum Dei habet v. 12. qui Spiritu Dei illuminatus est, eodemque regitur ad bonum.

2 Cor. III. 5. Non sumus idonei cogitare aliquid.

§. XXXVI. Alterum illud non minus perspicuum 2 Cor. III. 5. *Non sumus ἱκανοὶ ἀφ' ἑαυτῶν, λογίσασθαί τι, ὡς ἐξ ἑαυτῶν, ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ,* Bellarminus lib. VI. de grat. & lib. arb.

arb. cap. 13. dicit sententiæ suæ favere vel maxime, cum apostolus non neget, nos sufficientes esse, siquidem addat continuo sufficientiam nostram esse ex Deo. *Sufficimus ergo*, (inquit Bellarminus) *aliquid cogitare, imo etiam velle & facere, sed posteaquam vires a Deo accepe-rimus; nisi enim liberi essemus arbitrii, non recte diceremur sufficere ex nobis, sicut non recte diceret aliquis, jumentum aut lapidem non sufficere ex se aliquid cogitare de Deo.* Resp. ex Augustino de græc. & lib. arb. cap. 16. *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus, de quo dictum est*, Deus est, qui operatur in nobis velle. *Certum est, nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo voluntati vires efficacissimas, de quo dictum est*, faciam ut faciatis. An dictum apostolicum sententiæ Bellarmini faveat, adparebit inferius, ubi ipsum de viribus liberi arbitrii differentem prius audiverimus. Captivitatem *passivam* seu receptivitatem spiritualium motuum in hominis intellectu superstitem esse, quæ non est in trunco vel lapide, libenter concedimus; sed *activam* quandam ἐνέργειαν seu activitatem superesse negamus. Si tum demum ἱκανοὶ sumus aliquid boni cogitare, velle & facere, posteaquam vires a Deo (per regenerationem & renovationem) accepimus, sequitur, ante illas nobis a Deo donatas vires nullam ἱκανότητα in nobis esse. Ludit autem Bellarminus verbo sufficientiæ, quasi ex nobis quidem idonei ad bonum cogitandum simus, & aliquas habeamus vires, sed non sufficientes; ut hac ratione sit concursus gratiæ & liberi arbitrii in conversione, quasi liberum arbitrium inchoet bonum, Deus det vires perficiendi, sed in græco est ἐκ ἐσμεν ἱκανοὶ non sumus idonei δυνατοὶ ac viribus necessariis instructi. Xenophon: ἱκανὸς εἰμὶ ἐπιτυχεῖν possum illud consequi. De renatis recte dicitur, quod aliquibus ad bonum viribus sint instructi, licet non sufficientibus, cum absque divinæ gratiæ adjutorio bonum perficere nequeant; sed nondum renatis nec perfectas, nec aliquas ad bonum vires apostolus tribuit, sed extremam ἀδυναμίαν, ut ostendit collatio hujus dicti cum priore 1 Cor. II. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, imo ne potest quidem.* Ambrosius de fuga seculi cap. I. & Augustinus lib. II. de bono persev. c. 8. *Ex eo, quod apostolus dicit*, nos non esse idoneos aliquid boni cogitare ex nobis, tanquam ex nobis, *colligunt, non esse in potestate nostra cor nostrum & cogitationes nostras, a Deo dari cordi humano pias cogitationes &c.* Idem lib. de bono persev. cap. XIII. *Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quicquid agimus; quod autem attinet ad pietatis viam & verum Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid ex nobismet ipsis tanquam ex nobis.* Lib. II. contra duas epist. Pelag. ad Bonif. cap. 8. *Isti* (Pelagiani) *volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur &c. Sed Dominus, ut ipsis responderet, non ait*, sine me nihil potestis *perficere, sed* facere. *Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod a nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adjutorium necessarium &c. Videant, quid respondeant apostolo dicenti, non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, cogitare, ait, aliquid utique bonum, minus est autem cogitare, quam cupere. Cogitamus quippe omne, quod cupimus, nec tamen cupimus omne, quod cogitamus, quoniam nonnunquam, & quod non cupimus, cogitamus. Cum igitur minus sit cogitare, quam cupere, potest enim homo cogitare bonum, quod nondum cupit, & perficiendo postea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit, quomodo ad id, quod minus est, id est, ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei tanquam ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, & ad id, quod est amplius, id est, ad cupiendum aliquid boni sine divino adjutorio idonei sumus ex libero arbitrio?* Vides, non solum sufficientes, sed omnes omnino ad bonum vires naturalibus liberi arbitrii viribus in dicto apostolico juxta Ambrosii & Augustini expositionem derogari. Dictum Gen. VIII. a depravationibus adversariorum in tract. de peccato originali superius vindicavimus.

§. XXXVII.

Corruptio voluntatis post lapsum.

§. XXXVII. De corruptione *voluntatis* verbis non minus tragicis scriptura concionatur. Vocat enim homines *mortuos delictis & peccatis*, Eph. II. 1. *mortuos in peccatis* Joh. XV. 5. Col. II. 13. Ut autem homo naturæ & hominibus mortuus nihil eorum, quæ naturæ sunt & hominum, præstare potest: sic nec qui Deo in peccatis mortuus, ea, quæ Dei sunt & veræ pietatis, vere cognoscere facereve potest, sed tantum in peccatis fœtere & in sepulchro peccatorum computrescere cogitur. Vocat *liberos justitiae*, Rom. VI. 20. *servos peccati*, Joh. VIII. 34. qui miseræ peccati servituti ad obediendum sese manciparunt. Jam vero, *cui quis se sistit servum ad obediendum, ejus etiam servus est* Rom. VI. 17. Vocatur *cor hominis lapideum* Ezech. XXXVI. 26. Uti ergo lapis se ipsum non potest præparare, ut fiat ædificio construendo aptus, ita Deus homines tanquam lapides vivos ædificare vult *super angularem lapidem Christum, ut fiant domus ejus spiritualis*, 1 Pet. II. 5. sed homines non possunt se præparare, cum cor ipsorum sit lapideum. Deus autem illud potest, quippe *potens etiam de lapidibus suscitare filios Abrahae*, Luc. III. 8. Rom. V. 10. homo dicitur inimicus Dei ante conversionem. Ut ergo voluntas hominis inimico suo repugnat, ita quoque ante conversionem homo fugit Deum. Ideo etiam facientes voluntates carnis & cogitationum *sunt natura filii irae* Eph. II. 3. id est, obnoxii iræ & judicio Dei. Dicitur homo non renatus *arbor mala, quae non potest ferre bonos fructus* Matth. VII. 18. comparatur spinis & tribulis, e quibus nec ficus nec uvas colligere possis, v. 16. *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus maculas, & vos poteritis benefacere, cum sitis mali*, dicit de eo creator Jer. XIII. 23.

Assertio dictorum scripturae, Joh. VIII. Qui facit peccatum, servus est peccati.

§. XXXVIII. Dictis illis, in quibus homines nondum renati dicuntur *servi peccatorum*, ita respondet Bellarminus lib. V. de grat. & lib. arb. cap. 29. *Servitutem & libertatem generatim acceptam opponi, non autem quamvis servitutem cuivis libertati, ac proinde servitutem peccati in illis dictis opponi libertati a peccato, non autem libertati naturae, quae proprie dicitur liberum arbitrium. Qui servus est peccati, non potest suis viribus excutere jugum peccati, & ad libertatem justitiae pervenire, potest tamen per liberum arbitrium, adjuvante Deo, liberari a peccato, & potest, si velit, permanere in servitute peccati. Sicut etiam e contrario servitus naturae, id est, naturalis determinatio ad unum, qualis est in pecoribus, opponitur libertati naturae, id est, libero voluntatis arbitrio, non tamen libertati a peccato, imo quae carent libertate naturae, hoc ipso quod illa carent, non possunt ullo modo servire peccato.* Resp. confunditur libertas *a coactione* cum libertate *rectitudinis*. Si per libertatem naturæ Bellarminus intelligit ipsam voluntatis essentiam, vel libertatem *a coactione*, dicimus eam non esse per lapsum amissam, adhuc enim homo libere agit malum. Si vero per libertatem naturæ intelligi vult libertatem *rectitudinis*, qua voluntas hominis æqualiter se habet ad bonum vel malum eligendum; (quo spectare videtur, quod servitutem naturæ definit determinatione ad unum) dicimus, eam utique per peccatum amissam esse. Vitiose autem opponit Bellarminus liberum arbitrium determinationi ad unum, subinnuens, non consistere cum libero hominis arbitrio determinationem tantum ad unum videlicet malum; cui respondemus verbis Bernhardi superius adductis ex lib. de grat. & lib. arb. *Nemo putet ideo dictum liberum arbitrium, quod aequa inter bonum & malum potestate aut facultate versetur, alioquin nec Deus, nec angeli, sive boni, sive mali, liberi arbitrii esse dicerentur, sed ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo aeque liberam facit voluntatem.* Servitus igitur peccati, cui homines nondum renati sunt subjecti, non tollit libertatem naturæ, si per eam intelligatur prona illa ad malum inclinatio: tollit autem libertatem naturæ, si per eam intelligatur concreata & naturæ humanæ primitus insita rectitudinis libertas, qua voluntas æqua inter bonum & malum facul-

facultate versabatur. Insidiose ergo dicitur, posse hominem non renatum per liberum arbitrium, adjuvante Deo, liberari a peccato. Si enim intelligitur illud hoc modo, quod adjutorium Dei excitet sopitas liberi arbitrii vires, ut gratia Dei & voluntas hominis sint causæ sociæ conversionis, falsum est: sin vero ita explicetur, quod homo in eo differat a bruto, quod sit voluntate adhuc post lapsum præditus, in quam tanquam subjectum cadere possit conversionis gratia, quæ in pecora non cadit, recte dicitur.

Ezech. XXXVI. Auferam cor lapideum.

§. XXXIX. Propheticum dictum, in quo cor hominis dicitur *lapideum* Ezech. XXXVI. 26. manifeste ostendit, nullas in hominis voluntate post lapsum supereſſe vires, quibus divinæ gratiæ ad bonum cooperari possit. Bellarminus lib. VI. de lib. arbit. cap. 13. excipit, *liberum arbitrium non esse cor lapideum, neque carneum, sed vim quandam mediam & naturalem, quae formam lapidis, id est, peccati duritiem & formam lapidis, id est, teneritudinem gratiae recipere possit.* Resp. per vim illam aut intelligitur *interior* & essentialis voluntatis libertas, qua voluntas libere agit, quicquid agit; aut *exterior* illa libertas ratione objectorum, qua ad alteruttum bonum vel malum voluntas ferri potest. Si prius, concedimus, eam adhuc in homine supereſſe; si posterius, diserte negamus. Ambiguitas etiam est in termino recipiendi. Si enim intelligitur capacitas *activa* ἐπιτηδιότης ac vis quædam ἐνεργητικὴ, negamus talem ἱκανότητα, qua teneritudo gratiæ recipi possit, in homine supereſſe: si vero per eam intelligitur capacitas *passiva*, qua voluntas hominis subjectum παθητικὸν divinæ gratiæ constituitur, concedimus, talem receptivitatem adhuc supereſſe. Proinde ex dicto prophetico concludimus, quia homo in se & ex naturalibus suis viribus post lapsum consideratus non habet nisi cor lapideum, ideo ex se non potest mollescere & teneritudinem gratiæ recipere, sed requiritur, ut divina gratia connatam illam duritiem auferat, & novas ad amplectendum bonum vires concedat, ut hac ratione fiat cor novum & spiritus novus. Ezech. XI. 19. Agnoscere hoc videtur ipse Bellarminus, ideo subjungit: *Haec vis media & naturalis* (liberi arbitrii) *quando per peccatum talis est, ut dicatur cor lapideum, non habet ex se potestatem, qua se convertat ad Deum, & fiat carneum, sed eam recipit per gratiam Dei praevenientem. Liberum enim arbitrium per gratiam praevenientem excitatum & praeparatum, potest per vires, quas a Deo recipit, cooperari ad suam ipsius conversionem.* Rectissime hæc dicuntur, nisi quod insidiæ latent in voce *excitandi*, quas postea detegemus, ubi eadem opera agetur de eo, quod Bellarminus sententiam Pontificiorum a Chemnitio minus recte percipi, ac minus fideliter recitari scribit, quasi in ea sint sententia, quod liberum arbitrium per gratiam excitatum exserat vires, quas habebat etiam antequam excitaretur, & per illas suas vires divinæ vocationi consentiat, ita ut gratia præveniens non tribuat vires libero arbitrio, sed quasi sopitas excitet. Negat Bellarminus hanc esse Pontificiorum sententiam, cum agnoscant quidem liberum arbitrium in homine, sed tamen non dicant nec sentiant, liberum arbitrium habere ex se potentiam ullam saltem proximam ad actus pietatis, sed eam accipere a Deo per gratiam prævenientem. De tota hac re agetur inferius.

Eph. II. Eramus mortui in peccatis.

§. XL. Perspicuis illis Spiritus S. effatis, quibus homines non renatos in delictis & peccatis mortuos esse pronunciat, tales ibid. Bellarminus offundit nebulas. *Qui sunt mortui in peccatis, quoniam vivunt adhuc vita naturae, licet non vivant vita gratiae, poterunt non ut mortui, sed ut vivi uno genere vitae cooperari ad suam vivificationem secundum alterum genus vitae, si virtutem cooperandi a Deo receperint.* Resp. sane vita naturalis post lapsum residua mansit, sed per hanc vitam naturalem ad internam sui conversionem non potest homo Deo cooperari; verbum quidem, quod est conversionis medium, audire, legere & meditari beneficio vitæ naturalis potest, sed ad ipsum conversionis actum nihil ex sano & luco naturalium suarum virium adferre potest, quod videtur

videtur ipsemet Bellarminus agnoscere, dum subjungit, *virtutem illam cooperandi a Deo proficisci.* Quemadmodum igitur homo mortuus nihil opis adferre potest ad sui resuscitationem corporalem: ita homo spiritualiter in peccatis mortuus nihil opis adferre potest ad sui resuscitationem spiritualem, id est, ad conversionem, illuminationem, regenerationem & renovationem. Vitalem illam vim, qua homo in conversione salutariter utitur, non excitat Spiritus S. quasi jam ante in homine delitescentem, sed plane de novo confert. Naturæ vita nihil ad hanc rem momenti habet, illa ipsa enim naturalis vita est mors coram Deo, siquidem φρόνημα σαρκὸς ἔχθρα πρὸς τὸν Θεὸν Rom. VIII. 7. Vita spiritualis est longe superioris & altioris gradus, quam vita naturalis, quomodo igitur ad motus vitæ spiritualis inchoandos vita naturalis quippiam conferre posset, cum causa suo effecto nunquam sit inferior? Scriptura sic procedit: *Sine Christo homo nihil potest facere* Joh. XV. 5. *quia est in peccatis mortuus,* Eph. II. 1. Bellarminus procedit modo contrario; homo per gratiam excitatus & adjutus a Deo potest aliquid facere & cooperari, quia vivit adhuc vita naturali.

Conversio est ἐργημα.

§. XLI. Deo autem opus conversionis in solidum attribuitur, *hic illuxescit in cordibus nostris:* 2. Cor. IV. 6. *dat intellectum, ut discamus ejus testimonia:* Psalm. CXIX. 34. *dat illuminatos oculos mentis;* Eph. I. 18. nec solum hoc, sed & *aperit oculos, ut convertantur a tenebris ad lucem.* Act. XXVI. 18. Hinc Augustinus lib. II. de pecc. merit. & remiss. c. 5. *Mentibus non minus necessaria est illuminationis gratia, quam oculis lumen;* imo inquit, *oculos ipsi aperimus ad cernendam lucem, mentis autem oculi, nisi a Domino aperiantur, clausi manent.* Nisi Deus dederit oculos ad videndum, & cor ad intelligendum, frustra auditur verbum & videntur miracula. Deut. XX. 4. *Deus est, qui emollit cor:* 2. Par. XXXIV. 27. *dat cor carneum:* Ezech. XXXVI. 26. cum alias sit lapideum; *aperit cor;* Act. XVI. 4. cum alias sit clausum, *circumcidit cor,* Deut. XXX. 6. cum alias homo sit incircumcisus corde Act. XVII. 51. *conterit cor:* Ezech. VI. 9. cum alias cor hominis sit durum Rom. II. 5. instar viæ calcando induratæ Jer. XVII. 9. *dat cor novum,* Ezech. XI. 19. veteris Adami *membra* sunt *mortificanda* Col. III. 5. & *externus homo corrumpendus* 2. Cor. IV. 16. *Deus est, qui trahit:* Joh. VI. 44. *qui dat velle,* Phil. II. 13. cum alias non velimus; *Deus est, qui vivificat,* Es. XXXVII. 15. cum sint homines mortui in delictis Col. II. 13. *purificat corda,* Act. XV. 9. cum alias ex corde exeant pravæ cogitationes &c. Matth. XV. 19. imo *creat cor mundum,* Psalm. V. 12. ita, ut conversio nostra sit ἀνάπλασις & ἀνάκτισις, nec minor virtus requiratur ad hominis conversionem, quam creationem, quinimo si Augustino & Bernhardo credimus, majus Dei opus est ex impio pium facere, quam cœlum & terram creare. Observa igitur, Deum aperire, convertere, emollire corda, sed quia nimis sunt dura, conterit & circumcidit, quando adhuc nihil perficit, aufert cor lapideum, dat, imo creat novum. Infirmam naturam medicus ille noster Exod. XV. 26. obligat, adhibet remedia, sed hoc propter extremam ejus corruptionem non sufficit, renovanda est, ex mortuis exsuscitanda, regeneranda; non sanatione tantum, sed nova plane renascentia opus habet.

Exceptiones Bellarmini.

§. XLII. Regerit Bellarminus lib. V. de grat. & lib. arb. c. 29. & lib. VI. de grat. & lib. arb. c. 13. I.) *Deum non inclinare corda nostra cogendo aut necessitatem inferendo, sed interna inspiratione suadendo & invitando: Deum quidem facere per auxilium gratiae suae, ut vocanti consentiamus, sed hoc eum facere adjuvando infirmitatem, non tollendo libertatem.* Resp. voluntas humana ad bonum non solum infirma, sed plane mortua est, ideo non solum infirmitatis adjutorio, sed novarum virium dono indiget; inclinat Deus & invitat voluntatem non solum excitando & suadendo, sed etiam efficaciter interius operando. Interim libertas gratiam repudiandi non tollitur, sæpius enim proh dolor opus Dei in conversione ab hominibus intervertitur, vis acceptandi gratiam divinitus voluntati datur

datur atque confertur. II.) *Cor mundum creari nihil aliud esse, quam cor ipsum mundare, ac proinde non esse absurdum, quod substantia ipsa cordis spiritualis, accepto semine divinae gratiae, cooperetur ad fructum conversionis suae & pietatis opera germinanda.* Resp. sane postquam homo jam renatus per Spiritum S. agit, novis illis a Deo donatis viribus ad bonum cooperatur, sed in primo conversionis actu naturalibus suis viribus nequaquam cooperatur, semper igitur confunduntur diversæ quæstiones. III.) *Sicut, respiciendo terminum justificationis, Deus facit nos, & non ipsi nos, quia ipse habitum caritatis infundit: ita, respiciendo dispositionem ad justificationem, ipsi nos Deo adjuvante facimus, quod expressit* Ezech. cap. XVIII. *cum ait:* ipse animam suam vivificabit. *Resp.* justificatio nostra non consistit in habitus cujusdam infusione, sed in gratuita peccatorum remissione & justitiæ Christi imputatione, qua de re suo loco. Homines non renatos semet ipsos facere, hoc est, semet ipsos quodammodo regenerare, vel certe ad regenerationem præparare, longe absurdius est, quam si quis dicat, infantem in utero se ipsum ad hanc vitam formare. Augustinus de verb. apost. serm. X. *Ploremus coram Domino, qui fecit nos & homines & salvos. Nam si ille nos fecit homines, nos autem ipsi nos fecimus salvos, aliquid illo melius fecimus. Melior est enim salvus homo, quam quilibet homo. Si ergo te Deus fecit hominem, & tu te fecisti bonum hominem, quod tu fecisti, melius est. Noli te extollere super Deum, confitere illi, qui fecit te, quia nemo recreat, nisi qui creat, nemo reficit, nisi qui fecit, ipse fecit nos, & non ipsi nos &c. Ut implorares medicum, excitavit cor tuum, & posse implorare donavit tibi Deus,* est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate, *quia, ut haberes bonam voluntatem, illius vocatio praecessit.* Serm. XI. sequente: *Vidit Spiritus S. quosdam dicentes vel dicturos, quod Deus eos fecerit homines, justos autem ipsi se faciant, praevidit eos, admonuit eos, & ab hac extollentia revocavit eos dicens,* ipse fecit nos, & non ipsi nos. *Quare enim addidit:* & non ipsi nos, *cum sufficeret dicere:* ipse fecit nos? *nisi quia illam facturam voluit admonere, ubi dicunt homines: ipsi fecimus nos, id est, ut justi essemus, justos nos libera voluntate fecimus? quando conditi sumus, liberum arbitrium accepimus, ut ergo justi simus, libero arbitrio id agimus.* Hæc Augustinus. Dictum propheticum nihil minus agit, quam ut homini tribuat vim se ipsum vivificandi, vel ad vivificationem cooperandi. Impius cum averterit se ab impietate sua, & fecerit justitiam, ipse animam suam vivificabit, hoc est, non morietur, non peribit, sed in vita & ad vitam conservabitur, ut ostendit oppositio, verba enim *activa* apud Hebræos sæpius ponuntur pro contrariis negatis: sic dicitur nocere, qui non prodest; odisse, qui non amat; indurare, qui non emollit. Vox *vivificandi* in scripturis etiam alibi eo modo accipitur. Exod. I. 17. *obstetrices Ægyptiacae vivificabant infantes Israëliticos*, id est, in vita conservabant. Luc. XVII. 33. *Qui perdiderit animam suam, vivificabit eam.* Act. VII. 19. *ne infantes vivificarentur.* IV.) *Deum operari in nobis velle, juvando & excitando, ut re ipsa velimus, id tamen non sine nobis, alioquin non diceret apostolus:* Cum timore & tremore operamini salutem vestram. Phil. II. *Resp.* loquitur apostolus de renatis, qui per novas a Deo donatas vires post regenerationem suam cooperari possunt, quæstio autem hoc loco est de ipso conversionis actu, quid in eo voluntas humana ex se & suis naturalibus viribus possit, ubi certe nondum est συνεργὸς, sed tantum παθητικὴ. *Certum est, nos velle cum volumus; sed ille facit, ut velimus, de quo hic dicitur,* Deus est, qui operatur in nobis velle. Augustinus de grat. & lib. arbit. c. XVI. *Non propter possibilitatem bonae voluntatis atque operis, sed etiam propter voluntatem & operationem bonam erga nos gratia Dei praedicanda est. Non ideo tantum adjutorium divinae gratiae commendetur, quia possibilitatem adjuvat naturalem. Desinat Pelagius dicere, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit; quod vero bene vel male agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, desinat, inquam, ista dicere, non solum enim Deus posse nostrum donavit atque adjuvat, sed etiam velle & operari*

ri operatur in nobis, non quia nos non volumus aut nos non agimus; sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. Idem lib. I. de grat. Christi contra Pelagium & Celestium c. 25. *Vt velimus, sine nobis in nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur, tamen sine ullo vel operante ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Id. de grat. & lib. arb. c. XVII.

Rebellio carnis libertatem arbitrii deprimit.

§. XLIII. Tribus hisce argumentorum classibus addenda etiam quarta, continens ea scripturæ dicta, in quibus *luctа carnis & spiritus* in renatis describitur. Si enim ipsis renatis *caro repugnat spiritui*, & hostiliter cum ipso colluctatur: Gal. V. 17. *Si lex membrorum repugnat legi mentis:* Rom. VII. 23. si vetustas carnis novitatem spiritus in operibus bonis retardat atque impedit, quanto magis in ipsa conversione hoc fit, ac proinde nec gratiam prævenire, nec oblatam acceptare suis liberi arbitrii viribus homo nondum renatus poterit. Lutherus in assert. art. XXXVI. tom. II. opp. Lat. f. 312. *Etiam justi magno certamine contra suam carnem laborant, ut faciant bonum, resistitque eis liberum eorum arbitrium & prudentia carnis summis viribus concupiscens contra spiritum, odio habens ea, quae sunt spiritus & legis Dei, & quomodo possibile est, ut sine spiritu ex natura sua possit pro spiritu concupiscere, sed ad spiritum se praeparare faciendo, quod in se est? In gratia dum fuerit, natura ejus, talis est, ut contra gratiam indomitum pugnet, & extra gratiam talis esse poterit natura ejus ut spiritum juvet? Quid insanius fingi potest? Esset enim hoc monstrum novum simile huic, si quis indomitam feram vinculis custoditam domare non possit, & tamen insanus jactet eam ante vincula & sine vinculis esse tam vicurem & mansuetam, ut sponte se domet, seu ut dometur, laboret. Si liberum arbitrium in gratia peccat, & insanit adversus gratiam, sicut cogimur omnes sentire, & queruntur apostoli & omnes sancti, certe contra omnem sensum est, ut extra gratiam probum sit, & ad absentem se paret, quam praesentem odit & persequitur.* Hæc Lutherus. Excipiunt Pontificii, *luctum illam carnis & spiritus esse inter appetitum sensitivum & superiorem animae portionem, quae manserit a peccati corruptione libera,* sed contrarium ostendimus superius in loco de peccato originis.

Testimonia antiquitatis.

§. XLIV. Dicta veterum referri possunt in certas classes, quarum *prima* contineat ea testimonia, in quibus omnia divinæ gratiæ, viribus autem humanis nihil tribuunt. Cyprianus lib. III. ad Quirin. *In nullo gloriandum, quia nihil nostrum est,* quod Augustinus passim repetit. Basilius in conc. de humil. *Nihil tibi relictum est ad superbiam, homo, cujus gloriatio & spes est, ut mortifices omnia, quae tua sunt, & quaeras futuram in Christo vitam, cujus nunc adepti primitias in his sumus, totum, quod vivimus, gratiae & dono Dei debentes, nam Deus est, qui dat velle & operari pro bona sua voluntate.* Idem. *Qui te effers tanquam in donis propriis, cum potius gratias agere debeas pro acceptis beneficiis largitori, quid enim habes, quod non accepisti?* Ambrosius lib. I. de voc. gent. c. 3. *Quae natura erat bona, qualitate facta est mala, cum homo ad pietatem redit, non alia in eo creatur substantia, sed eadem, quae labefactata fuerat, reparatur, quod non efficit, nisi gratia salvatoris, qui opus suum opere suo reparat, quod in natura periit, non restituitur nisi ab auctore naturae.* Ibid. *Fide perdita, spe relicta, intelligentia obcaecata, voluntate captiva, homo in se quomodo reparetur, non invenit.* Hieronymus in c. XVI. Prov. *Quicunque tribuit sibi bonum, quod facit, etiamsi nihil videtur mali manibus operari, jam cordis innocentiam perdidit, in quo se largitori bonorum praetulit.* Augustinus de grat. & lib. arbit. c. XV. *Semper in nobis voluntas est libera, sed non semper bona &c. Per gratiam autem fit, ut sit homo bonae voluntatis, qui prius fuit voluntatis malae.* De dogmat. eccles. c. VI. *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem si nos illi ex parte & nobis ex parte committimus.* Chrysostomus homil. de

Adam

Adam & Eva. *Ex vasis irae facit vasa misericordiae, quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut haec efficienti Deo gratiarum actio semper & laudis confessio pro talium correctione referatur* in Psalm. CXVIII. *Qui estis boni, adsignate illud dono Dei, & nolite vobis adsumere, quod donatum est vobis, ne perdatis, quod habetis, & dicat vobis veritas:* quid habetis, quod non accepistis? in actor. homil. XXX. *Nihil nostrum esse putemus, quandoquidem & ipsa fides non est nostrum opus, quod autem non sit nostrum, sed Dei, audi apostolum dicentem:* etiam hoc non ex vobis, donum Dei est.

§. XLV. *Secunda* classis adsignabitur talibus dictis, in quibus liberum arbitrium respectu *spiritualium actionum* dicunt amissum esse, ac nihil valere nisi ad peccandum. Ambrosius lib. II. de voc. gent. c. 2. *Vaga hominis voluntas nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem, quia voluntas mutabilis, quae non ab immutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.* Augustinus lib. I. retract. c. 15. *Quantum est, quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est, & in tantum adpellatur voluntas, alioquin tota cupiditas, quae voluntas proprie nuncupanda est.* Epist. LXXXIX. ad Hilarium. *Libertas sine gratia nihil est nisi contumacia, non libertas.* Epist. CVII. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate amisimus.* In ench. c. XXX. *Homo male utens libero arbitrio, & se perdidit & ipsum. Cum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est & liberum arbitrium; a quo enim quis devictus est, huic servus addictus est.* Disput. II. cont. Fortun. *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine dico, qui primus formatus est, ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus resisteret, si vellet praecepta Dei servare, postquam autem libera voluntate ipse peccavit, nos in necessitatem praecipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus.* lib. I. cont. duas ep. Pelag. c. 3. *Arbitrium in bono liberum non erit, quod liberator non liberaverit, sed in malo homo non habet liberum arbitrium.* lib. III. c. 8. *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valet, ad justitiam vero non nisi divinitus liberatum adjutumque non valet.* lib. II. cont. Jul. *Hic vultis hominem perfici, atque utinam Dei dono & non libero vel potius servo propriae voluntatis arbitrio.* de corr. & grat. c. III. *Ante gratiam habemus liberum arbitrium sed non liberatum, liberum justitiae, servum peccato.* lib. III. hypogn. *Liberum arbitrium possibilitatis bono, vitio primi hominis perdito, a justorum errat consortio.* serm. III. de verb. apost. *Verum est, magnas liberi arbitrii vires homo, cum conderetur, accepit, sed peccando amisit.* serm. XIII. de verb. apost. *Prorsus si Dei adjutorium defuerit, nihil boni agere poteris, agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed male; ad hoc idonea est voluntas tua, quae vocatur libera, & male agendo fit damnabilis ancilla.* Chrysostomus hom. I. advent. *Ante lapsum liberum arbitrium habebamus bene operandi, non autem postea, quia non nostra virtute post peccatum evadere possumus de manu diaboli, sed sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur, quo tempestas voluerit, sic a diabolo de peccato in peccatum ducimur, nec hactenus quicquam facere licebit, nisi quod ipse diabolus voluerit, & nisi Deus valida manu misericordiae suae nos solverit, usque ad mortem in peccatorum vinculis permanebimus.* Bernhardus serm. LXXXI. super Cant. *Premimur jugo, non alio tamen, quam voluntariae cujusdam servitutis, ideo pro servitute sumus miserabiles, pro voluntate inexcusabiles, quia voluntas cum libera esset, servam se peccati fecit. Anima sub hac voluntaria quadam ac male libera necessitate & ancilla tenetur & libera, ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem &c.* Sarisberiensis in polycratico lib. II. c. 2. *Homo justo Dei judicio, quia noluit a peccato abstinere, cum potuit, modo nequit abstinere, cum velit: in eo tamen solo adhuc liberum ei viget arbitrium, ut sibi ad opus iniquitatis suffragiat, ad bonum non nisi a gratia praeventus & adjutus adsurgat.*

§. XLVI. *Tertiae* classi inserenda pronunciata ista, in quibus *initium* bonorum motuum divi-

næ gratiæ tribuunt. Augustinus de dono pers. *A Deo praeparatur voluntas hominum, ut enim Deus honorificetur a sancto, Dei gratia est.* Ambrosius lib. I. de voc. gent. cap. 9. *Licet inest homini nolle bonum, tamen nisi donatum non habet velle bonum; illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.* lib. II. cap. 9. *Duce Deo ad Deum veniatur necesse est, ne ad cogitandum quidem, quod spirituale est, idonei sumus, nisi per Dei gratiam.* Augustinus lib. I. retract. cap. 22. *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem;* (id sic explicat) *sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur, de quo dictum est:* dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus, facimus, nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est, sed praeparatur voluntas a Deo.* Epist. CV. *Restat, ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis praecedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona, quaecunque sunt merita, sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus.* Epist. CVI. *Omne bonum opus Dei gratia praecedit, & id comitante, non ducente, pedisequa, non praevia voluntate.* In enchirid. cap. XXXII. *Totum Deo detur, qui voluntatem hominis bonam praeparat adjuvandam, & adjuvat praeparatam. Praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia, quae autem non praecedit ipsa, in eis est & ipsa, nolentem praevenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.* lib. I. contra duas epist. Pelag. *Hominis propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi praecederet gratia, & studium hominis, quod dicitur bonum, quantumvis, cum esse coperit, adjuvetur a gratia, non tamen incipit sine gratia, sed a Deo inspiratur.* de grat. & lib. arb. c. II. *Certum est, voluntatem nostram requiri ad hoc, ut bene operemur, sed illam non habemus ex nostris viribus, sed Deus operatur in nobis, ut velimus.* Cap. XVI. *Certum est, nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus, de quo dictum est:* Deus est, qui operatur in nobis velle. Cap. XVII. *Quis etsi parvam dare coperat charitatem, nisi ille, qui praeparat voluntatem & cooperando perficit, quod operando incipit, quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Ibid. *Ut velimus, sine nobis operatur Deus; cum autem volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur; &c.* de corrept. & grat. c. I. *Desiderare gratiam initium est gratiae.* de dogmat. eccles. cap. XVII. *Sancta cogitatio, bonum propositum, pium consilium, omnisque nutus bonae voluntatis ex Deo est, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Chrysostomus hom. XXIV. in 7. Gen. *Non possibile est, bonum aliquod nos recte agere non habita superna gratia.* serm. VIII. in epist. Philip. *& promtitudinem nobis Deus dat & operandi efficaciam.* Fulgentius lib. I. ad Monim. *Nemo quisquam hominum sive ad cogitandum, sive ad operandum quodcunque bonum potest esse idoneus, nisi fuerit munere gratuito divinae opitulationis adjutus; ab ipso namque est initium bonae voluntatis, ab ipso facultas boni operis, ab ipso perseverantia bonae conversationis &c.* Anshelmus in medit. redemt. c. IV. *A te habeo desiderare, a te habeam impetrare.* de concord. grat. & lib. arbit. *Sicut nullus rectitudinem voluntatis accipit, nisi gratia praeveniente, ita nullus eam servat nisi gratia subsequente.*

§. XLVII. *Quarta* classis complectitur illa dicta, in quibus distinguunt objecta liberi arbitrii, ut intelligatur, quid in *civilibus*, quid in *spiritualibus* suis viribus possit. Ambrosius lib. I. de voc. gent. c. 2. *Omni animae naturaliter inest voluntas, qua aut adpetitur, quod placet, aut declinatur, quod displicet, cujus quantum ad naturalem pertinet motum, duo sunt genera, sensualis & animalis, sed cum adest gratia Dei, accedit ei per donum Spiritus tertium genus, ut possit fieri spiritualis.* (refert autem ad animalem, voluntatem corpori & voluptati non turpiter servire, cupiditates suas justitiae ac honestatis legibus refrenare) Augustinus de fid. ad Petr. c. XXXII. *Firmissime tene & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas vel adver-*

verſitas, verba ſanctae legis & evangelii ſive legere, ſive ex ore cujusdam praedicatoris audire, ſed ut, quod audit corpore, percipiat etiam corde, & mandata Dei facere velit, nemo poteſt, niſi quem Deus gratia ſua praevenerit, data divinitus bona voluntate atque virtute. lib. III. hypogn. *Eſſe fatemur omnibus hominibus liberum arbitrium, habens judicium rationis non per quod ſit idoneum, ea, quae ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare aut peragere, ſed tantum in operibus vitae praeſentis &c.* Maxentius in confeſſ. de Chriſto. *Liberum naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, niſi ad diſcernenda tantum & deſideranda carnalia, ſive ſecularia, quae non apud Deum, ſed apud homines fortaſſe videri poſſunt gloriosa, ea vero, quae ad vitam aeternam pertinent, nec cogitare, nec deſiderare, nec velle, nec perficere poteſt, niſi per infuſionem & operationem Spiritus ſancti.*

§. XLVIII. *Quintam* claſſem conſtituunt ejusmodi pronunciata, in quibus velle gratiam, & adſentiri gratiæ non eſſe virium noſtrarum, ſed voluntatis renovatæ, teſtantur. Ambroſius lib. II. de voc. gent. c. 9. *Quod gratia a multis refutatur, ipſorum eſt nequitiae, quod autem a multis ſuſcipitur, & gratiae eſt divinae & voluntatis humanae.* (nimirum jam renovatæ, ita enim ſequitur.) *Ipſa gratia hoc omni genere medendi & auxiliandi agit, ut in eo, quem vocat, optimam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum praeparet voluntatem.* Concilium Arauſicanum lib. II. can. 6. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus miſericordiam dicit conferri, non autem divinitus ut credamus, velimus per infuſionem & inſpirationem Spiritus S. in nobis fieri confitetur, anathema ſit.* Can. VII. *Si quis per naturae vigorem evangelizanti praedicationi ſe conſentire poſſe confirmet, absque illuminatione Spiritus ſancti, haeretico fallitur ſpiritu.* Auguſtinus lib. I. contra duas epiſt. Pelag. c. 19. *Chriſtus non dicit,* duxerit, *ut illic aliquo modo intelligamus praecedere voluntatem; ſed dicit,* traxerit, *quis autem trahitur, ſi jam volebat, & tamen nemo venit, niſi velit: trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.* de prædeſt. & grat. c. XI. *Ipſum velle non eſt ex nobis, ſed Dei donum eſt, quoniam ab ipſo habemus velle & perficere.* de prædeſt. ſanct. c. III. *Ut praedicato nobis evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium & ex nobis arbitrabar, quem meum errorem nonnulla opuſcula indicant ante meum epiſcopatum ſcripta.* Proſper de ingr.

— — — Percurrat apoſtolus orbem,
Praedicet, hortetur, plantet, riget, increpet, inſtet,
Quamque viam verbo reſeratam invenerit, intret;
Ut tamen his ſtudiis auditor promoveatur,
Non doctor, non diſcipulus, ſed gratia ſola
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus.

Illam gratiam ſic deſcribit:

Non quae conſilio tantum hortatuque benigno
Suadet, ſed mutat mentes, intusque reformat,
Vasque novum ex fracto fingit virtute creandi.

Bernhardus ſerm. I. ſup. Cant. *Quomodo lux incaſſum circumfundit oculos cæcos vel clauſos, ita animalis homo non percipit ea, quae ſunt Dei.* Idem de grat. & lib. arbit. *hoc eſt totum opus liberi arbitrii, quod conſentit non quidem, quod vel ipſe conſenſus ab ipſo ſit, cum nec cogitare quod minus eſt, quam conſentire a nobis quaſi ex nobis ſufficientes ſimus &c.*

Dicta Scholaſticorum & ipſorum Pontificiorum.

§. XLIX. Quin ipſimet Scholaſtici ac Pontificii ſcriptores ſatis commode quandoque hac de re loquuntur. Lombardus II. ſent. diſt. 25. G. *Poſſunt in homine notari quatuor ſtatus lib. arbitrii. Ante peccatum enim ad bonum nil impediebat, ad malum nil impellebat. Non habuit infirmitatem ad malum, & habuit adjutorium ad bonum. Tunc ſine errore ratio judicare, & voluntas ſine difficul-*

ficultate bonum adpetere poterat. Post peccatum vero ante reparationem gratiae premitur a concupiscentia, & vincitur, & habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono, & ideo potest peccare, & non potest non peccare etiam damnabiliter. Post reparationem vero ante confirmationem premitur a concupiscentia, sed non vincitur, & habet quidem infirmitatem in malo, sed gratiam in bono, ut possit peccare propter libertatem & infirmitatem, & possit non peccare propter libertatem & gratiam adjuvantem: nondum tamen habet posse omnino non peccare, vel non posse peccare propter infirmitatem nondum perfecte absorptam & propter gratiam nondum plene consummatam. Post confirmationem vero infirmitate penitus consumta & gratia consummata, nec vinci poterit nec premi, & tunc habebit non posse peccare. Lit. H. *Per peccatum naturalia bona sunt corrupta & gratuita detracta, incurrit enim homo pro peccato pœnam in corruptione & depressione liberi arbitrii. Corrupta est ergo libertas liberi arbitrii per peccatum & ex parte perdita.* Unde Augustinus in enchir. *Libero arbitrio male utens homo & se perdidit & ipsum, cum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est & liberum arbitrium: a quo enim quis devictus est, huic servus addictus est. Ecce liberum arbitrium dicit hominem amisisse, non quia post peccatum non habuerit liberum arbitrium, sed quia libertatem arbitrii perdidit, non quidem omnem, sed libertatem a miseria & peccato.* Lit. I. exponit tres modos libertatis, scilicet *a necessitate, a peccato & a miseria, & per peccatum perditam dicit libertatem a peccato, non autem a necessitate.* Thomas q. XXIV. de verit. *Liberum arbitrium sine gratia faciendo, quod in se est, non potest se disponere vel praeparare ad habendam gratiam.* p. II. q. 189. art. 3. *homo in statu naturae corruptae non potest Deum ex puris naturalibus diligere super omnia.* p. II. q. art. 4. *Fidem facit gratia non solum, quando fides de novo incipit esse, sed etiam quamdiu fides durat; Deus semper operatur justificationem hominum, sicut sol semper operatur illuminationem aëris.* Guilielmus Parisiensis distinctionem illam in quæstione de libertate arbitrii summe necessariam inter justitiam *civilem & spiritualem* satis commode explicat. Gregorius Ariminensis, professor Paris. lib. II. sent. dist. 26. 27. 28. accusat Scholasticos reliquos; quod *in doctrina de libero hominis arbitrio haeresi pelagianae sint addicti*, & honorifice loquitur de Thoma Bradwardino, collegii Sorboniei Lutetiæ professore, qui annis ante Gregorium decem, videlicet anno circiter 1330. opus tripartitum de gratia Dei contra liberum arbitrium ediderat. Johan. Driedo de concord. lib. arbit. & prædest. *Homo nondum credens, sed sibi derelictus in solis vitiatae naturae talentis, se ad accipiendam fidei gratiam praeparare non potest.* Iohan. Ferus Minorita in c. I. Johan. v. 23. *Veterem nativitatem atque adeo omnes vires naturae, quae naturali propagatione transfunduntur in sobolem, in scriptura damnari, maledictam cordis nostri cogitationem, rationem, os, manus, pedes, peccato & tenebris involuta in nobis omnia.* Unde index expurgat. Hisp. fol. 123. ex commentariis Feri delere jubet hæc axiomata: *Non alios quam malos fructus profert natura ex se: voluntas nostra mala & omnium malorum radix &c.* Cassander lib. consult. art. XVIII. ex Bonavent. *Hoc piarum mentium est, ut nihil sibi tribuant, sed totum gratiae Dei, unde quantumcunque aliquis det gratiae Dei, etiamsi subtrahat potestati naturae aut liberi arbitrii, a pietate non recedit; cum vero aliquid gratiae Dei subtrahitur, & naturae tribuitur, quod gratiae est, ibi potest periculum intervenire.* Bellarminus lib. IV. de lib. arbit. c. 10. adversus quosdam etiam catholicos sibi liberum arbitrium probandum esse dicit.

CAPUT V.

CAPUT V.

ERRANTES DE LIBERO ARBITRIO IN EXCESSU.

§. L. *Pelagiani errantes in excessu.* Ab hoc cœlestis veritatis tramite secessionem ad dextram olim fecerunt plus æquo viribus liberi arbitrii tribuentes Pelagiani, quos secuti sunt Scholastici, quorum vestigiis insistunt Pontificii, quibus ex parte consentiunt Synergistæ. Pelagius, Brito (*) monachus, circa annum 415. sub imperatoribus Arcadio, Theodosio juniore & Honorio, cœpit vires liberi arbitrii nimis extollere; cujus erroris occasionem Chemnitius part. I. locorum p. 499. ex historiis statuit quadruplicem. 1.) Volebat Manichæos, peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ contrariæ homini admixtæ tribuentes, acriter refutare: declinavit igitur nimium ad partem alteram, idemque ipsi contigit, quod insitoribus, qui incurvum tenellæ arboris statum corrigere nitentes, nimia attractione in alteram partem peccant. Basilius epist. XLI. 2.) Non probabat violentos raptus enthusiastarum, quos circa illa tempora sparsos fuisse, hist. tripart. lib. VII. c. 11. recenset. 3.) Erat amans disciplinæ, & videbat flagitiosam inter christianos ignaviam. 4.) Sine judicio arripiebat patrum incommode dicta. Errorem ipsius ita describit Augustinus de hæres. c. LXXXVIII. *Pelagianorum est haeresis hoc tempore omnium recentissima a Pelagio monacho exorta, quem magistrum Cœlestius sic secutus est, ut sectatores eorum Cœlestini etiam nuncupentur. Hi gratiae Dei, qua praedestinati sumus in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum, & qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus &c. in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata. Denique Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gratiae Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio praeponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut, quae facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique, ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines, sine gratia divina, facere jussa divina. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis praecedentibus meritis ab illo accepit natura nostra, ad hoc tantum existimantes ipsum adjuvantem per suam legem & doctrinam, ut discamus, quae facere & quae sperare debeamus &c. Gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicunt secundum merita nostra dari.* Adparet ex hac Augustini relatione, Pelagium aliquoties correxisse linguam, ipsos tamen nervos erroris sui retinuisse, quod heterodoxis perquam familiare est. Primo negabat plane gratiæ divinæ necessitatem, postea concedebat, adjutorium gratiæ necessarium esse, sed gratiam explicabat de ipso libero arbitrio, quod est donum Dei gratuitum. Augustinus serm. XI. de verb. apost. *Disputantes* (Pelagiani) *contra gratiam pro libero arbitrio fecerunt auribus piis & catholicis offensionem, caperunt horreri &c. & invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam Dei disputo. Unde probas? eo ipso, inquit, non contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium defendo. Videte acumen, sed vitreum quasi, lucet vanitate, sed frangitur veritate. Si hominem* (ajunt) *Deus creavit, & homini Deus liberum arbitrium donavit, quicquid potest homo de libero arbitrio, cujus gratiae debetur, nisi ejus, qui eum condidit cum libero arbitrio? Animadvertentes & hoc nimis jejunum esse, per gratiam dixit intelligendam esse patefactionem legis.* Augustinus lib. I. de grat. Christi cont. Pelag. & Cœlest. c. 3. *Gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina, ut videlicet, cum adjuvat Deus hominem, ut declinet a malo, & faciat bonum, revelando & ostendendo, quid fieri debeat, adjuvare credatur.* Cum &

(*) Brito, seu Britannus fuit cognominatus, ut ab alio quodam Pelagio Samosatensi distingueretur.

& hæc sententia refutaretur, dixit Pelagius, gratiam Dei ad hoc necessariam esse, ut peccata præterita remittantur, non tamen ut futura caveantur. Augustinus de grat. & lib. arb. c. XIII. *Dicunt gratiam Dei, quae data est per fidem Jesu Christi, quae neque lex est neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata praeterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur.* Sed ab hoc etiam præsidio dejectus Pelagius dixit, adjutorium gratiæ ad hoc valere, ut, quæ per liberum arbitrium facere jubemur, facilius implere possimus per gratiam. Augustinus de grat. Christ. cont. Pelag. lib. I. c. 19. *Pelagius dicit, propterea dari gratiam, ut, quod a Deo praecipitur, facilius impleatur, ubi, quid de illa sentiat, satis ostendit, scilicet quod etiam sine illa, etsi minus facile, fieri tamen, quod divinitus praecipitur, potest.* Denique concessit, gratiam Dei esse necessariam, sed addidit, eam dari juxta desiderium bonæ voluntatis, quod omnino præcedere debeat. Augustinus de grat. & lib. arbit. c. XIV. *Cum fuerint convicti, non defensores, sed insidiatores & praecipitatores liberi arbitrii, quia nec scientia divinae legis, nec natura, nec sola remissio peccatorum est illa gratia, quae per Jesum Christum Dominum nostrum datur, ad hoc se convertunt, ut quocunque modo conentur ostendere, gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt enim; etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur, tamen secundum merita bonae voluntatis datur.* Quamvis vero Pelagius haberet adsecias magnæ auctoritatis viros in Palæstina, Africa, Italia, Gallia & Britannia, singulari tamen Dei gratia excitabatur Augustinus, qui præ reliquis acriter se opponebat Pelagio, Juliano, Cœlestio &c. variis scriptis, quæ extant tom. VII. operum Augustini. Ex schola Pelagii prodiit postea Cassianus, monachus Massilienſis, qui in collationibus dicit, *in aliis hominibus voluntatem praeveniri a gratia, in aliis gratiam a voluntate:* Faustus episcopus Gallicus circa annum 500. disputans, *omnibus naturae lege suppetere, ut credant.* Huc referendi sunt Semipelagiani, reliquiæ Pelagianorum dicti, quorum mentio fit tom. VII. operum Augustini in epist. Prosperi & Hilarii, qui docebant, vitam æternam per libertatem arbitrii ab illis adprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint; priorem esse fidei obedientiam, quam gratiam; voluntatem hominis divinæ gratiæ opem sibi parere; initium fidei & conversionis esse ex nobis, complementum a Deo.

§. LI. Scholastici scriptores, egressi veros scripturæ limites, Pelagii vestigiis non obscure insistunt. *Scholastici.* Disputant enim, *hominem ex viribus liberi arbitrii posse se praeparare ad Dei gratiam;* (cum tamen bonam hominis voluntatem a Deo præparari, scriptura adseveret) *facere praecepta Dei quoad substantiam actus;* (cum tamen lex Dei non externam tantum, sed & internam obedientiam requirat) *hominem non renatum sine fide & Spiritu S. solo arbitrio facientem opera praeceptorum, non peccare;* (cum tamen omne, quod non est ex fide, sit peccatum) *hominem existentem in peccato mortali sine fide & Spiritu S. posse vitare & cavere quodvis mortale peccatum, ne de novo illud committat;* (cum tamen in non renatis omnia peccata sint mortalia, & propter impedimenta libertatis ne in externis quidem universaliter & semper verum sit, quod possit homo non renatus vitare quodvis peccatum pugnans cum externa disciplina) *introduxerunt meritum de congruo, quidam etiam illorum statuunt, posse hominem ex puris naturalibus diligere Deum super omnia.* Alexander Alensis p. II. q. 69. art. penult. *facienti, quod in se est, Deus necessario dat gratiam necessitate immutabilitatis.* Thomas p. II. q. 114. art. 6. *Merito congrui potest quis alteri mereri primam gratiam; congruum enim est secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, cum ipse impleat Dei voluntatem.* Gabriel Biel lib. II. sent. dist. 27. q. un. art. 4. *Anima obicis remotione & bono motu in Deum ex arbitrii libertate elicito primam gratiam mereri potest de congruo.* Idem lib. II. sent. dist. 28. q. un. art. 2. ex Scoto & Occamo has format propositiones: *liberum arbitrium ex suis naturalibus sine gratia potest elicere*

cere actum moraliter bonum, peccatum mortale novum quodlibet cavere, divina praecepta quoad substantiam actus implere. Lib. III. sent. dist. 27. q. un. artic. 3. dub. 2. *Viatoris voluntas humana ex suis naturalibus potest Deum diligere super omnia;* hanc propositionem dicit esse juxta opinionem Scoti, Occami & Petri de Alliaco, quam sic probat: *Omni dictamini rectae rationis potest voluntas se conformare; sed diligere Deum super omnia, est dictamen rectae rationis, ratio enim dictat, inter omnia diligenda esse aliquid summe diligendum. Item homo errans potest diligere creaturam super omnia; ergo etiam Deum, mirum enim valde esset, quod voluntas se conformare posset dictamini erroneo & non recto. Item homo potest ex puris naturalibus velle Deum esse Deum, sed talis vult Deo maximum bonum.* Scotus addit rationem *de forti politico, qui mori mavult, quam cum ignominia & jactura reipublicae fugere.* Lib. IV. sent. dist. 14. q. 2. art. 2. *Ad justificationem impii requiritur motus liberi arbitrii ut dispositio brevis. Duobus motibus liberi arbitrii, videlicet odii in peccatum & voluntatis in Deum, respondent duo, quae sunt a Deo justificante, scilicet gratiae infusio & peccati expulsio.*

§. LII. Sententiam Scholasticorum sequuntur Pontificii, quidam manifestius, quidam vero subtilius. Recentiores enim Jesuitæ a durioribus majorum suorum vocibus abhorrere videntur, cum interim ipsos errorum nervos retineant. Publica ipsorum sententia exstat in decretis Concilii Trid. quod sess. VI. can. 2. ita loquitur: *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Jesum Christum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen ac difficulter possit, anathema sit.* Can. 3. *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus S. inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari adsentiendo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet; nec posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.* Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum & exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in ecclesiam, anathema sit.* Hæc concilium Trid. quod verum controversiæ statum insidiose involvit, cum nec de ipsa voluntate, nec de libertate voluntatis *a coactione*, nec de qualicunque ejus libertate in externis, nec de renovatæ voluntatis libertate hic sit quæstio, sed de potentia ad efficiendas actiones spirituales, an eam ex se habeat, ut ante renovationem gratiæ prævenienti cooperari possit, quod concilium Tridentinum non negat, ita enim mentem ejus Andradius explicat: *liberum arbitrium non posse sane efficere spirituales actiones sine inspiratione & auxilio Spiritus sancti; sed illud non ideo fieri, quasi mens & voluntas, qualis est in homine ex prima nativitate ante conversionem, prorsus non habeat ullam potentiam, ullas vires aut facultates, quae ad inchoandas & efficiendas spirituales actiones necessariae sunt, sed ideo, quia naturales illae vires & facultates, licet nec deletae, nec exstinctae, adeo tamen peccatorum laqueis implicatae sint, ut homo non possit se propria virtute ab illis extricare, sicut ille, qui ferreis soleis devinctus est, habet quidem insitam & innatam intendendi δύναμιν, sed licet illam habeat, non tamen potest ea uti, ut in actum prodeat, nisi prius vincula rumpantur, quae motum reprimunt & retardant;* (qua ratione vires ad bonum non amissæ, sed impeditæ tantum forent.) Utitur etiam hac similitudine: *si te rogem, cum ligneam materiam conflagrare cernis, quae sit conflagrationis illius causa efficiens, ignem dicas necesse est una cum Deo, auctore naturae & patrono, qui igni exurendi vim suppeditat, & ad operandum cum illo conspirat; cum igitur liberi arbitrii motio non magis a gratia Dei pendeat,*

Pontificii.

Conc. Trid.

deat, quam a divina virtute ſtipitis exuſtio, quid eſt, quod liberum arbitrium cauſſae efficientis dignitate & nomine ſpolies; (qua ratione generalis Dei concurſus ad vires liberi arbitrii exſerendas neceſſarius ſtatueretur, non autem peculiaris gratiæ actio.) Ad eandem rem explicandam adhibet ſimilitudinem ægroti, *cujus vires, morbo fractae ac debilitatae & attenuatae ſunt, ubi medicus vires, quae adhuc reliquae ſunt, licet attenuatae, confirmat & roborat, & ſi quae ſunt amiſſae, reſtituit;* (qua ratione homo nondum renatus ad bonum debilis, non autem mortuus ſtatuitur.) Cenſura Col. fol. 35. *Non in moralibus officiis tantum & actionibus plurimum momenti habet arbitrium humanum, verum etiam in rebus ad ſalutem pertinentibus;* (qua ratione tollitur neceſſarium diſcrimen inter juſtitiam *civilem* ac *ſpiritualem.*) fol. 37. *Quatenus Deus ſua gratia ſemper praeſto eſt, ſi viderit animum ad ejus ſuſceptionem paratum & promtum, ſi non reluctantem reperiat.* (qua ratione ſtabilitur meritum de *congruo.*) fol. 48. *Deus deſiderio peccati & concupiſcentiae praefecit rationem & arbitrii libertatem, cujus imperio ſubjiciatur peccatum tali ſubjectione, qua vix major eſt;* (qua ratione negatur miſerabilis illa peccati ſervitus in non renatis.)

§. LIII. Coſterus in enchirid. *Coſterus.* cap. de libero arbitrio ſpecioſe interdum loquitur, utpote quod *peccator propriis ſuis viribus non modo a peccato liberari non poſſit, ſed nec poſſit ab illo reſurgere, neque de peccato dolorem concipere; neque ad gratiam & peccatorum remiſſionem ſe diſponere, nec pie erga Deum adfici, nec pio adfectu de Chriſto ut redemtore ſuo loqui ſine divina motione & gratia praeveniente. Quod tanta ſit in homine intellectus cæcitas, tantaque voluntatis & cordis duritia, ut, niſi miſericors gratia praeveniat & mentem illuſtret adfectumque moveat, nunquam ſerio pœnileat, vel ad Deum revertatur. Quod Deus pro ſua miſericordia in nobis ſine nobis operetur, cor moveat & mentem illuſtret.* Sed quomodo hæc omnia accipi velit, ſtatim explicat, dum *poteſtatem ſuſcipiendi divinos influxus humanae voluntatis viribus tribuit, confert liberi arbitrii vires in non renatis cum homine in foveam lapſo & ſecure dormiente, Spiritum S. cum amico, qui illius miſertus e ſomno excitatum moneat, & manum ei vel funem porrigat: quemadmodum igitur homo ille amici admonitionem admittit, funem adprehendit, tenet, & quicquid in ſe eſt, pro viribus praeſtat, non patiendo tantum, ſed & cooperando, donec tandem e fovea extractus lumine ſolis colluſtretur:* ita ex ſententia Coſteri *liberum arbitrium, ut e tenebricoſa fovea educatur, non ſuſcipit tantum, patitur & agitatur, ſed cooperatur gratiae, ac praeparat ſe. Confert hominem peccatorem cum ſemimortuo, ad quem deſiderantem auxilium & connitentem accedit amicus cum lumine, ut jumento imponatur: confert cum puero, qui pomo trahitur, ac filio, qui a patre trahitur munuſculis & blandimentis ad diſcendas literas. Spiritum S. confert ductori, qui praeeunte lucerna debilem manu trahit.* Imo diſerte ſcribit, *voluntatem hominis poſt lapſum retinuiſſe hanc libertatem, ut gratiam oblatam recipere vel non recipere poſſit, ut gratiae admiſſae cooperetur libere, gratiam Dei & liberum arbitrium eſſe cauſſam ſpiritualis liberationis.*

§. LIV. Bellarminus itidem ſatis ſpecioſe ſcribit, *liberum arbi-* *Bellarminus.* *trium ſolis ſuis viribus non poſſe ſe ad gratiam praeparare, velle & facere,* (ubi tamen aliquid ei relinquit; ſi enim non ſolis ſuis viribus, ergo a gratia adjutum aliquid poteſt.) Lib. VI. cap. 13. negat, *liberum arbitrium ex ſe ullam potentiam ſaltem proximam ad actus pietatis habere, ſed eam a Deo accipere per gratiam praevenientem,* (ubi tamen remotam potentiam ei videtur relinquere.) Ibidem diſerte ſcribit: *ſicut lapis ex ſe non habet, ut cooperetur, ſi forte convertatur in carnem, ita etiam liberum arbitrium ex ſe non habet, ut cooperetur ad ſuam ipſius converſionem, poteſt tamen a Deo recipere poteſtatem operandi per gratiam praevenientem, quod non poteſt lapis.* Sed quod Auguſtinus de Pelagianis olim dicebat: *ſine ſcrupulo haec acciperentur, ſi non ab illis,*

quo-

quorum sensus notus est, dicerentur, id etiam hoc loco pronunciare possumus. Quomodo enim sincere hoc doctrinæ cœlestis caput Bellarminus tractare potest, cum alibi disputet, corruptionem naturæ ex sola doni supernaturalis ob peccatum amissione profluxisse, cum merita operum humanorum defendat, cum dispositiones ad justificationem stabiliat, cum pugnam carnis & spiritus in homine ex puris naturalibus, remoto justitiæ originalis freno, ortam esse pugnet? Inde adeo diserte scribit lib. VI. cap. 15. *esse adhuc in homine ante omnem gratiam liberum arbitrium non solum ad opera naturalia & moralia, sed etiam opera pietatis & supernaturalia.* Id postea sic explicat, quod *in homine ante gratiam sit potentia remota & imperfecta ad opera pietatis facienda.* Sed verba ista de remota potentia laborant ambiguitate quadam, quæ necessaria explicatione indiget. Si enim per remotam potentiam intelligitur capacitas *passiva*, atque aptitudo illa, qua homo, cujus voluntas prædita est naturalibus ἐνεργείαις volendi ac nolendi, per gratiam possit converti, & capax sit justificationis; (qualis potentia sive capacitas non est in stipite ἀλόγῳ ac dæmonibus in malo obstinatis) concedimus talem remotam potentiam ad conversionem in homine superesse. Si vero nomine remotæ potentiæ intelligitur *activa* quædam facultas, qua ex se & suis viribus voluntas hominis gratiam expetere, vel ad obviantem ac prævenientem gratiam se adplicare, eique adsentiendo cooperari possit, quæ potentia ante gratiam quidem sit, & dicatur remota, ob prævenientem autem moventem, excitantem & adjuvantem gratiam in actum prodeat ac propinqua sit, licet imperfecta; tum negamus talem remotam potentiam in homine superesse. Ceterum quod posteriore sensu Bellarminus remotæ potentiæ terminum accipiat, ex eo patet, quod scribit: *Arbitrium liberum est, sed ejus libertas est quasi ligata & impedita, solvitur autem & expeditur, cum potentia proxima ad operandum per Dei gratiam ei confertur. Simile aliquid experimur in potentia videndi. Nam absente specie sensibili habet homo potentiam & libertatem videndi: tamen potentia remota est & libertas ligata, donec accepta specie potentia perficiatur, & in actum prodire possit.* At si hæc similitudo locum habere debet, per potentiam remotam ad opera pietatis in libero hominis arbitrio intelligenda est utique potentia *activa*, quæ per se & naturaliter ei insit, ac nullo alio nisi objecti adplicatione indigeat.

§. LV. Ad hanc classem referendi etiam sunt *Erasmus* in diatribe (*) cum suo *modiculo*, qui aliquid, quantumvis infirmum ac languidum, homini inesse contendit, quo se ad gratiam præparare & adplicare possit; & *Synergistæ* (**) nostri temporis, qui Augustanæ confessio-

Erasmi modiculum.

(*) Edidit DESIDERIUS ERASMUS, Roterodamensis, contra LUTHERUM *de libero arbitrio διατριβὴν sive collationem*, Basil. *MDXXIV.* 8. Coloniæ eodem anno, nec non alibi, sine loci & anni mentione, denuo litteris descriptam. Insertus quoque est iste libellus ejusdem *operibus*, Lugduni Batavorum junctim editis, *tom. IX. p. 1215. seqq.* Explicare in eodem adnititur, quid sit liberum arbitrium, quale fuerit conditum, quale sit vitiatum, quo modo sanetur, quid possit nondum restiturum, vel in bonum, vel in malum, quid valeat auxiliante gratia, & quid agat adsentiens gratiæ operanti, quid cooperans cooperanti. *Liberi* autem *arbitrii* nomine intelligit eam humanæ voluntatis vim, qua se homo possit adplicare ad ea, quæ ad sempiternam perducunt salutem, vel ab iisdem se avertere: Suam de libero arbitrio sententiam

ERASMUS hisce exprimit verbis: *Mihi placet illorum sententia, qui nonnihil tribuunt libero arbitrio; sed gratiæ plurimum: Nec enim sic erat vitanda Scylla arrogantiæ, ut feraris in charybdim desperationis aut socordiæ.* Atque ex his facile patet, quid per ERASMI *modiculum* intelligatur, cujus supra mentionem facit GERHARDUS. De controversia, quæ ERASMO cum b. nostro LUTHERO de hocce argumento intercessit, alibi dicemus.

(**) Constat, *Synergistas* nomen suum habere a doctrina, quam amplexi sunt. Tribuebant enim voluntati hominis naturalis συνεργειαν quandam in opere conversionis. Occasionem huic errori dedit PHILIPPUS MELANCHTON, qui passim in suis scriptis ejusmodi loquendi formulis usus est, quæ synergismum sapiunt.

fessionis ecclesias non mediocriter turbarunt, statuentes, referente formula concord. art. 2. negat. 4. quod *homo non renatus ratione liberi arbitrii infirmior quidem sit, quam ut conversionis suae initium facere, atque propriis viribus sese ad Deum convertere, & legi Dei toto corde parere valeat; sed tamen si Spiritus S. praedicatione verbi Dei fundamenta conversionis jecerit, suamque gratiam in verbo praedicato homini obtulerit, tum hominis voluntatem propriis & naturalibus suis viribus nonnihil, licet id perexiguum, infirmum atque languidum admodum sit, ad illam conversionem conferre, eam adjuvare, atque ad eam absolvendam cooperari posse.* Quod ergo statuuntur tres caussae conversionis, Spiritus sanctus, verbum Dei, & voluntas humana, cum difficulter ita explicari possit, ne synergismo fomenta praebeat, ut ὑποτυπώσει ὑγιαινόντων λόγων minus conveniens, repudiandum. Theodorus Beza lib. I. quæst. & respons. fol. 621. dicit, *homines primae gratiae συνεργεῖν*, alibi tamen contrarium scribit.

CAPUT VI.

REFUTATIO ERRORUM BELLARMINI DE LIBERO ARBITRIO.

SECTIO I.

DE DISTINCTIONE INTER AUXILIUM SUFFICIENS ET EFFICAX.

§. LVI.

Bellarmini distinctio inter auxilium sufficiens & efficax.

Sed, praetermissis reliquis, ad Bellarminum redeamus, de cujus sententia, ut apertius nobis constet, observandum, quod inter reliquas gratiæ partitiones lib. I. de grat. & lib. arb. cap. 2. quinto loco recenset eam, quæ est inter *gratiam* seu *auxilium sufficiens* atque *auxilium efficax*. *Illud* vocat, *quo Deus ita hominem vocat, excitat, & juvare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, ut revera possit ille sic excitatus & vocatus velle credere, velle converti, velle bonum aliquod facere, tamen re ipsa non velit credere aut converti aut bonum aliquod facere. Hoc* vero vocat, *quo Deus ita hominem vocat & excitat & juvare dirigendo, protegendo, cooperando paratus est, ut infallibiliter re ipsa velit ille, qui sic excitatur & vocatur, & re ipsa credat, convertatur, bonum faciat;* quam distinctionem probat sequenti cap. 11. *Resp.* concedimus sane Spiritui S. conversionis opus adgredienti multos resistere, consilium Dei adversus se ipsos spernere, & se ipsos vita æterna indignos judicare, atque hac ratione sua culpa gratiam conversionis a se repellere, sed propterea ipsam gratiam in sufficientem & efficacem dividendam esse negamus, siquidem una eademque Dei gratia est, quæ in credentibus operatur, & quæ ab incredulis repellitur. Capit. 12. disputat, unde sumatur efficacia gratiæ, ubi primo loco repudiat eorum opinionem, qui *gratiam efficacem constituunt in adsensu & cooperatione humana, ita, ut ab eventu gratia dicatur efficax, quia videlicet sortitur effectum, & ideo sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur,* per quam opinionem dicit, *destrui gratiæ efficaciam & simul praedestinationem.* Deinde repudiat etiam illorum opinionem, qui docent, *gratiam efficacem esse actionem Dei physicam, quae determinat voluntatem ad volendum & eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum,* per quam opinionem dicit, *destrui gratiam sufficientem & liberum arbitrium*; ipse vero eam opinionem amplectitur,

Unde sit efficacia gratiæ.

piunt. Num Erasmi commotus auctoritate id fecerit, an vero aliis inductus fuerit rationibus, hoc definire nolumus. Nec opus esse arbitramur, ut ipsius controversiæ synergisticæ hoc tradamus historiam. Hujus enim recensionem in aliam reservamus occasionem.

tur, *quod gratia efficax consistat in illustratione ac inspiratione interna.*

§. LVII. Resp. Cum de ipso, ut ita loquar, puncto conversionis hic agatur, ideo caute navigandum, ne vel ad scyllam pelagianam, vel ad charybdin absoluti decreti deferamur. Sic ergo procedimus. *Primo* omnium cavenda sunt extrema, quæ Spiritus S. in hoc negotio cavere in scripturis monet; neque enim efficacia gratiæ ad conversionem tribuenda est *cooperationi voluntatis* humanæ, neque tribuenda est *absoluto* Dei certos quosdam homines eligentis *decreto*, sed incedendum via media. Quod multi convertuntur & salvantur, agnoscendum est, solius divinæ gratiæ opus esse; quod multi non convertuntur & pereunt, agnoscendum est, ipsorum pereuntium culpa unice fieri, in qua pia simplicitate mens christiana secure acquiescere posset, si vel maxime omnibus difficultatibus, præsertim iis, quæ circa individua hominum convertendorum moventur, sese non possit expedire. Sed quia Bellarminus nobis tribuit, quod efficaciam gratiæ tribuamus physicæ cuidam Dei actioni, quæ determinet voluntatem ad volendum & eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum, ideo sententia nostra perspicue exponenda. In conversionis opere Spiritus S. tale invenit subjectum, quod nullas habet ad cooperandum vires, siquidem mens hominis nondum renati est cœca, voluntas aversa ac Deo inimica; hoc igitur omni genere medendi atque auxiliandi gratia agit, ut eum, quem convertere vult, ex nolente volentem, ex inimico obedientem faciat; illud vero non fit eo modo, ac si homine nec cogitante, nec cognoscente, vel etiam invito hominem convertat, ipsique vim adferat; Sed Spiritus S. donat novas vires, quibus adsentiri vocationi possit, nec tamen uno statim momento homini adimit veterem illam libertatem, vel potius miseram servitutem, qua oblatam gratiam repudiare possit. Absit igitur ut dicamus, Spiritus S. gratiam in conversione physica quadam actione determinare voluntatem ad volendum & eligendum bonum; (hac enim ratione converterentur omnes immutabili necessitate, quos Spiritus S. converti vult) siquidem patitur Spiritus S. sibi resisti, permittit opus suum impediri, videt multos se ipsos conversione & conversionis fructu, ipsa scilicet vita æterna, indignos judicare. Voluntas igitur in omnibus hominibus est post lapsum; ut autem voluntas velit bonum spirituale, id non habet ex suis viribus, siquidem peccato servit, renovat igitur Spiritus S. in conversione hominis voluntatem, ac donat ei novas vires, quibus instructa bonum actu velle & eligere possit, interim ex adhærente naturæ pravitate potest homo nolle bonum, potest Spiritus S. opus impedire, ac proinde neutiquam dicendum, quod in conversione physica quadam actione gratia determinet voluntatem ad volendum ac eligendum bonum.

SECTIO II.

DE DISTINCTIONE INTER GRATIAM OPERANTEM ET COOPERANTEM.

Distinctio inter gratiam operantem & cooperantem.

§. LVIII.

Hæc omnia erunt clariora ex sequentibus, siquidem cap. 14. sequenti declarat Bellarminus partitionem inter gratiam *operantem* & *cooperantem*, illam dicit, *quae efficit in homine primum actum deliberatae voluntatis, qualis est conversio sive ab infidelitate ad fidem, sive a peccatis caeteris ad agendam pœnitentiam:* hanc vocat, *quae efficit consequentes actus voluntatis, quales sunt velle orare, velle bona opera facere.* Præsertim illud Augustini de grat. & lib. arb. cap. XVII. *ut velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur*; Bellarminus sic explicat, *Deum secundum quoddam genus causae esse moventem respectu ipsius velle deliberati, & voluntatem non esse moventem, sed tantum motam, cum tamen secundum aliud genus causae ad eundem actum volendi producendum*

cendum concurrat Deus ut movens, voluntas autem tum ut mota, tum ut movens, & ideo utrumque verum esse, Deum operari ipsum velle deliberatum sine nobis, & non operari sine nobis. Nam si consideremus caussam efficientem & physicam illius actus, ea non solum est Deus per auxilium speciale, sed etiam voluntas per liberum arbitrium, & hoc modo illud velle esse Dei & nostrum, & nos in eo, Deo cooperari, & Deum illud non sine nobis operari. At si consideremus caussam illius ejusdem actus moralem, id est, caussam moventem suadendo, hortando, consulendo, ea est solus Deus; voluntas autem secundum hoc genus causae non est movens, sed tantum mota, non enim ipsa se voluntas impellit suadendo & hortando, ut velit, quod non vult, sed Deus per inspirationes suas intus animae loquens, ei suadet & persuadet, ut velit. Hæc Bellarminus, qui postea adhibet hanc ad rem talem similitudinem. *Sit aliquis, cui expediat navigare in orientem, & tamen nolit id facere, si quis ad eum accedat, eique multis allatis rationibus tandem persuadeat, & de nolente volentem faciat. Deinde ubi eum velle navigare cognoverit, procuret illi navem, pecunias & caetera, quae navigantibus sunt necessaria, is profecto vere dicere poterit, ego solus feci, ut iste navigationem suscipere vellet, nam etiamsi alter rationes allatas audierit, atque apud se expenderit, & tandem adsensum praebuerit, non tamen ipse sibi persuasit, neque se ipse movit, sed amicus ejus istum movit, eique persuasit. Ceterum, quod attinet ad exsecutionem voluntatis, non potest amicus ille dicere: ego solus detuli istum in orientem, sed solum, ego illum adjuvi & cooperatus sum, ut commode navigaret, siquidem ille, qui ab amico persuasus navigare decrevit, sine dubio non sibi ipsi defuit, sed cogitare cœpit, quid facto opus esset, & conatum atque industriam adhibere ad futuram navigationem.*

§. LIX. *Resp.* Insidiose hæc dicuntur ac disputantur, certum quidem est nos velle, cum volumus, sed illud velle non oritur ex residuis naturalibus liberi arbitrii viribus, verum ex novis illis a Spiritu S. donatis qualitatibus. Similitudo illa, quam Bellarminus adhibet, manifeste ostendit, quod statuat in conversione voluntatem hominis suadendo, inspirando, excitando moveri, ut naturales suas vires exserat, atque ita gratiæ in primo statim conversionis actu cooperetur, siquidem navigator ille, quem in orientem Bellarminus ablegat, ita persuadetur, ac de nolente fit volens, ut internum hujus voluntatis atque operis principium habeat, quod externis hortationibus ac persuasionibus excitetur, ac in actum producatur; sed homo nondum renatus tali interno principio ad τὸ velle bonum non est instructus, siquidem est in peccato mortuus. Proinde, ut in corpore mortuo nihil quicquam virium ac potentiæ supereſt, quo sibi ipsi corporalem vitam restituere, vel ad sui resuscitationem cooperari possit: ita homo ratione peccati spiritualiter mortuus, se ipsum in vitam revocandi vel spirituali sui resuscitationi cooperandi nullam facultatem aut δύναμιν ἐνεργητικὴν habet. Repetendum hoc loco ex doctrina de peccato originali superius expositа, quod per lapsum protoplastorum non solum amissa sit originalis justitia, sed etiam natura misere corrupta, ideoque peccatum originale consistit non solum in στερήσει integritatis, sed etiam ἕξει corruptionis, quæ corruptio inest per modum vitiosi habitus. Quemadmodum enim exteriores actus, ad quos prono impetu flagitiosi feruntur, testantur in ipsorum voluntate vitiosum habitum latere: ita peccatorum actualium copiosa seges ex corde enata testatur, per modum vitiosi cujusdam habitus corruptionem illam naturæ inesse; est autem non acquisitus, sed innatus habitus, proinde non per contrarios actus tollitur, quemadmodum acquisitus, sed ut generatione est contractus, ita per solam regenerationem ac renovationem Spiritus S. aboleri minuive potest. Ergo ut voluntas hominis in conversione velit bonum, non sufficit voluntatem suadendo, hortando ac consulendo moveri, sed requiritur, ut novis prius viribus ad bonum volendum & amplectendum donetur, siquidem in peccatis non solum dormit, sed etiam iisdem turpissime servit, ac eisdem ex se & suis viribus non potest non servire. Non suasione tantum, sed immutatio-

tatione ; non sanatione tantum, sed renovatione ; non exteriori pulsatione, sed interiori tractione voluntas indiget. Nemo nostrum negat, voluntatem hominis velle, voluntatem credere, ideoque non nisi volentibus nobis nos credere; sed Deus est, qui facit, ut velimus, facit autem non suadendo tantum, hortando ac consulendo voluntati ; sed a servitute peccati eam liberando, efficaciter immutando, renovando, novis ad bonum viribus donando, quam esse Augustini genuinam sententiam patet ex dictis omnibus superius allatis de grat. & lib. arb. cap. XVI. *Certum est, nos velle & facere, cum volumus & facimus, sed ille operatur & velle & facere,* (quomodo vero, num suadendo tantum ac hortando? attende sequentibus) *praebendo voluntati vires efficacissimas, de quo scriptum est:* Deus operatur in nobis velle & facere. Lib. I. contra duas epist. Pelag. ad Bonif. cap. 19. *Christus non dicit:* duxerit, *ut illic aliquo modo intelligamus praecedere voluntatem, sed dicit:* traxerit: *quis autem trahitur, si jam volebat, & tamen nemo venit, nisi velit, trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines* (quod fieri non potest) *nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Libr. de praedest. sanct. cap. III. errorem esse dicit, *arbitrari, quod praedicato evangelio consentire nostrum sit proprium & ex nobis.* Ambrosius lib. I. de voc. gent. cap. 9. *Licet ineste homini nolle bonum, tamen nisi donatum non habet velle bonum.* Maxentius: *Nec cogitare nec velle spirituale possumus, nisi per infusionem & operationem intrinsecam Spiritus sancti.* Concilium Arausicanum can. VI. *Qui non confitetur divinitus in nobis fieri, ut credamus & velimus per infusionem & inspirationem Spiritus S. anathema sit.* Contra vero de naturæ possibilitate pronunciat Augustinus de nat. & grat. cap. LIII. *quod vulnerata, sauciata, vexata, perdita sit, ac vera confessione, non falsa defensione opus habeat.* Proinde nondum ex cassibus Pelagii extricat se ipsum Bellarminus, tribuens gratiæ operanti, quod suadendo, hortando, consulendo voluntatem quidem moveat, relinquens interim hominis voluntati, quod concurrat libere consentiendo, ac per liberum arbitrium actum illum conversionis active producendo, ut in hoc ipso capite loquitur, siquidem Pelagius ab orthodoxis, vi veritatis coactus, tandem itidem sic cœpit loqui, *gratiam adjuvare bonum cujusque propositum, nec tamen reluctanti studium virtutis immittere.* Augustinus lib. IV. contra duas epist. cap. 6. *Ex Dei potentia nec in malum nec in bonum invitum aliquem cogi, sed propria voluntate aut bonum facere aut malum, in bono vero opere a Dei gratia semper adjuvari, in malum diaboli suggestionibus incitari.* lib. I. contra duas epist. cap. 18.

An ad libertatem arbitrii requiratur libertas ab immutabilitate.

§. LX. Pergit Bellarminus ac lib. III. de grat. & lib. arb. cap. 5. probare instituit, *requiri ad liberum arbitrium non solum libertatem a coactione, sed etiam libertatem a necessitate,* (immutabilitate) Breviter respondemus, quia scriptura homini etiam non renato tribuit aliquam libertatem faciendi opera legis externa, ideo in peccatis, quæ pugnant cum externa disciplina, non est necessitas immutabilis. Si vero de interiori immunditie & corruptione naturæ nobiscum nascente quæritur, ibi fatemur, necessitate immutabilitatis voluntatem hominis non renati peccati servam ac captivam esse, neque enim potestatem habet, pravitatem illam ex se suisque viribus deponendi, &c. Ergo si Bellarminus ad essentialia liberi arbitrii requiri putat libertatem *a necessitate* sive *immutabilitate*, ut pro arbitrio possit homo bonum velle & nolle, dicimus, tale liberum arbitrium penitus amissum esse; si vero concedit, libertatem *a coactione* sufficere ad essentialia liberi arbitrii, quod scilicet homo necessario velit malum, & non possit nisi velle malum, idem tamen velit sponte, non coacte, concedimus, talem arbitrii libertatem in homine post lapsum superstitem adhuc esse. Atque ex eo intelligitur, cur veteres, qui contra Pelagium scripserunt, quandoque dicant, liberum voluntatis arbitrium deperditum & amissum esse, quandoque vero dicant, non deperditum, sed tantum depravatum esse. In prioribus dictis

loquuntur de libertate arbitrii juxta priorem significationem, in posterioribus autem loquuntur de libertate arbitrii juxta posteriorem significationem. De tota autem hac Bellarmini disputatione, an scilicet ad libertatem arbitrii necessario requiratur libertas *a necessitate* sive immutabilitate, rectissime judicari potest ex dictis Augustini & Bernhardi, in quibus voluntatem hominis non renati, ad peccatum dicunt liberam, & tamen peccati servam, captivam ac amissam. Itemque liberum arbitrium sine gratia non valere, nisi ad peccandum. *Nemo enim putet*, ait Bernhardus de grat. & lib. arb. *inde dictum liberum arbitrium, quod aequa inter bonum & malum potestate aut facultate versetur, alioquin nec Deus nec angeli sive boni vel mali liberi arbitrii esse dicerentur, sed ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono sive in malo aeque liberam faciat voluntatem, cum nec bonus quispiam nec item malus dici debeat aut esse valeat nisi volens.*

§. LXI. Audiamus autem Bellarminum: 1.) adfert locum Eccl. XV. 18. *Deus reliquit &c.* (*) 2.) Quæ ex concilio Tridentino & decretis recentiorum Pontificum adducit, nullo apud nos loco habentur. 3.) Patres libertati necessitatem opponentes intelligunt necessitatem *coactionis*, non autem *immutabilitatis*, quidam etiam definiunt liberum arbitrium in homine ante lapsum, quidam agunt de libertate in actionibus externis, quæ omnino a nobis homini etiam post lapsum conceditur. 4.) Rationes, quas adfert, levioris sunt momenti. *Si ad liberum arbitrium sufficeret libertas a coactione, sequeretur etiam in pecoribus esse liberum arbitrium.* Resp. puerilis lusus, Bellarmini ingenio indignus. Dicimus, hominem non renatum necessario peccare, & tamen libere, quia voluntas depravata sponte fertur ad malum absque coactione: quam turpis sophistica est, concludere ex eo, quod & bruta libere agant, quæ absque coactione sponte feruntur ad pabulum! Spontaneus motus in homine oritur ex voluntate seu adpetitu rationali, spontaneus motus in brutis oritur ex instinctu naturali & adpetitu sensitivo. Deinde *sequetur in pueris, furiosis, somniantibus esse usum liberi arbitrii, quia agunt sponte.* Resp. eadem sophistica, spontaneus motus in pueris, furiosis, somniantibus oritur non ex usu rationalis, sed sensitivi adpetitus. Tertio *sequetur, Deum per liberum arbitrium genuisse Filium, quia non coactus genuit.* Resp. probat hoc nostram sententiam, Deus necessario (immutabiliter) genuit Filium, & tamen libere, quia non coacte, utique ergo necessitas (immutabilitatis) & libertas non pugnant immediate. Quarto *nulla remaneret quaestio de libero arbitrio.* Resp. imo vero supereset, quia hoc ipsum quæritur, an ea libertate homo post lapsum præditus sit ad bonum & malum, qua instructus fuit ante lapsum. Denique *pugnantia haec sunt dicere, quod liberum arbitrium sit solutum a coactione, non a necessitate, cum sit potestas electiva, quae non possit intelligi cum determinatione ad unum.* Resp. in ipso malorum genere datur electio, ut unum præ alio eligi possit, nec malum ut malum, sed sub specie boni ab homine adpetitur, siquidem voluntas hominis, peccati servituti addicta, adpetitus sensitivi dominio sese subjecit; quod ergo ille bonum judicat, illud eligit, ad id prono impetu fertur, interim ipsa voluntatis essentia manet, nec desinit esse potestas electiva.

§. LXII. Cap. VI. respondet Bellarminus quibusdam dictis Augustini ac Bernhardi, quæ probant, hominis voluntatem peccato in deterius mutatam sibi ipsi necessitatem facere, ut necessitas cum sit voluntaria, excusare non valeat voluntatem, nec voluntas excludere necessitatem, cum sit necessitas quodammodo voluntaria, &c. Ita vero respondet, ut nostram potius confirmet, quam evertat sententiam. Concedit, *felicitatem necessario adpeti, & tamen libere, quia quoad exercitium & specificationem in aliis rebus eligendis voluntas est libera.* Eodem modo & nos dicimus, hominem necessario peccare, & tamen libere, quia quoad specificationem in ipsis peccatorum

(*) Ad hocce dictum *ecclesiasticum* infra §. LXXVII. respondet GERHARDUS.

rum generibus voluntas est libera. Concedit, *per necessitatem non peccandi in vita aeterna non tolli liberum arbitrium, sed potius confirmari.* Eodem modo & nos dicimus, per miseram peccandi servitutem, cui in hac vita homo ante conversionem est subjectus, non tolli ipsam voluntatis essentiam, quo minus libere peccet. Concedit, *necessitatem conditionatam non repugnare libertati, sed absolutam, exemplum conditionatae necessitatis ponit, quod mala arbor non possit ferre bonos fructus, & tamen possit fieri bona.* Idem & nos dicimus, conditionatam, non autem absolutam esse illam peccandi necessitatem in homine non renato, potest enim converti, renovari ac immutari, ut instar arboris primum malae, postea vero ad bonitatem reductae, ferat bonos fructus. Denique lib. III. cap. 16. disputat, *Deum esse liberi arbitrii, qui tamen nihil agit nisi bonum.* Expendantur autem, quae Pelagius disputat apud Augustinum de nat. & grat. cap. XLVI. quod voluntatis arbitrio ac deliberatione privetur, quicquid naturali necessitate constringitur; & adparebit, ex qua schola haec Bellarmini disputatio prodierit.

SECTIO III.

EXAMEN LIBRI III. BELLARMINI DE NATURA LIBERI ARBITRII.

§. LXIII.

Pugna Scholasticorum de libero arbitrio.

De natura liberi arbitrii incipit Bellarminus agere libr. III. & varias Scholasticorum pugnas hac de re discutit. 1.) Lombardus vult, nomen liberi arbitrii significare *conjunctionem duorum actuum*, id est, judicii rationis & electionis voluntatis. Durandus putat, dici *proprie de actu rationis*, id est, judicio; Thomas per liberum arbitrium *solius voluntatis actum* significat. 2.) Hervaeus docet, liberum arbitrium *proprie in actu consistere, non in habitu vel potentia.* Bonaventura constituit *in habitu quodam naturali consurgente ex ratione & voluntate.* Albertus docet, *liberum arbitrium esse potentiam, per habitum perfectam superadditum, non tamen acquisitum, sed naturalem.* Quidam docent, liberum arbitrium *esse potentiam quandam universalem continentem sub se potentias omnes animae intelligentis & sentientis.* Alexandri Alens. sententia est, liberum arbitrium *esse potentiam particularem, distinctam a ratione & voluntate.* Durandus docet, liberum arbitrium *esse ipsas potentias rationis & voluntatis, sed magis rationis.* Scotus statuit, liberum arbitrium *esse potentiam unam & particularem, ipsam videlicet voluntatem, eamque ita esse liberam, ut non pendeat nec determinetur a judicio practico rationis.* Thomas & ejus adsectae docent, liberum arbitrium *esse quidem potentiam unam & particularem, ipsam videlicet voluntatem, sed radicem libertatis esse in ratione.* 3.) Gotofridus disputat, *voluntatem humanam esse potentiam passivam.* Biel vero vult, liberum arbitrium *partim esse passivum, partim activum.* Thomas & alii quidam liberum arbitrium *simpliciter faciunt activum.* 4.) Occamus disputat, *objectum liberi arbitrii esse bonum & malum*, reliqui vero omnes *tantum bonum esse proprium & primarium voluntatis objectum* statuunt. 5.) Lombardus, Occamus & Biel statuunt, liberum arbitrium *esse tantum futurorum.* Ariminensis censet, *inchoationem actionis etiam in praesenti liberam esse posse, tamen continuationem aliquam omnino esse necessariam.* Scotus & alii statuunt, *non solum futuras, sed etiam praesentes actiones, nec tantum earum inchoationem, sed etiam continuationem in liberi arbitrii potestate esse.* 6.) Scotus docet, *primum actum voluntatis seu amorem finis non solum elici a voluntate, sed esse simpliciter liberum.* Capreolus disputat, *primum amorem finis esse quandam complacentiam actualem erga bonum in universum, & voluntatem non nisi passive ad eam concurrere.* Ferrariensis statuit, *actum illum fieri ab ipsa voluntate efficienter, ita tamen, ut sequatur ex inclinatione naturali.* Ex his Scholasticorum pugnis manifeste adparet, quid certi ab illis sperandum sit,

qui relicto scripturæ tramite ad vias philosophorum abeunt.

An Lutherus Deum privet arbitrii libertate?

§. LXIV. Cap. XVI. probat Bellarminus, *Deum esse liberi arbitrii*, in quo nos habet sibi, imo veritati ὁμοψήφους: illud vero iniquum est, quod cap. præcedente Lutherum accenset illis, *qui libertate arbitrii Deum spoliant, quia in adsertione articulorum artic. XXXVI. disputat, omnia ex necessitate absoluta evenire.* Sed tale quid eo loci non occurrit, ac, si vel maxime occurreret, nondum libertate arbitrii per id Deus privaretur, siquidem intelligitur necessitas in creaturis, non autem in ipso creatore. Rem ipsam quod attinet, fatemur, Lutherum in libro de servo arbitrio scribere, quod omnia fiant ex absoluta necessitate, sed mentem suam clarissime exposuit in XXVI. cap. Gen. *Resonabant & templa & scholae* (ait Chemnitius part. I. locorum pag. 425.) *immensis liberi arbitrii encomiis; oppositae ergo sunt istae disputationes, ne in externis quidem arbitrium omnino esse liberum, nec potuit in principio tam distincte & commode haec intricata disputatio declarari.* Erasmus, Scholasticos secutus, ex philosophia potius & judicio rationis, quam ex scriptura vires liberi arbitrii defendebat, ut ergo suo eum Lutherus jugularet gladio, ex ipsis illis Erasmi principiis, rationis scilicet judicio, contra adversarium pugnabat εἰς τὸν ἀντίον ἀποκλίνων, omnia absoluta necessitate fieri contendens, nimirum *ut naturalis ratio, superba illa domina, verbo sese subjicere discat*, ut loquitur tom. III. latin. Jenens. f. 207. Alibi interim diserte scribit & pugnat, Deum non esse peccati causam, tantum abest, ut liberi arbitrii Deum esse neget.

SECTIO IV.

EXAMEN LIBRI IV. BELLARMINI DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII IN NATURALIBUS.

Quæ vires hominis in notitia Dei naturali.

§. LXV. Libr. IV. de viribus liberi arbitrii agere incipit & probat, *naturae viribus cognosci posse, Deum esse, & esse unum, & id genus alia*; cap. II. *requiri & sufficere auxilium generale ad actiones naturales & civiles*; cap. IV. Quod libenter concedimus, est enim aliqua naturalis Dei notitia, sed languida & imperfecta; novit ratio aliquam particulam legis divinæ, potest ex κοιναῖς ἐννοίαις & libro naturæ discere, quod sit Deus, quod justus sit, quod sapiens, &c. Præditus insuper est homo etiam post lapsum aliqua libertate in naturalibus & civilibus actionibus, potest externa delicta quodammodo cavere, & externam locomotivam utcunque regere, sed libertas illa est imperfecta, ut patebit ex impedimentis hujus libertatis, quæ exponentur postea suo loco. Quæ de contradictionibus Lutheri & Philippi cap. 5. scribit, *quasi omnem omnino etiam in externis & civilibus actionibus voluntatis humanae libertatem tollant*, hac de re videatur Chemnitius part. I. loc. cap. de causa peccati sub finem. Non erubescit Lutherus cum Augustino fateri, se proficienter scripsisse, ideo etiam in posterioribus editionibus operum Lutheri verba illa *adsert. art.* XXXVI. quod juxta Wiclefi doctrinam omnia absoluta necessitate eveniant, sunt omissa, uti etiam in locis posterioribus Philippus mentem suam diserte exposuit, proinde sententia dictorum sumenda est ex occasione dicentis. Scribunt autem contra immodicos liberi arbitrii encomiastas, idem igitur ipsis contigit, quod primitivæ ecclesiæ patribus, qui cum Manichæorum errores sibi refutandos proponerent, nimium progressi indulgentius & incommodius de viribus liberi arbitrii sunt locuti.

An dicendum sit servum hominis arbitrium.

§. LXVI. Cap. VI. disputat Bellarminus, *non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi, quo nomen liberi arbitrii in nomen servi mutetur*: 1.) *cum inauditum sit servi arbitrii nomen in ecclesia*

eleſia per totos mille quingentos annos. Reſp. adeone in eccleſia Chriſti peregrinum eſt illud Chriſti, Joh. VIII. 34. *Qui facit peccatum, peccati ſervus eſt;* & illud apoſtoli, Rom. VI. 20. *Cum ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiae.* Auguſtinus II. lib. contra Julian. *Hic hominem vultis perfici* (vos Pelagiani) *atque utinam Dei dono & non libero vel potius ſervo arbitrio.* lib. III. contra duas epiſt. Pelag. cap. 8. *Liberum arbitrium captivatum, non niſi ad peccatum valet.* in ench. cap. XXX. *Qualis quaeſo poteſt ſervi addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? liberaliter enim ſervit, qui ſui domini voluntatem facit, ac per hoc ad peccatum liber eſt, qui peccati ſervus eſt.* ſerm. III. de verb. apoſt. *Agis quidem Deo non adjuvante libera voluntate, ſed male, ad hoc idonea eſt voluntas tua, quae vocatur libera, & male agendo fit damnabilis ancillae. Cum dico tibi ſine adjutorio Dei liberam voluntatem, quanquam illa non eſt libera, a quo quis enim devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt, & omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Bernhardus ſerm. VIII. ſup. Cant. *Anima ſub hac voluntaria & male libera neceſſitate & ancilla tenetur & libera; ancilla propter neceſſitatem, libera propter voluntatem.* 2.) *Omnes ſcriptores eccleſiaſtici diſertis verbis liberum arbitrium docuerunt.* Reſp. neque nos tollimus liberum arbitrium, ſi intelligatur vel interior atque eſſentialis voluntatis in agendo libertas, vel aliqua in actionibus externis & civilibus libertas, vel ipſa in peccati ſervitute libertas a coactione. 3.) *Si nomen arbitrii bonum; retinendum erit: ſin malum, cur in eccleſia tamdiu toleratum?* Reſp. retinemus, ſed cum debita & conveniente explicatione, nec abſolutam Manichæorum neceſſitatem, nec pelagianam arbitrii libertatem adprobantes.

SECTIO V.

EXAMEN LIBRI V. BELLARMINI DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII IN MORALIBUS.

§. LXVII.

De viribus liberi arbitrii in moralibus.

Libro V. diſputat Bellarminus de libertate arbitrii in moralibus, ubi tractat primis XII. capitibus quæſtionem *de operibus infidelium moraliter bonis, ſintne ea peccata, cum fiant ſine fide*, qua de re ſuus erit poſtea dicendi locus. A capite XIII. uſque ad finem libri agit *de libero arbitrio in moralibus*, ac probare conatur, *hominem in ſtatu naturae corruptae libero arbitrio praeditum eſſe quoad moralia.* Sed ipſum quæſtionis & controverſiæ ſtatum nondum ſatis diſtincte ac dilucide proponit; concedimus enim, hominem non renatum habere aliquam libertatem faciendi opera legis externa, ac proinde in peccatis, quæ pugnant cum externa diſciplina, non eſſe neceſſitatem vel *coactionis*, vel *immutabilitatis.* Interim addimus, libertatis hujus varia eſſe impedimenta, tum interna, tum externa, quæ ſuo loco enumerabuntur; aliquam igitur ac limitatam arbitrii libertatem in operibus moraliter bonis hominibus nondum renatis concedimus. Sed quia illa ipſa opera moraliter bona coram Deo ſunt peccata, tum *finalis*, tum *efficientis* & *formalis* cauſæ ratione, maxime vero quia voluntas hominis nondum renati ſuis viribus non poteſt exſuere pravitatem nobiſcum naſcentem, ideo dicimus, eam peccati ſervam atque captivam eſſe. Hic ſcopus, atque hæc diſerta ſententiæ noſtræ explicatio ſi obſervetur, facile adparebit, quid probandum, quid improbandum ſit in tota illa ſatis prolixa Bellarmini tractatione de libertate arbitrii in moralibus. Miſcet enim Bellarminus diſtinctas quæſtiones, & per bonum morale intelligit non tantum externa legis opera, virtutes ethicas, juſtitiam civilem; ſed etiam vere bonum morale, quod coram Deo & in judicio Dei ſit bonum, cum tamen vel ex Vega lib. II. de imbecillit. naturæ cap. 12. potuiſſet diſcere, diſtinctas eſſe has quæſtiones, & a nobis etiam diſtingui. *Concedunt quidem* (ait Vega) *profeſſantes libertatem ad juſtitiam philoſophicam atque civilem, ſed non ad ſpiritualem atque divinam, hoc eſt, quoad opera legis ex-*

terna, non interna: ubi etiam viam se invenisse arbitratur, qua cum Pontificiis Protestantes in hac quæstione conciliare queat. Audiamus ergo Bellarmini argumenta.

Rationes pro libero arbitrio. 1.) Aut peccatum necessarium, aut voluntarium.

§. LXVIII. I.) *Aut peccatum est necessarium aut voluntarium; si est necessarium, igitur non erit peccatum; si voluntarium, igitur vitari potest, & proinde homo liberi arbitrii erit in moralibus.* Resp. 1.) hoc ipso argumento Cœlestius Pelagianus olim usus est, ut patet ex Augustino in libr. de perfect. justitiæ contra Cœlestium, statim in principio, ubi Cœlestius sic ratiocinatur: *Quod vitari non potest, peccatum non est. Nulla enim ratio vel justitia patitur saltem dici peccatum, quod vitari nullo modo potest.* Augustinus autem respondet: *vitari potest peccatum, si natura vitiata sanetur gratia Dei per Jesum Christum.* In tantum enim sana non est, in quantum id, quod faciendum est, aut cœcitate non videt, aut infirmitate non implet. 2.) Fatemur, in delictis externis politicis libertatem quandam homini relictam esse. Si vero in genere dicatur, nullum esse peccatum nisi voluntarium, hoc est, nisi fiat deliberata voluntate, ac ab homine caveri possit, negabitur omnino peccatum originis. 3.) Homo propria culpa incidit in miseram illam peccandi servitutem, quam in posteros propagavit. Bernhardus serm. LXXXI. in Cant. *Voluntas hominis in deterius mutata sibi ipsa necessitatem fecit, ut necessitas voluntaria cum sit, excusare non valeat voluntatem.* 4.) Pelagianorum erat olim hoc axioma, nullum esse peccatum nisi voluntarium, hoc est, nisi κατὰ προαίρεσιν consulto & actione propriæ voluntatis committatur. Augustinus hæres. LXXXVIII. libr. III. contra Julian. c. 1. & 5. libr. II. de bono persever. cap. 5. & 11. libr. IV. ad Bonifac. cap. 7. libr. II. de grat. & peccat. orig. cap. 13. libr. I. retract. cap. 13. & 15. Regerit Bellarminus, *quæstionem inter Augustinum & Pelagianos hanc fuisse, an possit homo vivere sine omni peccato etiam veniali, non autem an singula peccata vitari possint?* Atqui nullum est peccatum sui natura veniale, sufficit ergo ad peccatum, corruptionem illam adhærere homini necessario, antequam renascatur, si vel maxime externa quædam delicta cavere possit. 5.) Proinde si *voluntarii* nomen accipiatur tantum pro libertate *a necessitate coactionis*, dicimus, ipsam illam naturæ corruptionem, ipsa interiora peccata, esse voluntaria, quia libere, non coacte, homo servit peccato; si vero *voluntarii* nomen accipitur pro libertate *a necessitate immutabilitatis*, negamus ad peccati rationem voluntarium pertinere: siquidem licet homo ante sui regenerationem peccati jugo necessitate immutabilitatis sit subjectus, tamen vere & proprie peccat, quia in miseram illam peccati foveam ac servitutem primus humani generis parens libere se ipsum atque omnes posteros præcipitavit. Regerit Bellarminus, *peccatum primi hominis, ex quo naturae corruptio orta est, juxta Calvini sententiam, fuisse Dei decreto & inevitabili voluntate commissum.* Resp. ecclesiæ nostræ hac in parte a Calvino sese sejungunt, & publice fatentur, Adamum sponte ac propria culpa sese miseræ isti peccandi servituti subjecisse. Regerit & hoc, *quod peccatum originis & corruptio illa naturae sit dimissa in baptismo, ut non imputetur, igitur nec poterunt imputari peccata ex illa corruptione orta, nisi accedat libera voluntas.* Resp. τὸ non imputari ad reatum damnationis non tollit ipsum formale peccati, quasi desinat esse in se & ex se peccatum, quia non imputetur, siquidem posset omnino imputari, si Deus in judicium suum nobiscum intraret. 6.) Diabolus necessario semper male agit, & tamen vere peccat, quomodo igitur omne peccatum voluntarium? Regerit Bellarminus, *in genere verum esse, quod daemones necessario male agant, nec possint nisi male agere, sed falsum id esse in particulari, omnia mala, quae faciunt, illos necessario facere, cum possint multa non facere, quae faciunt, & ideo non necessitate, sed voluntate peccata committant.* Resp. eodem modo & nos dicimus, homines non renatos non posse nisi male agere, nec tamen omnia mala, quæ faciunt, illos necessario facere, cum respectu externorum delictorum possint multa non facere, quæ faciunt;

unt; sufficit nobis, quod conceditur, dæmones non posse non male agere, & tamen vere peccare, ex quo evidenter patet, necessitatem immutabilitatis non excludere veram peccati rationem, quippe cum sit necessitas propria culpa attracta. 7.) Quamvis homo non renatus necessario peccet, atque ex se & suis viribus aliter non possit, tamen non est hæc absoluta quædam necessitas, quia potest per Dei gratiam converti, & sic bonum agere, neque enim cum Manichæis dicimus, quosdam esse ἀλύτους & χοϊκοὺς, qui non possunt converti, ordinaria Spiritus sancti dispensatione. Ac proinde magna differentia est inter peccandi servitutem, cui subjecti sunt mali angeli, atque inter illam peccandi servitutem, cui homines mancipati sunt; voluntas diaboli non est capax gratiæ ad conversionem, sed voluntas hominis per Spiritum sanctum converti potest; non diabolis, sed hominibus proposuit Deus media, per quæ in ipsorum cordibus vult esse efficax. Bellarminus hanc *passivam* capacitatem commutat in *activam*, dum insidiose scribit: *hominem peccatorem, dum in eo regnat cupiditas, non posse vitare peccatum, absolute autem posse, quia potest cum Dei adjutorio exuere cupiditatem & induere caritatem.* Sub verbo enim *adjuvandi* (a quo tamen in sano sensu accepto non abhorremus) etiam olim Pelagius venenum suum occultabat, sic enim dicit apud Augustinum libr. I. contra duas epistolas Pelagian. cap. 19. *in omni opere bono hominem semper adjuvari a gratia*, & libr. IV. cap. 6. *gratiam adjuvare bonum cujusque propositum*, cui respondet Augustinus libr. III. cap. 4. *Tempore veteris testamenti in iis, qui secundum promissionem Filii erant, Spiritum sanctum non solum adjutorem, (quod Pelagiani dogmati suo sufficere existimant) verum etiam largitorem fuisse dicimus virtutis, quod isti negant.* libr. II. c. 9. *Hominum propositum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.* in enchirid cap. XXXII. *Totum Deo detur, qui voluntatem hominis bonam præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam, præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia, quae autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa, nolentem præveuit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.* Ex quibus manifestum est, gratiam adjuvantem ab Augustino tunc primum poni, quando sine liberi arbitrii in homine nondum renato cooperatione gratia præveniens operata est velle, tunc enim adjuvat, ne frustra velimus. 8.) Peccatum a Johanne definitur, quod sit ἀνομία, 1 epist. III. 4. nulla habita voluntarii ratione. Regerit Bellarminus, *in definitione peccati virtute contineri liberum arbitrium, cum lex non detur nisi iis, qui liberum gerunt arbitrium, frustra enim datur regula ei, qui non habet in potestate actiones suas; alioquin detur caussa, cur bestiis nullae praescribantur leges?* Resp. lex data fuit homini & cordi ipsius inscripta in statu integritatis, cum adhuc integras ad perfectam obedientiam vires obtineret, quod si propria culpa viribus illis semet ipsum homo privavit, nunquid propterea de jure exigendi ac reposcendi, quod dederat, Deo quippiam decedit? minime vero. Ac si lex non pertinet ad eos, nisi qui per liberum arbitrium cavere possunt peccata, una litura delebitur peccatum originis in infantibus, ubi enim nulla lex, ibi nec ἀνομία; ubi non est ἀνομία, ibi nec peccatum.

§. LXIX. II.) *Si non est in homine libertas arbitrii, nullus erit praemio aut poenae locus, id autem communi totius humani generis sensui ac consensu refellitur.* Respond. 1.) si de præmiis ac pœnis in foro politico agitur, concedimus, hominem nondum renatum habere adhuc libertatem dirigendi actiones externas & regendi externam locomotivam, proinde rècte fit, quod bene agentibus præmia, sed male agentibus pœnæ decernuntur, quod qui negare vellet, ipsum politiarum fundamentum subverteret, siquidem præmia ac pœnæ conservant respublicas. 2.) Si agatur de præmiis ac pœnis in foro judicii divini, distincte respondendum. Præmia enim aut sunt hujus, aut futuræ vitæ, perinde ut & pœnæ. Præmiis hujus vitæ sive temporalibus remuneratur Deus externam hominum etiam non renatorum

2.) *Ubi non est arbitrii libertas, ibi nec praemio nec poenae datur locus.*

rum disciplinam, & delicta atrocia regulariter punit atrocibus pœnis, ut hac ratione conserventur politiæ, Exod. I. 21. *quia timuerunt Ægyptiacae obstetrices Deum, aedificavit illis domos:* præmiis æternis non remuneratur Deus nisi renatorum opera, idque non ex merito *condigni*, sed ex gratuita *misericordia*, nil Deus in nobis præter sua dona coronat: qua ratione pertinet quæstio ad renatos, quos esse τὰ θεῦ συνέργης in bonis operibus non diffitemur, siquidem liberata a peccati jugo voluntas novis a Spiritu sancto donatis viribus cooperatur. 3.) Pœnas temporales & æternas justissimo suo judicio irrogat Deus illis, qui corruptam ex Adamo naturam trahunt, & peccato originali obnoxii nascuntur, si vel maxime nondum habent liberi arbitrii usum, quo hæreditarium illud peccati fœnus novis actualium peccatorum debitis augeant. Regerit Bellarminus, *non esse veram culpam, quae vitari non possit, alias nullam fore inter hominem ac pecudem differentiam.* Resp. nascuntur infantes peccati originalis jugo necessario obnoxii, quod suis viribus haud quaquam vitare possunt, ergo non est hæc vere & proprie dicta culpa, injustus igitur Deus, qui veram & proprie dictam pœnam illis hoc nomine irrogat. Rom. V. 14. *regnat mors etiam in eos, qui non peccant in similitudinem praevaricationis Adae.* Porro inter hominem non renatum & pecudem hæc est differentia, quod ille voluntate præditus est, qua libere & non coacte peccato servit, licet non possit non peccare; hæc vero voluntarie non agit, licet sponte & instinctu naturali agat, quod vel ex Lombardo suo discere poterat Bellarminus, qui diserte scribit, *hominem ante reparationem gratiae non posse non peccare, & tamen libere peccare, nimirum quia voluntas ejus libera est a necessitate coactionis, non autem a peccati servitute*, lib. II. sent. dist. 25. I. regerit & hoc: *Si non est locus bono merito sine libero arbitrio, eadem ratione non erit locus malo merito, eadem enim libertas ad praemium & pœnam requiritur.* Resp. in actionibus *moraliter* bonis talis quædam libertas adhuc reliqua, quamvis voluntas hominis magis inclinet ad malum, quam ad bonum, quod ipsa illa præmia, quibus excitanda, & pœnæ, quibus refrenanda est, testatum faciunt; sed quoad interiorem corruptionem, & quoad peccata cordis interiora non est in homine eadem libertas ad bonum ac malum meritum. Proinde consecutio non valet, siquidem bonum est ex caussis omnibus integris, dicebat Dionysius, sed malum est ex una etiam caussa deficiente, inde mala hominis opera sunt perfecte mala merita, sed bona hominis opera non sunt perfecte bona merita, siquidem sunt imperfecte bona. Adde, quod nulla sint coram Deo bona opera nisi renatorum, qui non amplius sunt in statu peccati, sed in statu gratiæ: sufficit ad mala merita, Adamum primum generis nostri parentem, ex quo naturæ corruptionem trahimus, perfectam ad bonum potestatem pro se ac posteris a Deo accepisse. Quæstio illa, quam coronidis loco huic argumento adtexit Bellarminus, *de meritis bonorum operum*, suum postea habebit locum, *negat sibi suisque hominibus adversari, quod Augustinus dicit, gratiam non esse ex merito*, tollat igitur, quæ de præparatione ad gratiam & merito *congrui* disputantur a Scholasticis.

§. LXX. III.) *Si non esset libertas arbitrii, non essent alii boni, alii mali, nec alii aliis meliores, quod falsum.* Resp. 1.) ratione corruptionis originalis *simul omnes inutiles facti sunt, nec ulla est distinctio, omnes sunt peccatores.* Rom. III. 23. 2.) Ratione externorum actualium peccatorum discrimen quoddam est in non renatis, *Fabricius enim minus malus, quam Catilina, non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non multum deviando*, inquit Augustinus lib. IV. contra Julian. cap. 3. Concedimus igitur respectu illarum actionum, quæ pugnant cum externa disciplina, aliquam esse in non renatis arbitrii libertatem. 3.) Ac semen originalis labis in aliis atque aliis copiosiorem profert segetem, siquidem fovetur in quibusdam prava educatione, consortio pravorum, peccandi consuetudine, licentiæ majoris arrogatione, ad quas caussas satanæ tyrannis accedit. 4.) Licet

3.) Si non esset arbitrii libertas, non essent alii boni, alii mali.

eet homo ex se & suis viribus non possit deponere connatam malitiam, tamen per ministerium verbi & sacramentorum Spiritus sancti gratia converti possit, proinde etiam hoc sensu & respectu quidam homines boni, quidam vero mali, atque alii aliis sunt pejores. Quidam enim præter connatam pravitatem actuali pertinacia verbum Dei aspernantur, secure in peccatis contra conscientiam perseverant, & cum in profundum peccatorum devenerint, tandem omnes admonitiones contemnunt; quidam vero verbum audiunt, & gratia Spiritus sancti ex illius auditu fidem concipiunt, renovantur de die in diem, & perficiunt quotidie sanctificationem. Proinde etiamsi ante reparationem gratiæ nemo hominum coram Deo bonus sit, quidam tamen per gratiam boni fiunt, quod in obstinatis dæmonibus non contingit. 5.) Quid quod inter ipsos dæmones quidam sunt reliquis pejores & nequiores Luc. XI. 26. quos tamen arbitrii libertate ad bonum instructos esse nemo dixerit. Regerit Bellarminus, *per electionem ac reprobationem divinam, quam Calvinus adduxerat, non posse dissolvi argumentum.* Resp. si caussam bonitatis ac malitiæ in hominibus ad absolutum electionis ac reprobationis decretum Calvinus refert, suo faciat periculo, nobis cum sententia illius in hac parte nihil est commune, qui conversionis opus solius divinæ gratiæ muneri adscribimus, nec tamen absolutum electionis decretum adprobamus, contra quod recte urgetur a Bellarmino, quod quidam renati indies magis proficiant ac perseverent, quidam vero deficiant ac pereant. Sed si hoc fine id a Bellarmino adducitur, ut probet, etiam ante conversionem & in ipsa conversionis suis liberi arbitrii viribus hominem gratiæ cooperari, muratur status controversiæ, & miscentur distinctæ quæstiones; aliud enim est de statu ante reparationem, aliud est de statu post factam reparationem agere.

4. Sublata arbitrii libertate tolluntur cohortationes, objurgationes etc.

§. LXXI. IV.) *Si tollitur liberum arbitrium, tolluntur cohortationes, objurgationes, laudes, vituperationes, præcepta, consilia, monita & id genus alia, quod absurdum.* Respond. 1.) leges civiles ferendæ omnino sunt de illis tantum actionibus, quæ sunt ἐφ' ἡμῖν, atque in illis præceptionibus ethicis ac moralibus ad id valent cohortationes, objurgationes, & alia hujus generis incitamenta, ut externam disciplinam homo regat, & virtutis studium sectetur, quod in ipsius viribus esse non negamus, licet magna corruptio etiam hac in parte voluntati accesserit, quod ipsi illi cohortationum & objurgationum stimuli manifeste testatum faciunt, quibus ad bonum indigemus, ad malum contra nimis proni ac proclives. 2.) Sed lex divina, ac cohortationes, objurgationes, vituperationes, promissiones ipsi additæ non eo fine (post lapsum) nobis proponuntur, quasi nostris viribus omnia illa, quæ a nobis requiruntur, etiam quoad interiorem cordis obedientiam præstare possimus, sed ut naturæ nostræ corruptione ac virium ἀδυναμίᾳ agnita ad medicum nostrum Christum suspiremus, ut, quod ex nobis non possumus, ipsius gratia implere valeamus. 3.) Hac de re contra Pelagianos eodem argumento usos ita disputat Augustinus de grat. & liber. arbitr. cap. XVI. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non juberet Deus, quod scit, non posse ab homine fieri; quis hoc nesciat? sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* cap. XV. *Meminerimus ipsum dicere,* facite vobis cor novum & spiritum novum, *qui dicit,* dabo vobis cor novum & spiritum novum. *Quomodo ergo, quod dicit, facite vobis, hoc dicit: dabo vobis? quare jubet, si ipse daturus est? quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat, quod jubet, & adjuvat, ut faciat, cui jubet? per gratiam fit, ut homo fit bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ.* lib. II. contra duas epist. Pelag. cap. 10. *Nihil in scripturis sanctis homini a Deo video juberi propter probandum liberum arbitrium, quod non invenietur, vel dari ab ejus bonitate, vel præsci propter adjutorium gratiæ demonstrandum.* de corrept. & grat. cap. III. *O homo, in præceptione cognosce, quid debeas habere, in oratione*

ptione cognosce, tuo te vitio non habere, in oratione cognosce, unde accipias, quod vis habere. Bernhardus serm. L. in Cant. *Mandando impossibilia non praevaricatores Deus homines fecit, sed humiles, ut omne os obturetur, & reus fiat totus mundus Deo, accipientes igitur mandatum & sentientes defectum clamabimus ad cœlum, & miserabitur nostri Deus.* 4.) Dicimus igitur, legem in statu integritatis homini propositam esse, cum perfectis adhuc liberi arbitrii viribus instructus esset, sed victore peccato amissum est liberum arbitrium, proinde in statu naturæ corruptæ *ex lege est agnitio peccati*, non autem nostrarum virium. Rom. III. 20. Regerit Bellarminus: *a) Si homo non esset liberi arbitrii, ac nihilominus corriperetur, id perinde foret, ac si quis in puteum lapsus, ex quo emergere non posset, objurgaretur, quod non exiret, objurgari quidem talis posset, quod sua culpa in puteum lapsus, non autem recte objurgaretur, quod inde non emergeret.* Resp. imo vero utroque nomine objurgari posset, tum quod sua culpa in puteum inciderit, tum quod exeundi facultatem sibi ademerit, ac si persuasus esset talis, se adhuc posse ex puteo illo suis viribus emergere, recte ipsi diceretur, exi igitur a puteo, ut hac ratione ad agnitionem ἀδυναμίας perduceretur: pari ratione per lapsum protoplastorum incidimus in peccati foveam, e qua nostris viribus eluctari nequaquam possumus, cum qua ἀδυναμία nostrarum virium admiratio & persuasio conjuncta est, quod ex liberi arbitrii defensoribus adparet. Deus igitur in præceptis ostendit, quales esse, quidve habere deberemus, in correptione ostendit, nos vitio nostro non habere, ut hac ratione ad nostri agnitionem perducamur. *b) Liberum arbitrium egere quidem Dei gratia, sed eam gratiam, quae necessaria est ad faciendum, quod Deus praecipit, vel ad quod hortatur, nemini deesse*, inde Augustinum in libr. de corrept. & grat. *perpetuo haec conjungere.* Respond. ex corruptione & præceptis homini datis recte colligitur, eum adhuc esse libero arbitrio præditum, scilicet si nomine liberi arbitrii ipsa voluntas intelligatur; nisi enim posset homo per Spiritus sancti gratiam velle, nunquam talia media ipsi proponerentur. Sed vicissim ex correptione & præceptis minus recte concluditur, supersesse in homine liberum arbitrium, scilicet si nomine liberi arbitrii intelligitur talis facultas, qua homo sese suis viribus ad gratiam adplicare possit, siquidem Spiritus sanctus hoc in homine efficit, ut velit, non excitando naturales liberi arbitrii vires, (quod vult Bellarminus) sed novas ad hoc vires ipsi tribuendo. Sub finem hujus capitis Bellarminus nobis tribuit, quod statuamus *renovationem hominis fieri per solam fidem*, quod aperte falsum est, aliud siquidem est regeneratio, aliud renovatio, licet sint arctissime connexæ, regeneratio fit per fidem & quidem solam, sed renovatio complectitur omnino plura, videlicet novos illos spirituales motus in corde hominis renati per Spiritum sanctum accensos.

Testimonia scripturæ pro libero arbitrio. 1. Quæ præcipiunt aliquid fieri.

§. LXXII. Expositis hisce quatuor argumentis proponit Bellarminus sex classes scripturarum. Prima *continet ea testimonia, quæ præcipiunt aliquid homini faciendum vel non faciendum. Praeceptum est regula bene vivendi, frustra autem datur regula ei, qui non potest deficere, aut non potest non deficere, quod argumentum dicit esse* Augustini in libr. de grat. & lib. arbit. Respond. 1.) quotiescunque vel Augustinus vel alii veteres ex præceptis, legibus, consiliis &c. liberum arbitrium probant, intelligunt nomine liberi arbitrii, vel ipsam hominis voluntatem, quæ per lapsum utique non est amissa, vel facultatem libere, hoc est, absque coactione agendi, quam in ipsis etiam malis actionibus homo adhuc habet, vel libertatem quandam in actionibus moralibus & externis. Disputant enim contra Manichæos, qui absolutam necessitatem propugnabant. 2.) Si vero liberi arbitrii nomine intelligitur facultas præstandi ea omnia ex suis viribus, quæ in lege homini præcipiuntur, negamus, talem facultatem in ipso adhuc supersesse, siquidem lex non eo tantum fine post lapsum homini data est, ut externam disciplinam etiam a non renatis exigat, & in cursu bonorum operum

rena-

renatos dirigat, sed etiam ut interiora peccata & extremam naturæ nostræ corruptionem arguat, quo sensu apostolus pronunciat, ex lege peccati agnitionem esse. Regerit Bellarminus: 1.) *Legem habere etiam hunc finem, ut sit bene vivendi norma, cujus finis ratione necessario in homine exigat arbitrii libertatem.* Resp. sane præcepti etiam hic finis est, ut bene vivendi normam proponat, sed ex eo nondum inferri potest, hominem suis viribus sese omni ex parte huic normæ accommodare posse, cum ipsi etiam renati conquerantur, *legem esse spiritualem, se vero carnales ac sub peccatum venundatos* Rom. VII. 14. 2.) *Idem esse, per legem peccatum cognosci, & legem esse bene vivendi normam, cum ideo detur lex, per quam peccatum cognoscatur, & cognitum vitetur.* Respond. confunduntur hac ratione distincti usus ac fines legis divinæ, alius enim usus legis est, quem obtinet arguendo non solum peccata externa, sed etiam interiorem cordis immunditiem, qui finis legi competit tantum post lapsum, non vero in statu integritatis: alius vicissim ejus usus est, quem obtinet præscribendo bonorum operum normam, qui finis ei competit, tum in statu integritatis, tum etiam post lapsum. Falsum & illud est, quod omne illud peccatum, quod a lege arguitur, & ex lege cognoscitur, a nobis vitari possit; siquidem vitiosos interioris concupiscentiæ motus lex arguit & peccata esse ostendit, a quibus tamen ne ipsi quidem renati in hac quidem vita omnino liberari possunt, tantum abest, ut non renatis illud competat, proinde in vera cordis contritione miseriam illam nostram deploramus, ac merito Christi infirmitates illas tegi petimus, concupiscentiis per Spiritum resistimus, & ad plenam in futura vita libertatem seriis gemitibus adspiramus. 3.) *Si vel maxime solis naturæ viribus lex impleri nequeat, posito tamen auxilio gratiæ hominem vere esse liberi arbitrii, ita, ut possit legem implere vel eandem prævaricari.* Resp. illud auxilium gratiæ datur in ipsa conversione a Spiritu sancto, qui naturam nostram incipit reformare ac renovare; non autem ita auxiliatur Spiritus sanctus, ac si nos ipsi ex nobis ipsis cooperemur, sed quia dat novas vires, accendit novos motus, & ex nolentibus volentes efficit: hæc renovatio, quia non statim perfecta est, sed quotidie crescit, donec in æterna vita perficiatur, ideo etiam impletio legis perfecta in hac vita ipsis etiam renatis est ἀδύνατος, ut adparebit suo loco. In hoc capite observandum, quod auxilium gratiæ confert Bellarminus lumini ad videndum necessario, quemadmodum igitur lumine accedente potest homo videre, id est, reconditam videndi potentiam, quæ actui primo inerat, exserere; ita adparet, per adjutorium gratiæ non intelligi a Bellarmino interiorem (ut ita loquar) voluntatis immutationem, sed exteriorem tantum gratiæ assistentiam, voluntati ad exserendas naturales suas vires necessariam. Quod ergo ex præceptis legis & promissionibus ac comminationibus legi additis concluditur, homines naturalibus suis viribus illa posse facere, in eo committitur fallacia finis. Quamvis enim homines suis viribus ea non possint præstare, tamen adhuc multiplex est illarum præceptionum, promissionum ac comminationum usus tum ipsius Dei, tum etiam hominum respectu. Ratione Dei harum præceptionum usus est: 1.) ut quid ab homine jure Deus flagitet, ostendat, 2.) ut testetur se esse extra culpam, si id præstare homines nequeant, ad quod jure sunt obligati. Per debitoris paupertatem ἀνθίρετον, non tollitur jus creditoris. 3.) Ut corruptionem naturæ nostræ ob oculos nobis proponat, ex lege præcipiente & prohibente non est agnitio δυνάμεως sed ἀδυναμίας, depravationis & peccati Rom. III. 20. 4.) Ut de alieno auxilio prospiciendum esse admoneat, quia *lex est paedagogus ad Christum*, & peccatorum magnitudine nondum agnita, non potest dulcescere Christi gratia. *Homines*, quibus tales præceptiones, promissiones ac comminationes proponuntur, aut sunt pii & renati, aut impii & non renati. Ratione *piorum* est usus harum præceptionum quadruplex. 1.) Agnoscunt, in quanta perfectione homo conditus, lex enim speculum est imaginis divinæ, ad quam olim homo conditus. 2.) Paternam Dei curam pro salute hominum ex illis deprehendunt 3.) Naturæ corruptionem ardentius deplorare discunt. 4.) Quid a Deo petendum

fit, clarius agnoscunt. Ratione etiam *impiorum* usus harum præceptionum & comminationum non est nullus, quia illis tanquam fulminibus terrentur, & ad conversionem flectuntur, cum verbum admonens, corripiens, exhortans sit medium seu organum, per quod Spiritus S. vult agere: aut redduntur illis ἀναπολόγητοι. Joh. XV. 22.

2. *Quæ promittunt aliquid sub conditione.*

§. LXXIII. *Secunda* classis continet *ea scripturarum testimonia, quibus promittitur nobis aliquid a Deo sub conditione, si voluerimus:* Esa. I. si volueritis, bona terræ comederis. Amos V. Quærite bonitatem & vivetis. Matth. XIX. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Si est in potestate nostra, præstare oblatam conditionem, dabitur utique liberum arbitrium. Si non est in nobis, manifesta est irrisio.* Resp. 1.) Augustinus de grat. & lib. arbit. cap. XVI. sic respondet: *Ipse qui dixit*, si volueris, conservabis mandata, *in eodem libro ecclesiastico aliquanto post dicit*: quis dabit in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum, ne forte cadam ab eo &c. *Cum ergo verum sit, quod dixit*: Si volueris, conservabis mandata, *quare quaerit in ore suo dari custodiam? non enim sufficit mandatum Dei & voluntas sua, quandoquidem si voluerit, conservabit mandata? Si hoc ei in praesenti diceremus, rectissime nobis responderet & diceret: Ex ipsa oratione mea, qua haec a Deo peto, intelligite, quomodo dixerit*, si volueris, conservabis mandatum. *Certum est enim, nos servare mandata, si volumus, sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est*, Deus est, qui operatur in nobis velle &c. 2.) Testimonia illa, in quibus sub conditione quippiam a Deo nobis promittitur, non sunt unius generis; quædam enim loquuntur de promissionibus hujus vitæ, quod externam disciplinam etiam non renatis præmiis temporalibus Deus remunerari velit; quædam vero loquuntur de promissionibus æternæ vitæ; atque illæ promissiones vel sunt legales vel evangelicæ. *Legales* exigunt non qualemcunque externam, sed numeris omnibus absolutam obedientiam, quæ cum non sit in viribus nostris, ideo promissiones legis nobis sunt inutiles, ac proinde quærendus est mediator Christus in evangelio, in Christo omnes Dei promissiones sunt ναὶ καὶ ἀμήν, siquidem evangelicæ promissiones sunt gratuitæ. 3.) Ergo non illudit Deus misericriæ nostræ, nec irridet nos legalibus suis promissis, sed legem suam vult nobis esse pædagogum ad Christum. Gal. III. 24. Siquidem ad cognitionem infirmitatis nostræ nos deducere satagit, ut viribus nostris diffisi in solo mediatore Christo omne perfugium habeamus constitutum, *quod enim impossibile erat legi, quia per carnem infirmabatur, id praestitit Deus missò Filio suo*, Rom. VIII. 3. *qui est finis legis ad justitiam omni credenti*, Rom. X. 4. Raræ igitur ac firmæ sunt promissiones legis ex parte Dei, neque ulla eis inest ironia, sed irritæ redduntur ac inutiles nostra culpa. Regerit Bellarminus: 1.) *Impii aut possunt ex hoc testamento divino proficere, cogitando vero suam indignitatem, & inde timorem ac dolorem concipiendo, seque coram Deo humiliando, vel non possunt; si possunt, habent liberum arbitrium; si non possunt, frustra adhiberetur hoc remedium.* Resp. quamvis ex se & suis viribus impii non possint semet ipsos convertere, tamen voluntas ipsorum per Spiritum sanctum mediantibus his promissionibus & comminationibus converti potest, sunt enim efficax medium atque organon, per quod Spiritus sanctus ipsorum corda immutat, cum verbo siquidem Spiritus sanctus efficaciam suam conjunctam esse vult. Quando igitur ex auditu talium promissionum timorem Dei, fidem & propriæ indignitatis agnitionem impii concipiunt, id non est tribuendum liberii arbitrii viribus, sed operationi divinæ gratiæ, quæ non solum verbum proponit exterius, sed etiam interius efficaciter operatur. 2.) *Si vel maxime impii non possunt conditionem implere, tamen pii poterunt.* Respond. vere pii sunt etiam regenerati, jam vero cum ipsa regeneratione conjuncta est renovatio, per quam conferuntur homini novæ vires ad bene operandum, nostra autem quæstio est, non

quid

quid possit homo novis illis viribus, sed quid naturalibus suis viribus vel ante conversionem vel in conversione possit. Præterea conditio de perfecta legis impletione homini etiam pio est ἀδύνατος, quippe qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus, & in quantum nondum renovatus, in tantum adhuc sub vetustate est. Augustinus lib. II. de pecc. merit. & remiss. cap. 7. Ubi vero nondum plena ac perfecta renovatio, ibi etiam nondum potest esse perfecta legis impletio.

3. *Quæ docent, per hominem steriſſe, quo minus peccata vitaret.*

§. LXXIV. *Tertia* classis continet ea testimonia, *quae docent, per hominem stetisse, quo minus bene ageret, & peccata vitaret.* Num. XIV. *Gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino.* Deut. XXX. *Mandatum, quod praecipio tibi, non est supra te.* Esa. V. *Quid potui facere vineae meae & non feci?* Jer. VII. *Haec gens non audivit vocem Domini sui, ideo projecta est a Domino.* cap. XXXII. *Quia induraſtis cor vestrum, & noluiſtis obedire Domino, haec omnia mala evenerunt vobis.* Matth. XXIII. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti.* Act. VII. *Vos semper resistitis Spiritui sancto. Si potest is, qui peccat, non peccare, habebit liberum arbitrium. Si non potest non peccare, frustra Deus de homine queritur.* Resp. 1.) dicta hæc itidem non sunt unius generis, quædam enim loquuntur de externa disciplina & actionibus moralibus, in quibus concedimus quandam homini libertatem. 2.) Quædam vero loquuntur de ipso conversionis opere: in talibus dictis nequaquam ita potest concludi: homo potest Spiritui sancto resistere, opus conversionis impedire, ergo etiam ex se potest Deo adsentiri, gratiæ divinæ cooperari; hæc illatio non valet propter evidentem disparitatem rationis, siquidem ad malum plusquam proni ac proclives sumus, scriptura & experientia teste, sed non possumus aliquid boni cogitare ex nobis tanquam ex nobis. Ambrosius libr. II. de vocat. gent. cap. 9. *Licet insit homini nolle bonum, tamen nisi donatum non habet velle bonum, illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.* Augustinus in soliloq. cap. XV. *Quod cecidi, fuit ex me, quod surrexi, fuit ex te.* Alcuinus in IV. Psalm. pœnit. *Sordidare me potui, sed emundare nequeo, nisi tu, Domine Iesu, sancti sanguinis tui adspersione mundum me facias.* Ergo propter naturæ corruptionem potest homo Spiritui sancto conversionem operanti resistere, potest verbum Dei repellere, se ipsum vita æterna indignum judicare, sed non potest vel prævenire suis conatibus gratiam, vel oblatam suis viribus acceptare. 3.) Quare ex dictis illis, in quibus homini tribuitur culpa, quod per ipsum steterit, quo minus conversus & salvatus fuerit, non debet inferri, quod Spiritui sancto in conversione potuerit vel possit cooperari suis viribus, sed hoc tantum sequitur, quod naturam peccato corruptam ex primis parentibus trahendo, ac media conversionis respuendo, se ipsum homo conversionis & salutis gratia indignum reddat. Merito igitur accusat Deus tum ἀδυναμίαν illam primorum parentum peccato attractam, tum actualem hominum pertinaciam, qua oblata conversionis ac salutis media repudiant. Regerit Bellarminus 1.) *Malitiam illam ex primo parentum peccato contractam non esse culpam, sed pœnam.* Resp. hac ratione negatur in universum peccatum originis. Ostendimus suo loco, concupiscentiam pravam (per quam apostolus definit originale peccatum) esse & pœnam & culpam, plane igitur Pelagianum est, quod hoc loco Bellarminus scribit: *Sicut homini* (inquit) *a nativitate cæco non recte quis vitio vertet, si inter ambulandum impingeret, etiamsi cæcitas illa ex peccato originali descendat: sic etiam non recte peccatores reprehenderentur, cum praecepta divina transgrediuntur, si absque libera consensione ex sola naturae corruptione, quae ex peccato primi hominis in nobis haeret, praecepta Domini violarent.* Invertimus autem simile istud hoc modo: quemadmodum in eo, qui vel scortationibus, vel ebrietate, vel aliis peccatis cæcitatem sibi attraxit, cæcitas & culpa est & pœna: ita misera illa peccati servitus per originale peccatum propria Adæ culpa attracta & pœna est & culpa. Augustinus lib. V. contra Julian. cap. 3. *Cæcitas cordis & peccatum est, qua in Deum*

non creditur, & poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum aliquid cæci cordis errore committitur. 2.) *Possunt homines peccatores audita ista objurgatione taedio peccatorum adfici & in viam redire, utique ergo habent liberum arbitrium.* Respond. illæ ipsæ objurgationes sunt veluti malleus legis, quo Spiritus sanctus hominum corda conterit, ac conversionem in eis operari incipit, hoc ergo tantum sequitur, quod sit in hominibus voluntas, quæ per Spiritum sanctum talibus mediis possit immutari, non autem quod ipsa voluntas suis viribus salutariter istis mediis uti, ac Spiritui sancto cooperari possit. 3.) *Locus* Deut. XXX. *loquitur non de facilitate cognitionis, sed observationis.* Resp. hac de re dicetur suo loco in quæstione de legis impletione.

4. Quæ docent, Deum explorare vires hominis.

§. LXXV. *Quarta* classis scripturarum continet ea testimonia, *quae docent, Deum quasi recedere & explorare, quid homines faciant, & quorsum studia sua convertant.* Deut. VIII. Adduxit te Deus per desertum, ut tentaret te & nota fierent, quæ in animo tuo versantur, utrum custodires mandata illius an non. Deut. XIII. Tentat vos Deus, ut videat, an diligatis eum toto corde. *At frustra exploraret Deus; quid homines facere velint, nisi possent rem eandem facere & non facere.* Resp. dicta illa, & quæ sunt illius generis, plura loquuntur vel de renatis vel de non renatis. Si prius; sunt a quæstione aliena, neque enim quærimus, an per Spiritum S. renati possint Deum diligere toto corde, & mandata ejus custodire, sed de non renatis, quid illi naturalibus liberi arbitrii viribus possint. Si posterius; per hanc tentationem & explorationem non manifestatur quædam δύναμις, sed extrema potius naturalium virium ἀδυναμία, quid enim poterunt non renati suis viribus, cum ipsi etiam renati carnis vetustati adhuc obnoxii turpiter corruant & collabantur, si vel paululum gratiam suam Deus subtrahat. Bernhardus serm. XXXII. in Cant. *Quis credat parieti, si se dicat parturire radium, quem susscipit per fenestram?* Thomas p. II. q. 4. art. 4. *fidem facit gratia non solum, quando fides de novo incipit esse, sed etiam, quamdiu fides durat. Deus semper operatur justificationem hominum, sicut sol semper operatur illuminationem aëris.* 2.) Per explorationem illam in quibusdam locis non intelligitur gratiæ desertio, quasi hominem Deus sua gratia deserat, vel eam homini deneget, ut adpareat, quid suis viribus possit, sed variarum calamitatum immissio, qua permittit Deus homines adfligi, ut ad Christum compellantur, quemadmodum enim *lex est paedagogus ad Christum*, Gal. III. 24. ita mala illa, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt. Regerit Bellarminus: 1.) *Hac ratione nihilominus stabiliri liberum arbitrium. Si enim possunt homines adflicti quaerere Deum, quod ante non faciebant, certe habent liberum voluntatis arbitrium.* Resp. voluntatem habent, quæ per Spiritum S. liberata ac renovata, non autem naturalibus suis viribus bonum potest velle. Adflictiones & calamitates sunt veluti reales conciones legis, ergo sunt medium, per quod Spiritus S. vult opus conversionis inchoare, nec probant, quod homo conversioni suæ ex se cooperari possit, sed quod Spiritus S. non absque mediis eam operari velit. 2.) *Si cum auxilio gratiae potest homo Deum quaerere & non quaerere, poterit gratiae cooperari & non cooperari.* Resp. per auxilium illud gratiæ intelligit Bellarminus suasionem, excitationem, hortationem, &c. qua Spiritus S. innatas liberi arbitrii vires erigat, & in actum deducat, cum per illud auxilium intelligenda sit regeneratio & renovatio, qua novæ vires homini dantur, quibus eum jam renatum ac renovatum gratiæ divinæ cooperari vel non cooperari posse concedimus.

5. Quæ docent, hominem posse adpetitui suo dominari.

§. LXXVI. *Quinta* classis habet duo quædam testimonia scripturæ: Gen. IV. *sub te sit adpetitus tuus, & tu dominaberis illi.* Eccl. XV. *Deus initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata & praecepta. Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Ad-

Adposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit, datur illi. Ad *prius* resp. 1.) Chrysostomus hom. XVIII. in Gen. textum accipit non de peccato, sed de Abele, ut sit sensus, ad te erit conversio ejus (fratris Abelis) Quare fratri irasceris, cum ille te diligat, & in posterum tanquam fratrem primogenitum sit veriturus, cui interpretationi favere videtur non solum versio LXX. interpretum πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ, sed etiam textus hebræus, qui habet adfixum generis masculini תְּשׁוּקָתוֹ. Sed enim huic Chrysostomi explicationi non adeo insistimus, quia תְּשׁוּקָה masculinum est, ut patet Jer. V. 25. Psalm. CIII. 10. Eccles. X. 4. Proinde adfixum masculinum adprime potest ad peccatum referri, & referendum eo esse docent circumstantiæ, unde Ambrosius lib. II. de Cain. cap. 7. & Augustinus lib. XIX. de civit. Dei cap. 7. hanc Chrysostomi explicationem repudiant. 2.) Quidam respondent, in Hebræo non haberi, *sub te est adpetitus peccati*, sed poni sententiam absque expresso verbo, intelligendum autem esse non verbum præsens, sed futurum, ut docet membrum posterius, ut plena sit sententia: *Sub te erit adpetitus peccati, & tu dominaberis illi.* Jam vero Hebræi utuntur futuris pro imperativis, ut notum, at superius ostendimus, ex præceptis non posse colligi, quod omnia illa, quæ præcipiuntur, nostris viribus præstare possimus. 3.) Sed concedamus, tale quid Caino hic præcipi, quod præstare poterat, nihil hoc sententiæ nostræ derogabit; Dominus Cainum dehortatur a scelere fratricidii, jam vero concedimus factum externum ab hominibus reprimi, & locomotivam externam utcunque regi posse. Vox תְּשׁוּקָה ab excurrendo & defluendo descendit, & significat vehementem adfectum, qui instar ferventis aquæ ebullit, hunc igitur reprimi, huic vim adhiberi Deus jubet, ne in externum factum erumpat. 4.) Si ad internam obedientiam & ipsius adfectus interiorem repressionem hæc verba referantur, dicimus, ex præcepto non posse colligi, quod suis viribus, id quod præcipitur, homo non renatus præstare possit. Cohortatus fuerat Deus Cainum in præcedentibus verbis ad seriam pœnitentiam, huic Dei mandato si locum dedisset Cainus, potuisset sane auxilio Spiritus S. adfectibus carnis resistere, licet viribus naturæ non potuisset. Ambrosius lib. II. de vocat. gent cap. 13. *Ad te tua culpa revocetur, noli peccato regnum in te dare, sed tu potius in ipsum sume dominatum.* Augustinus lib. XV. de civit. Dei cap. 7. *Potest quidem ita intelligi, ad ipsum hominem conversionem debere esse peccati, ut nulli alii quam sibi sciat tribuere debere, quod peccat. Haec est enim salubris pœnitentiae medicina & veniae petitio non incongrua, ut ubi ait, ad te enim conversio ejus, non subaudiatur: erit, sed sit, praecipientis videlicet non praedicentis modo. Tunc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi non defendendo praeposuerit, sed pœnitendo subjecerit, alioquin & illi serviet dominanti, si patrocinium adhibuerit accidenti, &c. Quiesce, id est, manus a scelere contine, non regnet peccatum in tuo mortali corpore, ad te enim conversio ejus, dum non adjuvatur relaxando, sed quiescendo frenatur, & tu dominaberis illi, ut cum forinsecus non permittitur operari, sub potestate mentis regentis & benevolentis, adsuescat etiam intrinsecus non moveri.* Lutherus in Gen. cap. IV. p. 61. *Adpetitus ad te, id est, sicut Paulus dicit,* peccatum est in membris tuis. *Item,* caro concupiscit adversus spiritum, *sed ideo, quia hunc peccati motum sentis; non damnaberis, si te solicitat peccatum, dominare ei per fidem, nec sine, ut tibi dominetur.* Ex quibus omnibus patet, quid respondendum sit Bellarmino, qui hoc potissimum in isto dicto urget, quod Deus nec promittat, nec jubeat, sed significet peccatum esse in potestate peccantis, item neminem jubere impossibilia, nisi sit insanus aut furiosus.

§. LXXVII. Ad *posterius* eccle- *Eccles. XV. Ante hominem bonum & malum.*
siastici dictum respondemus: 1.) liber est extra canonem. 2.) Loquitur Syracides de statu hominis ante lapsum, qualis scilicet a Deo creatus, perfectis ad bonum viribus

ribus instructus, ex eo autem non potest colligi, quod talis adhuc hodie sit ipsius status, fecit quidem Deus hominem rectum, sed ipse se miscuit infinitis quæstionibus, Eccles. VII. 30. ubi idem est vocabulum יער, quod Gen. VI. 5. & VIII. 12. de corruptione humanæ naturæ per peccatum introducta usurpatur. Quemadmodum igitur ex eo, quod *homo* dicitur primum *creatus ad imaginem Dei*, Gen. I. 27. non potest colligi, quod adhuc sit particeps istius imaginis, siquidem *Adam genuit filium ad suam imaginem*, peccato misere corruptam ac defœdatam; Gen. V. 3. quemadmodum etiam ex eo, quod dicitur *Deum creasse omnia valde bona*, Gen. I. 31. non potest colligi, quod homo adhuc sit valde bonus in substantia & accidentibus, quia post lapsum *vidit Deus, quod multa malitia super terram*: Gen. VI. 5. ita ex eo, quod homo quoad bonum & malum in manu consilii sui relictus dicitur, non potest colligi, quod adhuc perfectis illis ad bonum viribus sit instructus, siquidem peccatum faciens peccati servus factus, adeo, *ut non simus idonei cogitare aliquid boni ex nobis tanquam ex nobis*, 2. Cor. III. 5. 3.) Hinc Augustinus lib. III. hypognost. *Quid est, reliquit illum* (Adamum) *in manu consilii sui, nisi dimisit eum in potestate liberi arbitrii sui, in manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia, quæ primus homo stare potuisset, si servare mandata Dei voluisset. Hac ergo per inobedientiam desolatus homo judicio justo factus est serpenti, id est, diabolo, cui maluit obedire, quam Deo, captivus: & ideo scriptum est, a quo enim quis superatus est, huic & servus additus est.* Regerit Bellarminus 1.) Augustinus de grat. & lib. arbit. cap. 2. *hunc ipsum locum adfert ad probandum liberum arbitrium.* Resp. per liberum arbitrium intelligit Augustinus ipsam hominis voluntatem, quæ a coactione est libera, licet a peccati servitute non sit libera. 2.) *Locus ecclesiastici ostendit in homine etiam post lapsum superesse liberum arbitrium, dixerat enim paulo ante*: ne dicas, Deus me implanavit, *id est, ne referas causam sceleris in Deum, & continuo addit*, quoniam Deus reliquit hominem in manu consilii sui', *quæ ratio nihil efficeret, nisi significare vellet ecclesiasticus, liberum arbitrium initio datum primo homini, nunc etiam in posteris permanere.* Resp. in externis quidem sceleribus cohibendis homo adhuc libertatem quandam habet, sed pravitatem naturæ nobiscum nascentem suis viribus deponere & peccati servitute exire nequit: nihilo tamen minus recte ad ipsum dicitur, quod causam peccati non debeat referre Deum, qui perfectis ad bonum viribus primitus eum instruxit, ac misera illa peccandi servitus, cui post lapsum subjecti sumus, non est referenda ad decretum quoddam Dei sanguinarium, quo impulsus fuerit Adamus ad lapsum, & posteri ejus in peccati foveam præcipitati, sed propriæ Adami culpæ accepta ferenda, siquidem ipse rectus & perfectus a Deo creatus propria voluntate ab ipso defecit. 3.) *Verbis illis adloquitur ecclesiasticus homines, qui nunc sunt.* Resp. homines non renati habent quandam libertatem in actionibus externis moraliter bonis, renati adhuc longe majorem, utrisque igitur prosunt tales admonitiones. Augustinus de grat. & lib. arbitr. c. XVI. *Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona: aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala, aut a peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, & per hanc fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cæpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet, quod scriptum est.* Eccl. XV. Si volueris, conservabis mandata, *ut homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum se plene velle, cognoscat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata &c.* Eccl. XVI. *Ipse qui dixit*, si volueris, conservabis mandata, *in eodem libro ecclesiastico aliquanto post dicit*: Quis dabit in ore meo custodiam &c. *ex ista oratione intellige, quomodo dixerit*: si volueris, conservabis mandata, *certum est enim, nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit,*

ut

ut velimus, de quo dictum est, praeparatur voluntas a Domino &c. 4.) *Nisi concedatur homini liberum arbitrium, non potest coërceri carnis malignitas, ne culpae causam in Deum transferat.* Resp. minime vero, nascuntur homines sub peccati jugo, quod primi parentis voluntate & diaboli fraude in mundum introductum ad omnes pertranſit. Augustinus lib. III. hypogn. cap. I. *De natura vitiata, id est, de protoplastis hominibus, quorum sumus & ipsi natura, in quibus est vitiata libertas, homo voluntatis sanae perfecto videlicet libertatis arbitrio, quo sibi sufficiat, non potest exoriri.* Praeterea paravit Deus huic morbo naturae nostrae remedium in ministerio verbi, quod quia multi contemnunt ac rejiciunt, non Deum, perfectae naturae creatorem, perditae vero medicum ac instauratorem, sed se ipsos potius accusent.

6. Deut. XXX. Proposui tibi bonum & malum.

§. LXXVIII. *Sexta* classis alia quaedam scripturae dicta proponit. I.) Deut. XXX. 19. *Considera, quod hodie in conspectu tuo proposuerim vitam & bonum, & e contrario mortem & malum.* Et postea: *Testes invoco caelum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, elige ergo vitam. Ubi Moses non loquitur de statu innocentiae, sed ad Hebraeos, qui tunc erant cum ipso, quibus liberam reliquit boni vel mali electionem.* Resp. protestatur Moses maxima cum solennitate, quod in docendis illis, quae ad temporalem & aeternam Israëlitarum salutem pertinent, nihil quicquam dissimulaverit, sed quod ostenderit viam observationis mandatorum Dei, quae ducit ad vitam, & graviter monuerit, ut caveant viam transgressionis mandatorum Dei, quae ducit ad mortem. Ex eo autem non potest nec debet colligi, quod homo possit totam legem implere, multo minus, quod suis liberi arbitrii viribus illud possit, *mandatum* enim, *quod datum nobis ad vitam*, id propter corruptionem naturae nostrae *invenitur cedere ad mortem*, Rom. VII. 10. *Quod legi erat impossibile, quia per carnem infirmabatur, id praestitit Deus misso Filio suo.* Rom. VIII. 3. Proinde in observatione mandatorum non amplius nobis spes vitae, sed in Christo, *qui est finis legis ad justitiam omni credenti*, Rom. X. 4. Ideo, juxta interpretationem apostolicam in illo ipso X. capite, Moses & legalem operum & evangelicam fidei justitiam hoc loco describit: siquidem non solum legem, sed etiam vaticinia de Christo tum in claris promissionibus, tum in sacrificiorum typis Moses suis Israëlitis proposuit, in hac sua doctrina vitam ipsis propositam dicit, nimirum hoc ordine & modo. Ex legis doctrina est peccati agnitio, ideo lex pædagogus ad Christum, in quem qui credit, regeneratur & justificatur, (quam regenerationem & justificationem Moses nominat benedictionem) cum hac regeneratione conjuncta est renovatio, per quam *circumciditur cor nostrum*, ut loquitur Moses, v. 6. ut legi divinae obedientiam praestare possimus; sed quia primitias tantum spiritus accipimus, nec in hac vita omnibus numeris perfecta est renovatio, ideo impletio non est perfecta, ac proinde ne ipsis quidem renatis ex lege justitia & salus est speranda, tantum abest, ut non renatis ea competat. II.) Jos. XXIV. 15. *Optio vobis datur, cui servire potissimum debeatis; ubi populo relinquitur liberum, velitne Deo vero cultum adhibere, an idolis, id est, bene agere vel peccare.* Resp. cultus Dei est vel *interior* vel *exterior*, interiorem & verum Dei cultum suis viribus nec praestare nec inchoare possunt non renati, exteriorem vero quodammodo praestare possunt illi, quibus in verbo voluntas Dei patefacta. Agit hoc loco Josua cum Israëlitis jam conversis & per circumcisionem in fœdus Dei receptis, nec ideo dat optionem, quasi penes ipsos sit eligendi libertas, sed ut publicam veri Dei confessionem & obligationem voluntariam ad ipsius cultum ab ipsis eliciat, atque ut hac ratione pii confirmentur in sua religione, hypocritae vero reddantur inexcusabiles, si vel in hypocrisi perseverent, vel palam ab hac religione postea deficiant. III.) Eccl. XXXI. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona ejus; ubi vir bonus ideo dicitur laude & praemio dignus, quia potuit malum*

Eccles. XXXI. Qui potuit transgredi & non est transgressus.

tum facere, & non fecit. Resp. non agitur hoc loco de salutari ad Deum conversione, vel de facultate adplicandi se ad bonum & malum; sed de externo divitiarum usu, quæ multis sunt instrumenta ac nervi ad peccandum, quibus etiam non renatos honeste ac recte uti posse, testantur saniorum ethnicorum dicta & exempla, sed ex eo vires liberi arbitrii in spiritualibus non possunt probari. IV.) 1 Cor. VII. 37. *Qui statuit in corde suo firmus, servare virginem suam, bene facit.* Resp. Cœlestius etiam hoc argumento utebatur, sed respondet Augustinus in lib. de perfect. instit. *quasi pro magno habendum sit velle nubere, ubi de adjutorio divinae misericordiae disputatur.* Virginem elocare vel non elocare pertinet ad externas actiones, in quibus liberum arbitrium adhuc vires quasdam habet. V.) 2. Cor. IX. *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate, ubi προαίρεσις homini tribuitur.* Resp. ecquis vero in externis actionibus, qualis est eleemosynarum largitio, voluntatis προαίρεσιν homini adimit? adde, quod de renatis apostolus hoc loco agat.

1. Cor. VII. Qui statuit in corde suo servare virginem.

2. Cor. IX. Prout quisque destinavit in corde.

§. LXXIX. Dicta patrum quod attinet, ea sigillatim excutere nostri non est instituti. In genere respondemus: 1.) ante exortum certamen Pelagianum liberius sunt locuti; res enim fuit ipsis cum Marcionitis & Manichæis, qui finxerunt, peccatum esse malam aliquam substantiam ita creatam a malo principio, atque adeo peccatum non introiisse in mundum per liberum primi parentis arbitrium, neque in malis actionibus esse liberum arbitrium. Augustinus lib. I. contra Julian. cap. 21. 2.) Nomine liberi arbitrii sæpius ipsam voluntatem hominis intelligunt, ut hominem esse liberi arbitrii nihil aliud ipsis sit, quam facultate intelligendi ac volendi instructum esse. 3.) Nomine *libertatis* ut plurimum intelligunt interiorem illam libertatem *a necessitate coactionis* liberam, quod voluntas hominis sponte & libere a nullo coacta agit, quicquid agit. 4.) In quibusdam dictis loquuntur de libertate in actionibus externis, quod homo nondum renatus externam disciplinam quodammodo præstare potest, & a gravioribus delictis externa membra cohibere, quo respectu liberum arbitrium vocant vitiatum, inclinatum, vulneratum &c. 5.) Aliquando liberi arbitrii nomine id intelligunt, quod mens & voluntas ordinaria Dei dispensatione converti possunt, quæ capacitas conversionis non est in brutis vel etiam dæmonibus. Augustinus epist. CVII. ad Vitalem. *Si vere volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, unde fit liberum.* Lutherus tom. I. oper. lat. fol. 236. *Quando patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus praedicant, quod scilicet verti possit ad Deum per gratiam, & fieri revera liberum, ad quod est creatum.* 6.) Quando respiciunt ad corruptionem naturæ per peccatum introductam, qua voluntas hominis peccato servit, & ex se non potest non servire, diserte dicunt, liberum arbitrium esse amissum, exstinctum, perditum, servum redditum &c. voluntatem vocant damnabilem ancillam, captivitatem, contumaciam, non libertatem. 7.) Quia mundus doctrina illa de ἀδυναμίᾳ virium humanarum in spiritualibus flagitiose abutitur ad alendam ignaviam, securitatem & contumaciam, ideo veteres gloriosius aliquando, præsertim in homiliis ad populum, de viribus humanis loquuntur, quod Hieronymus de se ipso fatetur. Bellarminus lib. VI. de grat. & lib. arb. cap. 6. *Chrysostomus non ita aperte gratiam praevenientem praedicat, quia eo tempore nondum exorti erant, qui eam negarent, & ideo nobis tribuit ea, quae nos cum Deo facimus: nonnunquam dicit, non praeveniri nos per modum determinantis ad unum & necessitatem adferentis, ita, ut tollatur arbitrii libertas, id quod saepe ac libenter Chrysostomus repetit tum propter Manichaeos, qui negabant liberum arbitrium, tum etiam ad negligentiam & desidiam hominum discutiendam, ne ita se putarent a Deo praeveniendos esse, ut nihil sibi relinqueretur agendum.* 8.) Nec liberius solum, sed & incommodius aliquando loquuntur, quod in aliis scriptis postea corrigunt, id quod ab ipsis pontificiis scriptoribus agnoscitur. Franc. Toletus in comm. Johan. VI. *in hoc Chrysostomus, Cyrillus,*

Dicta patrum.

lus, aliique doctores graeci non probantur. Maldonatus in comm. Johan. VI. *Etiam Theophylactus, Euthymius, Arnobius ita loquuntur, ac si homo antequam per gratiam ad gratiam trahatur, possit gratiam mereri, sed haec eorum doctrina nimis adfinis est haeresi Pelagianorum.* Sixtus Senensis lib. V. in praefat. *Chrysostomus impetu dicendi cum Manichaeis, qui fati necessitatem defendebant, naturae vires plus aequo attollit.* Pererius com. in IX. Rom. n. 33. *Doctrina Theodoreti, Oecumenii & Hieronymi contraria videtur iis, quae in hoc loco disputat apostolus; sententia Augustini est doctrinae Pauli convenientior. Inde Augustinus suas ipsius sententias incommodius dictas retractavit, & in illis aliorum dicta minus recte prolata tacite notavit.* Lib. I. retract. c. 9. *In voluntate nostra constitutum est, ut vel fruamur vel careamus vero bono. Quisquis recte vult vivere, tantam rem tanta facilitate adsequetur, ut nihil aliud ei quam ipsum velle, sit habere, quod voluit.* Respondet: *Egimus contra Manichaeos, voluntatem esse, qua & peccatur & recte vivitur, sed nisi gratia liberetur a servitute, recte vivi non potest.* Lib. I. retract. cap. 15. *Spiritualia diligere, & justitia jubemur, & natura possumus.* Respondet: *gratia hoc agit, ut natura sanata possit, quod vitiata non potest, per eum, qui venit quaerere, & salvare, quod perierat.* Ibid. cap. 22. *Mutare voluntatem in melius, in nostra positum est potestate.* Respondet: *est in potestate hominis, sed ea nulla est, nisi a Deo detur.* Ibid. cap. 26. *Deus non miseretur, nisi nostra voluntas praecesserit.* Respondet: *hoc dictum est post poenitentiam, est enim etiam misericordia praeveniens voluntatem, quae si non esset, non praepararetur voluntas a Domino.* Hujus generis plura exstant in libris contra Julianum, contra Coelestium, de natura & grat. &c. Julianus allegarat Basilii sententiam: *Peccatum non est substantia, sed accidens, ergo facillime potest a voluntate separari.* Augustinus respondet: *facile est, non humanae voluntati, sed divinae misericordiae, id contra Manichaeos sufficit, qui putant impossibile esse.* Hieronymus dixerat: *Deus dedit homini liberum arbitrium, dedit mentis propriae libertatem, ut viveret unusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum, &c.* Augustinus respondet, *Hieronymum loqui de libertate ante lapsum, in qua creatus erat Adam. Veteres ex lege naturae salvatos esse, Clemens Alexandrinus, Epiphanius & alii scribunt, id diserte tanquam Pelagianum Augustinus rejicit.*

SECTIO VI.

EXAMEN LIBRI VI. BELLARMINI DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII IN SPIRITUALIBUS.

§. LXXX.

De ἀδυναμίᾳ virium in spiritualibus.

Lib. VI. de grat. & lib. arbit. cap. 2. disputat Bellarminus, *non posse hominem sine speciali illustratione Dei credere mysteria fidei.* cap. 4. *Non posse voluntatem humanam aliquid velle in iis, quae ad pietatem & salutem pertinent sine auxilio gratiae Dei.* cap. 5. *Non posse hominem solis naturae viribus ad gratiam recipiendam ullo modo se praeparare, ne quidem ex congruo.* cap. 7. *Non posse sine auxilio gratiae Deum diligi.* In quibus omnibus, quoad rei summam, habet nos sibi Bellarminus ὁμοψήφους, (quamvis in ipsa ἐργασίᾳ occurrant quaedam, quae haudquaquam a nobis adprobantur) sed discedit a Scholasticis & aliis scriptoribus pontificiis, qui manifestius in hisce quaestionibus πελαγιανίζουσι, interim tamen de efficacia gratiae ipse adhuc tenuius sentit & loquitur, quam par erat, ut patebit ex sequentibus. Porro ut propositae quaestiones rectius intelligantur, observandae sunt hae distinctiones: 1.) Quaedam capita fidei christianae sunt quodammodo natura nota, utpote Deum esse, eundem esse unum, vindicem scelerum, &c. in *theoreticis:* externa delicta esse cavenda, civilem justitiam praestandam esse, &c. in *practicis:* quaedam vero sunt mysteria divinitus in verbo

patefacta, utpote tres esse Trinitatis personas, Christum esse Dei Filium, gratiam Dei & justitiam propter Christum nobis contingere, &c. ad illa naturali rationis lumine quodammodo potest perveniri, unde notitia Dei naturalis ortum habet, quæ tamen est imperfecta, languida & corrupta, ad hæc vero ratio nostra prorsus cœca est & obtenebrata. 2.) Alia est notitia *literæ*, alia *spiritus*. Hypocritæ renatis in ecclesia admixti intelligunt articulum de Trinitate, de incarnatione verbi, &c. Sed illa notitia sic comparata est, ut litera potius constet, quam spiritu, hoc est, abest ab hac notitia salutaris adsensus & fiducia, cum non sit gratiose obsignata per Spiritum sanctum, neque adjunctam habeat veram cordis fiduciam. 3.) Quoddam velle hominis est *paedagogicum*, quod respicit externum verbi auditum & pædagogiam externam, quod præstare homini etiam nondum renato adhuc relictum, aliud vero est *internum velle* & adsensus interior, quo promissiones evangelicæ & in illis Dei gratia acceptatur.

An liberum arbitrium recte dicatur se habere passive in conversione?

§. LXXXI. Cap. IX. & seqq. agit Bellarminus de libertate arbitrii in iis, quæ pertinent ad salutem, ac nostram sibi proponit refutare sententiam. I.) Nominat *crassum errorem, quod Lutherus dixerat, liberum arbitrium non habere activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur, hoc est, liberum arbitrium habere se in conversione passive.* Resp. Lutherus non docuit, sine cogitatione mentis & adsensu voluntatis fieri conversionem, sed negavit, ad illos actus naturalibus suis viribus voluntatem active concurrere, hoc est, negavit, in mente ac voluntate superesse δύναμιν ἐνεργητικὴν, quam per gratiam excitata proferat, & hac ratione Spiritui sancto cooperetur, neque ulterius extendenda similitudo, quam adhibet de luto in manu figuli. Idem dixit Lutherus, quod olim Augustinus de grat. & libero arbitrio cap. XVI. *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus, de quo dictum*, Deus est, qui operatur velle. Unde primam illam gratiam non vocat cooperantem, sed operantem. II.) Accusat *Chemnitium, quod mala fide Pelagianum istum errorem Pontificiis tribuat, quasi negent, voluntatem nostram nihil omnino boni spiritualis & salutaris efficere posse sine auxilio gratiae Dei.* Resp. notæ sunt Scholasticorum disputationes de merito *congrui*, de præparatione ad gratiam, de possibilitate Deum diligendi super omnia ex puris naturalibus, &c. Insidiosas æquivocationes decretorum concilii satis dilucide expositit Chemnitius, cui respondere debebat Bellarminus, qui itidem sub æquivocationis latibulum se abscondidit, dum per auxilium gratiæ intelligit non talem voluntatis immutationem ac renovationem, qua novæ ad volendum & consentiendum vires homini tribuuntur, sed pristinæ ac sopitæ excitantur. III.) Tribuit nobis hanc sententiam, quod *voluntas nostra in bonis pietatis operibus sic agatur a Deo, ut non possit non agere, & quamvis ipsa quoque concurrat active, quoniam ipsa est, quae actionem producit, tamen concurrere, ut merum instrumentum Dei naturale, non ut causam liberam & dominam sui actus, atque hoc sensu dicit a nobis negari, quod voluntas nostra cooperetur Deo, vel adjuvetur a Deo.* Resp. in verbis paucis multa nobis tribuit, quæ nequaquam a nobis agnoscuntur; sed insidiosa ista veri status controversiæ occultatione opus erat, ne aperta veritas suis emicaret radiis. *Primo* voluntatem in bonis pietatis operibus sic agi a Deo, ut non possit non agere, nemo nostrum dicit, sive enim per pietatis opera intelligatur ipsa conversio, sive opera piorum post renovationem facta; neutiquam dicendum, voluntatem in illis ita agi a Deo, ut ipsa non possit non agere. Potest enim hominis voluntas Spiritui sancto resistere, & opus conversionis impedire, neque enim absoluta sed ordinaria potentia Deus agit in conversione, possunt renati peccatis contra conscientiam admissis vicissim a Deo deficere, neque enim absoluto quodam Dei decreto sunt electi. Ergo in conversione ita agitur voluntas hominis a Deo, ut possit agere & non agere, hoc est, quando Spiritus sanctus conversionis opus adgreditur, potest voluntas humana pertinaciter reluctans illud impedire,

dire, ac sæpe proh dolor impedit; neque enim vim quandam *coactivam* infert Spiritus sanctus hominibus convertendis, (loquimur de modo ordinario,) sed ex nolentibus facit volentes, hoc est, illis, qui per naturam nolunt, & non possunt nisi nolle, dat facultatem, ut per gratiam possint velle & vere velint: qui vero pertinaciter nolunt, hoc est, qui Spiritus sancti operationi actuali pertinacia resistunt, illos ordinarie non convertit; accurate enim distinguendum hic est inter nolle *privativum* & nolle *positivum*; quin & ipsius nolle positivi sunt certi gradus. Si vero dicatur, voluntatem hominis in bonis operibus ita agi a Deo, ut ipsa non agat nec possit agere, ibi rursus tollendæ sunt ambiguitates; quod si enim hoc ita intelligatur, quod in conversione & post conversionem nulli sint in voluntate motus, falsa est propositio, nec a nobis agnoscitur, siquidem nulla fit conversio, nulla quoque fiunt opera bona sine actionibus mentis & voluntatis. Si vero eo modo intelligatur, quod voluntas hominis in bonis operibus ita agatur a Deo, ut ipsa non agat, nec agere possit suis viribus naturalibus; (interim possit agere & vere agat novis illis a Deo donatis viribus) vera est propositio, & arcte a nobis tenetur. *Deinde* nec hoc agnoscimus, quod Bellarminus nobis tribuit, quasi statuamus voluntatem concurrere, ut merum instrumentum Dei naturale, non ut causam liberam & dominam sui actus. In primo enim conversionis initio voluntas concurrit non ut instrumentum cooperans, sed ut subjectum, in quod agit Spiritus sanctus non coactione, nec naturali impressione, sed liberatione, illuminatione, renovatione. Posteaquam vero voluntas novis viribus donata est, concurrit ut instrumentum (non naturale) sed liberum, siquidem Spiritus sanctus a renatis libere agentibus per peccata contra conscientiam expelli potest, & sæpius expellitur. Est igitur hoc respectu & in hoc statu voluntas instrumentum, in quo & cum quo Spiritus sanctus agit, quia *renati ita aguntur Spiritu Dei, ut quod agendum est, agant, non ut ipsi nihil agant*, Augustinus de corr. & grat. cap. II. *Tertio* multo minus agnoscimus, quod ideo a nobis negetur voluntas cooperari gratiæ, & adjutorio gratiæ divinæ indigere, quia concurrit ut instrumentum naturale, non ut causa libera. Sed hoc est, quod credimus, quod modis omnibus adprobare contendimus, voluntatem in conversione non agere suis viribus ex prima nativitate adhuc reliquis, sed novarum virium dono indigere; hoc ergo sensu & respectu negamus, voluntatem gratiæ cooperari, quam post factam renovationem σύνεργον esse neutiquam inficiamur.

§. LXXXII. His accurate observatis facile patet, quid respondendum sit ad argumenta Bellarmini. *Primo* loco profert ea scripturæ testimonia, in quibus dicuntur homines *in operibus pietatis operarii, aedificatores, plantatores, rigatores & cooperarii Dei.* Sed manifestum est, de piis & renatis in illis dictis agi, quos in operibus bonis συνεργεῖν concedimus. *Secunda* classis continet ea scripturæ dicta, quæ ipsam *conversionem ab hominibus requirunt.* Zach. I. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Joël. II. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Jer. I. *Revertere ad me.* Ezech. XVIII. *Facite vobis cor novum.* Col. III. *Exuite veterem hominem.* Resp. quemadmodum Pelagiani ex illis dictis non poterunt elicere, quod absque gratia conversionem suam homo operetur, ita etiam Pontificii ex illis nec debent nec possunt elicere, quod homo suis naturalibus liberi arbitrii viribus in conversione gratiæ cooperetur; siquidem tales admonitiones nequaquam indicant, suis viribus id posse hominem, quod ab ipso requiritur, sed sunt efficacia organa Spiritus sancti, quibus homines ex somno peccatorum excitare & ipsos convertere vult, ut, quod ex se non possint, ipsius gratia & dono possint. Quemadmodum enim in evangelica historia Christus dicit: *Puella surge, Lazare veni foras*, neque tamen quisquam ex eo colligit, quod isti suis viribus e morte naturali sese suscitare, vel ad sui resuscitationem cooperari potuerint,

Rationes pro libertate arbitrii in spiritualibus.
1. Homines dicuntur Dei cooperarii.

2. Ipsa conversio requiritur ab hominibus.

sed Christo & ipsius verbo vivifico totum hoc opus refertur acceptum: ita, quando Spiritus sanctus dicit: *Agite pœnitentiam, convertimini, surge, qui dormis*, non indicatur, quid homo possit, sed quid Deus efficacibus illis admonitionibus operari in homine cum possit tum velit, nisi contumaciter operationi ipsius resistatur: quæ collatio ideo nobis grata esse debet, quia scriptura homines non renatos vocat *mortuos in peccatis*, Eph. II. Col. II. & Christus Joh. V. resuscitationem corporalem ac spiritualem conferens, utramque verbi sui efficaciæ in solidum adscribit. Inde quod Spiritus sanctus a nobis requirit, id non nisi ipsius gratia nos posse agnoscendum est. Jer. XXXI. 18. *Converte me Domine, & convertar, ubi convertisti me, egi pœnitentiam.* 2 Tim. II. 25. *Si forte Deus det illis pœnitentiam.* Joh. VI. 29. *Hoc est opus Dei, ut credatis, &c.* Adde, quod in quibusdam dictis per conversionem Dei ad nos non intelligitur salutaris illa conversionis gratia, qua ipse cor nostrum ad pœnitentiam revocat, sed declaratio divinæ benignitatis in exhibitione beneficiorum, qua sese benevolum ac propitium aversione pœnarum declarat: quemadmodum iram suam publicis calamitatibus quandoque manifestat. Jer. XV. 19. conversionis vox accipitur de reditu ad officium propheticum rite exsequendum; promittit enim Deus propheræ, si non patiatur ministris populi judiciis sese deterreri, sed potius in officio sibi demandato strenue pergat, fore, ut vicissim a Deo sustentetur ac confirmetur. Præterea dicta quædam manifeste loquuntur de perpetua illa luctæ spiritus contra carnem in renatis, qua carnis concupiscentias refrenant, & sic veterem hominem exuunt, quod ad homines nondum renatos, qui nec dum primitias spiritus habent, trahi nequaquam potest. Denique si ex illis præceptis virium humanarum ἐπιτηδειότης ac ἐνεργητικὴ δύναμις colligenda, sequetur non cooperari, sed operari plane hominem sui conversionem, antequam Deus sua gratia ad ipsum convertatur, qui est ipsissimus Pelagianismus. *Tertia* classis argumentorum Bellarminianorum continet ea scripturæ dicta, quæ docent, nos *a Deo juvari in operibus bonis*, non enim proprie juvari dicendus est, qui nihil agit, sed qui laborat in agendo. Psalm. XXVI. *Adjutor meus es tu.* Psalm. LXIX. *Domine ad adjuvandum me festina.* Rom. VIII. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* 1 Cor. XV. *Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Resp. in hisce dictis agitur de renatis & credentibus, qui, cum propter inhærentem carnis vetustatem adhuc infirmi sint, opus habent auxilio & confirmatione Spiritus sancti. Augustinus primam conversionis gratiam non vocat adjuvantem, sed prævenientem atque operantem, lib. II. contra duas epist. Pelag. cap. 9. *Bonum propositum quidem adjuvat subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia, studium quoque hominis, quod dicitur bonum, cum esse cœperit, adjuvatur gratia, sed inspiratur ab illo, de quo dictum:* Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere. de corrept. & grat. cap. XII. *Si in tanta infirmitate hujus vitæ renatis relinqueretur voluntas renovata, ut in adjutorio Dei, si vellent, maneret; nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas succumberet.* Ex quibus & similibus locis quam plurimis patet, adjuvantem gratiam ab Augustino tunc primum poni, quando sine veteris hominis cooperatione gratia præveniens operata est velle, tunc enim adjuvat, ne frustra velimus. Porro ad veterum dicta, in quibus *adjutorium gratiæ* prædicatur, recte explicanda, notandum est, quod verba *succurrendi, auxiliandi, adjuvandi* & similia, quando Deo tribuuntur, haud raro totalem causam exprimant, nec laudem operationis inter Deum & homines patiantur. Sic in psalmis & prophetis subvenire & auxiliari Deus dicitur illis, quos ex ejusmodi miseriarum barathro eruit, in quibus omnis cessat operatio humana, & sola solius Dei virtus sese profert. Dictum 1 Cor. XV. loquitur itidem de Paulo renato ac converso, qui sibi nihil, divinæ autem gratiæ omnia tribuit, dum se gratia Dei esse, quod est, pronunciat. Græcus textus proprie sic habet: *plus omnibus labo-*

Vox adjuvandi.

3. Juvamur a Deo in bonis operibus.

laboravi, non ego tamen, sed gratia Dei ἡ σὺν ἐμοὶ scilicet *ὅσα, quae mecum, scilicet est ac fuit, quae me ἱκανὸν reddidit*, nequaquam vero quæ mecum operas suas & operis laudem est partita, id quod oppositio: *non ego, sed gratia Dei, quae mecum*, satis diserte comprobat. Ambrosius in comment. *Ne se extulisse jactanter putaretur, statim se humiliat, cum hoc ipsum non magis sibi, sed Dei gratiae adscribit, ut semper omnem gloriam reportet ad Deum.* Erasmus in annotat. *Corrigit Paulus, quod modo dixerat, se plus omnibus laborasse, imo (inquit)* non ego is sum, qui hoc feci, sed gratia potius Dei, quæ mihi adfuit, *ut intelligamus, totum hoc Deo acceptum ferri.*

4. Homo vocatus potest non venire.

Quarto loco profert Bellarminus dicta, *quae testantur, hominem a Deo vocatum, posse non venire.* Prov. XI. *Vocavi & renuistis.* Matth. XXIII. *Volui congregare filios tuos & noluisti* Act. VII. *Vos resistitis Spiritui sancto, &c.* Respond. ostendimus superius, non esse parem rationem: ad resistendum suis sibi viribus hominis voluntas sufficit, sed ad acquiescendum novis viribus indiget, *inest ei nolle bonum, sed nisi donatum non habet velle bonum.* Ambrosius lib. II. de vocat. gent. cap. 9.

Dicta patrum de libertate arbitrii in spiritualibus.

§. LXXXIII. De dictis veterum quæ cap. XI. Bellarminus adfert, in genere egimus superius, pleraque omnia, quæ hoc loco cumulantur dicta, præsertim Augustini, restantur, velle esse voluntatis nostræ actum, quod nos non negamus, interim ex ipso Augustino addimus, esse actum voluntatis non sub vetustate adhuc constitutæ, sed per Spiritum sanctum renatæ ac renovari cœptæ. lib. II. de pecc. merit. cap. 5. *Ipsum liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigo, nec tantum ut sit, verum etiam ut bonum sit, id est, ad faciendа mandata Domini convertatur*, de grat. & liber. arbitr. cap. XVI. *Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille operatur velle & perficere praebendo voluntati vires efficacissimas, de quo scriptum est:* Deus operatur in nobis velle & perficere. De prædest. sanct. c. VII. *Nostrum esse credere & velle* ita intelligendum esse dicit, quod *utrumque, sit Dei, qui praeparat voluntatem, & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Bernhardus de grat. & liber. arbitr. *Hoc est totum opus liberi arbitrii, quod consentit, non quidem quod vel ipse consensus ab ipso sit, cum nec cogitare, quod minus est, quam consentire, a nobis quasi ex nobis sufficientes simus.* Regerit Bellarminus, *sese itidem agnoscere praevenientis gratiae auxilium;* sed quid hoc nomine intelligat, & quam insidiose ludat, ostendimus superius. Rationes, quas cap. XII. adfert, itidem paulo ante excussimus, restat igitur, ut reliqua scripturæ dicta, quibus præter Bellarminum reliqui adsertores ac propugnatores liberi arbitrii utuntur, explicemus, ut vera ac genuina istorum dictorum sententia eluceſcat.

Scripturæ dicta reliqua pro libero arbitrio. Psal. CXIX. Inclinavi cor meum ad præcepta tua.

§. LXXXIV. Psalm. CXIX. 112. *Inclinavi cor meum ad observanda praecepta tua.* Ergo *est in potestate hominis, cor suum in utramque partem flectere.* Resp. plus est in consequente, quam antecedens permittit. Non enim, si David cor suum ad observanda præcepta Domini inclinavit, viribus liberi arbitrii id feciſſe consequitur, sed a Spiritu S. renovatus id fecit, siquidem in eodem psalmo inclinationem istam Spiritus sancti opus esse agnoscit, quando sic orat. vers. 33. *Doce me, Jehovah, viam statutorum tuorum, & inclina cor meum ad testimonia tua.* Docet ergo David, non quid viribus suis fecerit, sed quomodo fecerit, quod Spiritus sancti gratia fecerat, videlicet animo spontaneo & propenso, non servili & coacto obsequio, debet enim esse obedientia spontanea, quæ ex corde proficiscitur, Psalm. CX. 3. Ambrosius de fuga seculi cap. I. & ex eo Augustinus de bono perseverant. cap. VIII. *Voti magis eam rem (seculi fugam) esse quam effectus, testatur propheta dicendo:* inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam, *non enim in potestate nostra est cor nostrum & cogitationes*

nes noſtrae &c. Deus dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem.

Oſeæ V. Vadam ad locum meum.

§. LXXXV. Oſeæ V. 15. *Vadam ad locum meum, donec ponant in corde ſuo & quaerant faciem meam.* Ergo *hominis voluntas poteſt ſe ad Deum ſuis viribus convertere.* Reſp. vadere ad locum non ſignificat Deum ſubtracturum gratiam ſuam, & exſpectaturum, ut ſuis ſeſe ad ipſum viribus homines convertant, ſed abſcondere faciem ſuam in cruce, urgere pondere calamitatum, ut ad peccatorum agnitionem perveniant, ideo additur: *ubi fuerit ipſis adflictio, properabunt ad me.* Eſ. XXVI. 16. *In anguſtia viſitaverunt te, effuderunt orationem, cum correctio tua fuit eis.* Calamitates ſunt reales quaſi conciones legis, cujus prædicatione Spiritus S. vult in cordibus hominum efficax eſſe ad peccatorum agnitionem ac deteſtationem, neque enim adflictiones ex ſe & per ſe operantur pœnitentiam, niſi Spiritus ſanctus intus corda adficiat atque mutet, ſiquidem impii per calamitates ſæpe redduntur deteriores. Adde, quod verba illa עַד אֲשֶׁר יאשמו non recte ſint reddita: *donec ponant in corde ſuo*, cum radix ſit אָשַׁם ideo Münſterus reddidit, *donec adflatio erunt*, id eſt, donec propter pœnam cum flatu quodam fiant abominabiles; Pagninus, *donec deficiant;* targum, *quoad agnoſcant, quod peccaverint*, meritoque æquiſſimi judicis ſeveritatem inde ſuſtineant.

Matth. XII. Aut facite arborem bonam &c.

§. LXXXVI. Matth. XII. 33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.* Ergo *habent homines liberum arbitrium convertendi ſe ad Deum, vel non convertendi.* Reſp. multa tunc fieri dicuntur, quando facta eſſe demonſtrantur, ita quoque hoc loco non effectio, ſed declaratio arboris bonæ vel malæ intelligitur, ſiquidem additur, *ex fructu arbor dignoſcitur;* perquam etiam abſurdum foret, Chriſtum jubere, ut homines ſe ipſos faciant malos. Phariſæi interiora cordis peccata ſuperbiam, invidiam, odium, ambitionem, &c. hypocritico exterioris ſanctitatis velo obtegebant, hanc igitur fallacem larvam ac fictam perſonam Chriſtus eos deponere jubet, ut, quales ſint interius, tales ab hominibus agnoſcantur exterius, ut ſit concordia oris, operis & cordis. Nequaquam vero Phariſæis hanc facultatem Chriſtus tribuit, quod ſuis ſeſe viribus ad Deum convertere & bonas arbores facere poſſint, quin potius diſerte addit: *quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali?* Alii ad Chriſtum ipſum referunt. Aut agnoſcite me eſſe bonum & bene agere, aut me malum eſſe, ac proinde male agere, ſed prior interpretatio textui magis congrua.

Marc. IX. Credo Domine, ſed ſuccurre infirmitati.

§. LXXXVII. Marc. IX. 24. *Credo Domine, ſed tu ſuccurre incredulitati.* Ergo *inchoamus noſtris viribus converſionem.* Reſp. probandum erit, ſanctam illam cogitationem, bonum propoſitum ac primam fidei ſcintillam ex propriis naturæ viribus, non autem ex Spiritus ſancti operatione exſtitiſſe, quod hic locus neutiquam adſerit. Succurrit Deus infirmæ fidei, quæ eſt gratia adjuvans; interim nulla ne modicula quidem fidei ſcintilla eſt, quam ipſe non excitaverit, quæ eſt gratia operans ac præparans. *Nemo poteſt* (corde vere fideli) *Chriſtum vocare Dominum, niſi per Spiritum ſanctum;* 1 Cor. XII. 3. jam vero ex fide, licet infirma, hic pater lunatici Chriſtum vocat Dominum, utique igitur ex Spiritus ſancti dono. Audiverat de Jeſu Nazareno, quod divina poteſtate morbos curaret, atque obſeſſos liberaret, ex quo auditu per Spiritus ſancti operationem concepit primam fidei ſcintillam, ex qua ad Chriſtum venit, qui imbecillitati fidei ſuccurrit.

Luc. VIII. Videte, quomodo audiatis.

§. LXXXVIII. Luc. VIII. 18. *Videte, quomodo audiatis.* Ergo *noſtrarum virium eſt, cum adſenſu quodam audire poſſe.* Reſp. illud *quomodo* complectitur quædam, quæ in non renatorum arbitrio ac viribus poſita, præſertim ea, quæ ἀποφατικῶς efferuntur, videlicet

licet quod verbum audiendum sit non contradicendi adfectu, non calumniandi studio, nec blasphemandi propositu: quædam vero, quæ non nisi per Spiritus sancti operationem voluntas humana potest, præsertim ea, quæ κατα-φατικῶς adferuntur, utpote cum adsensu cordis & obsequio voluntatis audire; prius vocant audire externum, posterius audire internum. Proinde hæc Christi sententia ad auditores, quorum quidam jam regenerati erant, ut apostoli, quidam vero nondum renati erant, promiscue prolata; admonet renatos, ut excusitent donum Dei, quod in se est, siquidem ipsi renati propter adhærentem carnis infirmitatem talibus stimulis indigent, quibus ad majorem diligentiam excitentur, ne fides a Spiritu sancto accensa paulatim in cordibus vicissim exstinguatur, non renatos a contradicendi, calumniandi & blasphemandi studio dehortatur. Huc pertinet liber Augustini de correptione & grat. in quo ostendit, illas correptiones & adhortationes esse salutaria organa, per quæ Spiritus sanctus vult esse efficax in cordibus hominum. Idem de bono persev. cap. XIV. *Dominus cum eis loqueretur, quia carnales aures apertas habebant, dicebat tamen:* qui habet aures audiendi, audiat, *quas non omnes habere, procul dubio noverat. A quo autem habeant, quicunque habent, ipse Dominus ostendit, ubi ait:* dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes, *aures ergo audiendi ipsum est donum obediendi.*

Luc. X. Viator semivivus relictus.

§. LXXXIX. Luc. X. 30. *Viator a latronibus sauciatus, semivivus relinquitur. Viator ille est typus humani generis a diabolo sauciati & spoliati. Hominem relictum esse semivivum;* (ait Salmeronius, Jesuita, in comment. hujus parab. tract. XVI.) *significat liberum arbitrium non esse exstinctum.* Resp. 1.) allegoriæ non præbent argumenta apodictica, nisi ex ipsa scriptura explicatio deducatur, vel certe cum scriptura consentire probetur. 2.) Christo hoc loco proprie & principaliter non est propositum, de statu hominis post lapsum & ejus reparatione, sed de proximo & dilectionis officiis ipsi debitis agere; proinde non omnes hujus parabolæ partes tam operose & subtiliter sunt excutiendæ, sed sufficit principalem scopum tenere, qua de re plura diximus in tractat. de interp. scripturæ. 3) Si velimus ad hominem lapsum referre, quod relictus fuerit semivivus, nequaquam de vita spirituali, atque adeo de conversione, fide & obedientia Deo placente, sed de vita naturali & de externa disciplina illud accipiendum; nam quod vitam spiritualem ac vires ad eam inchoandam necessarias attinet, non semivivum, sed plane mortuum, scriptura pronunciat Joh. V. 25. Eph. II. 5. Macarius homil. XXX. *Illud semimortuum esse confert cum Lazaro quatriduano in sepulchro jam fœtente.* Lyra: *sublata est vita gratiae, manente vita naturae.* Maldonatus in comment. *Quod dicitur semimortuum esse relictum, nihil aliud significat, quam eum in statu maxime miserabili relictum esse; nam ita relictum esse, ut semimortuus esset, miserabilius est, quam si fuisset mortuus, quo magis miseriam sentiebat suam.* Novimus auctorem hypognost. libr. III. locum hunc ad liberum arbitrium referre: *Recte* (inquit) *dictus est semivivus, habebat enim vitalem motum, id est, liberum arbitrium vulneratum, quod ei solum ad vitam aeternam, quam perdiderat, redire non sufficiebat, ideo & semivivus dicitur.* Sed intelligitur eo loci nomine *arbitrii* ipsa voluntas, qua per lapsum hominem non esse spoliatum, libenter concedimus; si vero intelligatur libertas *rectitudinis*, de ea paulo post idem auctor sic scribit: *Quid aliud ostenditur in ove illa perdita ex centum ovibus, nisi liberum arbitrium possibilitatis bono, vitio primi hominis perdito, a justorum erasse consortio, nec per se ad cohortem, id est, ad paradisum, de quo exivit fidelium numero resociandum posse reverti, &c.* hoc Dominus probat, cum vulneratum a latronibus non proprio gressu, sed jumento superimpositum ad stabulum dicit esse delatum.

Luc. XI. Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

§. XC. Luc. XI. 13. *Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.* Ergo *absque Spiritus sancti gratia possumus Deum*

invocare. Resp. non de prima scintilla fidei & spiritus loquitur Christus, quasi precibus nostris a naturalibus liberi arbitrii viribus profectis & absque Spiritus gratia effusis eam antevertere queamus, sed de accepti jam Spiritus sancti augmento & donorum ejus incremento; quod enim primam fidei scintillam & salutarem Dei invocationem attinet, diserte testatur apostolus, quod *nemo possit dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum sanctum.* 1 Cor. XII. 3. Quomodo ergo possemus orare sine Spiritu sancto, qui solus est *Spiritus gratiae & precum*, Zach. XII. 10. *qui docet nos orare*? Joh. IV. 23. Ergo non de præveniente sed subsequente, non de operante sed cooperante Spiritus gratia, non de primis in conversione moribus, sed de augmento donorum Spiritus Christus loquitur; id quod circumstantiæ insuper ostendunt, siquidem loquitur Christus ad apostolos, qui Spiritu sancto jam erant renovati, atque utitur similitudine ab adfectu patris terreni erga liberos a se quippiam petentes, & ostendit, discipulos suos Spiritus S. dona a cœlesti Patre petentes exaudiendos esse, cum non sint extranei, sed carissimi Dei filii. *At*, (inquis) *quare hac dicendi forma Christus utitur?* Voluit docere, non esse exspectandos violentos & sensibiles motus, ex quibus de Spiritus sancti gratia ac præsentia statuere possimus, licet repugnemus verbo, & pravis adfectibus indulgeamus; sed quando habemus desiderium, etiamsi vix obscuro gemitu sese exserat, certi simus, Spiritum sanctum adesse ac operari. Voluit etiam imbecillitatem nostram erigere, ne deficiamus, licet tenuia & obscura sint principia, sed petamus ea augeri, quæ omnia melius ex praxi, quam ex nudis disputationibus intelliguntur. Fulgentius epist. VI. ad Theod. *Semper quidem adjutorium gratiae nobis est a Deo poscendum, sed nec ipsum, quod poscimus, viribus nostris adsignemus, neque enim haberi potest ipse saltem orationis adfectus, nisi divinitus fuerit attributus. Ut ergo desideremus adjutorium gratiae, hoc ipsum quoque est gratiae, ipsa namque incipit infundi, ut incipiat posci.* Augustinus lib. IV. contra Jul. cap. 8. *Ibi vos,* (Pelagiani) *ut video, ponere jam cœpistis merita gratiam praecedentia; quod est petere, quaerere, pulsare; ut his meritis debita illa reddatur, ac si gratia inaniter nuncupetur, tanquam gratia nulla praecesserit, & cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur a Deo, ut quaereretur Deus, ut pulsaretur ad Deum, fruſtraque sit scriptum*, misericordia ejus præveniet me. Hæc Augustinus. *Fides fundit orationem, & oratio fusa fidei impetrat firmitatem;* nulla est Deo grata oratio absque fide, jam vero fides est Dei opus atque donum.

§. XCI. Luc. XV. 18. Acolastus in corde suo dicit: *surgam, & ibo ad patrem.* Ergo *initium conversionis est ex nobis.* *Luc. XV. Surgam & ibo ad patrem.*

Resp. Augustinus epist. CVI. ad Paul. *Ille, qui putavit sine Dei adjutorio se posse custodire, quod dedit, profectus in regionem longinquam, & vivens prodige cuncta consumsit, & miseriis durae servitutis attritus, reversusque in semet ipsum dixit:* surgam, & ibo ad patrem meum. *Quam cogitationem bonam quomodo haberet, nisi & ipsam illi in occulto misericordissimus pater inspirasset?* Idem libr. II. quæst. evangel. cap. 33. *Unde hoc scire poterat, in quo erat tanta oblivio Dei, nisi quia ista recogitatio jam si respiscentis est, cum evangelium praedicaretur? Hoc ipsum velle operatus est is, de quo scriptum:* Deus est, qui operatur velle; *hanc bonam cogitationem inspiravit ei, qui* non fuit idoneus cogitare aliquid boni ex se, tanquam ex se.

§. XCII. Joh. I. 12. *Quotcunque receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen illius.* Ergo *antequam sumus Dei filii, habemus potestatem ac facultatem tales fieri.* Resp. recipere Christum est credere in Christum, *nemo autem potest in Christum credere, nisi hoc ipsi datum sit a Deo;* Philip. I. 29. quod ipsum Johannes docet, quando subdit: *Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ubi opponit regenerationem ex Deo nativitati ex carne & sanguine, ostendens, cœleste & divinum *Joh. I. dedit potestatem filios Dei fieri.*

esse

esse donum, quod fide recipiunt Christum, qui alias in tenebris suæ incredulitatis perpetuo manerent; eo enim titulo homines nondum renatos in præcedentibus honorat, ad prosternendam virium nostrarum arrogantiam. Quinimo notanter dicit, credentibus *datam* esse illam ἐξουσίαν, utique igitur ex ipsorum viribus non est enata. Porro quod evangelista dicit, fidelibus datam esse illam potestatem, nequaquam eo trahi debet, quasi qui vere credunt in Christum, nondum sint Dei filii, sed demum tales futuri, quia fides & υἱοθεσία sunt arctissime & immediate connexa. Gal. III. 26. *Omnes estis filii Dei per fidem.* Joh. V. 37. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Id saltem in hoc dicto innuitur, quod, quamvis fides & υἱοθεσία tempore sint simul, ordine tamen sese habeant ut prius & posterius; fides enim in Christum seu potius Christus fide adprehensus est causa istius υἱοθεσίας, & vicissim hæc illius veluti effectus est, ad quem ordinem respiciens evangelista tali genere loquendi utitur. Præterea respicit non solum inchoatum illud υἱοθεσίας in hac vita beneficium, sed etiam futurum, videlicet illustrem revelationem filiorum Dei in die novissimo conjunctam cum plena (ut ita loquar) hereditatis cœlestis participatione. 1 Joh. III. 2. *Filioli nunc filii Dei sumus, sed nondum adparuit id, quod futuri simus, &c.* Augustinus lib. I. contra duas epist. Pelag. cap. 3. *Datur potestas, ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur, ut credant in eum. Quæ potestas nisi detur a Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit.* Idem lib. II. de consensu evangelist. cap. 3. *Quos dixit accepta potestate factos Dei filios, quod adoptio significat, eosdem dixit natos ex Deo, atque ut apertius ostenderetur, quæ gratia factum sit, & verbum, inquit,* caro factum est, & habitavit in nobis, *tanquam diceret, quid mirum, si filii Dei facti sunt, cum caro esset, propter quos unicus caro factus est, cum verbum esset?*

Joh. VI. Qui audivit et didicit, venit ad me.

§. XCIII. Joh. VI. 45. *Omnis, qui audivit a Patre & didicit, venit ad me.* Ergo *potest homo suis viribus ita audire ac discere, ut ad Christum veniat.* Resp. Christus ibidem disserte ait: *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum, scriptum est in prophetis, erunt omnes θεοδίδακτοι, postea demum sequitur, omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Continentur ergo in illo Christi dicto talia, quæ vires liberi arbitrii funditus prosternunt, si enim tractatione indigemus, utique non nostris viribus venimus. Sed enim cum Deus doceat, ac trahat non *immediate* ac per violentos raptus, sed *mediate* per verbum, ideo Christus in his verbis exprimit ordinem, quo Deus solet homines docere ac trahere, antevertit omnem nostrum cursum & conatum, ac per verbi prædicationem non solum exterius, sed etiam interius docet, mentem illuminat, voluntatem flectit. Cyrillus hoc loco: *Trahit Pater monitione, doctrina & revelatione, ubi enim auditus, disciplina, doctrinaque adest, ibi fides non vi, sed persuasione oritur.* Augustinus tract. XXVI. in Johan. *Videte, quomodo trahat Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo. Doceat te Pater, audi filium.* Idem lib. I. de grat. Christ. contra Pelag. cap. 14. *Quando Deus docet per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo adpetat, agendoque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus, omnis, qui audivit a Patre & didicit, potest venire ad me.* Idem de prædest. sanct. cap. VIII. *Valde remota est a sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur & docet, ut veniatur ad Filium, multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus ad Christum, sed ubi & quomodo a Patre hoc audierint & didicerint, non videmus: nimirum gratia ista secreta est, gratiam vero esse quis ambigit? &c. quando ergo Pater intus auditur, & docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum.*

Joh. VII. Qui volet Patris voluntatem facere, cognoscet de doctrina mea.

§. XCIV. Joh. VII. 17. *Si quis volet Patris voluntati obtemperare, cognoscet de doctrina mea, num ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.* Ergo *homo nondum cognoscens Christi doctrinam, potest Patris voluntati obtemperare.* Resp. non tribuitur hoc Christi pronunciato talis quædam facultas hominibus non renatis, quod suis sese viribus cœlestis Patris voluntati subjicere atque adcommodare possint in ipso interiore conversionis opere; sed requiritur ab eis, quibus concredita erant τὰ λόγια τῦ Θεῦ, ut absque præjudiciis atque adfectibus Christi doctrinam cum revelato verbo conferant, nec pertinaci protervia contra conscientiæ testimonium ei contradicere pergant. Nicol. Lyra in comm. *Amor & odium multum pervertunt judicium rectae rationis, ideo monet eos, ut amoveant odium, quod contra ipsum conceperant, & tunc poterunt manifeste judicare, quod ejus doctrina sit a Patre per miracula eam testificante.* Augustinus tract. XXIX. in Joh. per *τὸ facere voluntatem Patris* accipit ipsum *credere, quid est* cognoscet? *hoc est* intelliget. *Quid est autem, si quis voluerit voluntatem ejus facere? hoc est* credere, *ut intelligatur ad possibilitatem intelligendi datum esse consilium de obedientia credendi.*

§. XCV. Joh. XV. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Ergo *adjuti a Deo aliquid possumus facere.* Resp. vocula *nihil* est μόριον ἐκλειστικὸν, viribus arbitrii nostri extra gratiam nihil plane relinquens, id quod confirmat similitudo a Christo adhibita. Sicut palmes a se ipso non potest facere fructum, sed vitam & succum a vite accipere necesse habet, quod si a vite separetur, protinus arescit: ita sine Christo nihil omnino facere possumus: (*) quid quod vocula *sine* non *adjuvantem* aut *cooperantem* causam semper innuit, sed, cum Deo attri-

Joh. XV. Sine me nihil potestis facere.

(*) Hocce servatoris effato: *sine me nihil potestis facere*, purior christianorum cœtus semper feliciter usus est, ad demonstrandum, hominem ex viribus naturalibus nec convertere se, nec bona opera facere, nec per easdem ad hæc, *cooperando* cum gratia, concurrere posse. Provocarunt ad hocce oraculum sacrum patres antiquissimi, cumprimis AUGUSTINUS, itemque nonnulla ecclesiæ concilia, contra Pelagianos olim habita, veluti *Milevitanum*, secundum alios *Carthaginense*, anno CCCXVIII. habitum, *can. 5. Arausicanum* II. ann. DXXIX. celebratum, *can. 7.* aliaque. Idem fecerunt pii nostri confessores. Vid. *confess. August. art. XX.* sub finem, *p. 19. apolog. August. confess. art. III. p. 110, 113, 127, 138. epit. formul. concord. art. II. de libero arbitrio, p. 580.* & *declarat. formul. concord. eod. artic. p. 659.* edit. Rechenberg. Copiosius dictum hoc servatoris nostri explicarunt atque ab objectionibus dissentientium vindicarunt GERHARDUS noster, in *harmon. evangelist. cap. CLXXVII. p. 1400. seqq.* SEBAST. SCHMIDIUS, in *colleg. biblico part. II. pag. 153. seqq.* C. M. PFAFFIUS, in peculiari *dissert. in verba Christi: sine me nihil potestis facere*, Tubing. *MDCCXLVI.* edita; & ex ecclesiæ Reformatæ theologis CHRISTOPH. PELARGUS, in *comment. ad h. l.* & DAN. CHAMIERIUS, in *panstrat. cathol. tom. III. libr. IV. cap. VII. §. XIV. seqq. p. 48. seqq.*

Dissentiunt vero interpretes in expositione particulæ χωρὶς, quæ in hoc servatoris oraculo occurrit. Antiqui ecclesiæ christianæ doctores eandem pro simpliciter exclusiva habent; quæ & communis recentiorum interpretum est sententia. Deseruerunt vero eandem ex nostris GERHARDUS & SCHMIDIUS, quos modo laudavimus, itemque TARNOVIUS, PRÜCKNERUS, QUENSTEDIUS aliique, qui contendunt, verba textus græci χωρὶς ἐμοῦ non significare: *sine me*, sed per *seorsim, separatim a me*, vertenda esse. In eandem sententiam ex ecclesiæ Reformatæ theologis descenderunt BEZA, PISCATOR, CAMERO, RAVANELLUS, & ex recentioribus L'ENFANTIUS & BELLOSOBRIUS; quibus ex ecclesiæ Romanæ sectatoribus, præter alios, JO. MALDONATUS, JO. GAGNÆUS atque RICHARDUS SIMONIUS, oratorii Parisiensis presbyter, a JAC. BENIGNO BOSSUETO, episcopo quondam Meldensi eapropter reprehensus, adjungi possunt. Vid. *la bibliotheque critique de Mr. Sainjore*, sub quo nomine SIMONIUS, quem modo nominavimus, latitat, *tom. IV. lettres 41, 42. p. 393. seqq.* Eandem expositionem ex Socinianis SCHLICHTINGIUS & WOLZOGENIUS5 ex JO. ARMINII discipulis H. GROTIUS, atque ex Anglorum gente

attribuitur, plerumque *totalem* causam designat: Joh. I. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; hoc est, non solum omnia ipse fecit, sed etiam a nullo gente DANIEL WHITBY suo adprobarunt calculo.

Qui ex theologis orthodoxis, deserta communi interpretum sententia, aliam adoptarunt, ea cumprimis inducti ratione id fecerunt, quia exclusivum *sine* haud exigua laborat ambiguitate. Aliquando enim denotat causam *efficientem principalem*; aliquando vero causam duntaxat *sociam*, aut *sine qua non*, verb. grat. si dicatur, equus hic sine altero admoto currum trahere haud potest; aliquando denique designat instrumentum, ex. grat. si dicatur, sine cultro secari haud posse. Huic ambiguitati consulere voluerunt viri præstantissimi, adoptata versione per *seorsim*, ac si diceretur χωρισθεντες απ εμε, *separati a me*, *non manentes in me*.

Alio vero sine aliaque intentione ii, qui pelagianissimo favent, hominesque *cum gratia cooperari* statuunt, hancce versionem amplexi sunt. Existimarunt nimirum, stante hac expositione, argumentum, quod pro adstruenda αδυναμια hominis in spiritualibus ex hoc oraculo desumere solent orthodoxi, prorsus subrui. De iis enim duntaxat heic loqui servatorem, qui a se vite excisi sint palmites, sive, ut aliis verbis eandem rem exprimamus, qui per *apostasiam*, seu *defectionem*, a Christo sint separati, atque, hanc ipsam ob rationem, nihil, quod bonæ frugis sit, facere amplius possint. Jam vero ab apostatis eorumque consummata pravitate, atque ad omne bonum opus imporentia ad omnes omnino homines argui haud posse.

Nos, missa hac verborum expositione, in eorum adquiescimus sententia, qui particulam χωρις pro simpliciter *exclusiva* habent, oraculumque servatoris cum ERASMO, b. LUTHERO, imo ipsa VULGATA, ita convertunt: *SINE ME nihil potestis facere*; Siquidem hæc versio non tantum planior ac simplicior est altera illa, quam modo indicavimus, sed & contextui magis est consentanea. Quod si enim το χωρις vertatur per *seorsim*, hic verborum sensus emergeret: si a me excidamini, tum nullum poteritis fructum ferre, h. e. inutiles eritis ad omne bonum opus; atque sic idem diceretur, quod subsequenti *comm. 6.* docet servator, quando ait: *si quis in me non manserit, is extra* (vineam) *projectus, statim ut palmes arescet.*

Nec communi ac receptæ expositioni opponi potest, quod particula exclusiva *sine* ambiguitate quadam laboret, nec tantum de caussa *efficiente & principali*, sed & de caussa *socia*, aut *sine qua non*, quin & de caussa *instrumentali* exponi queat. Ex ipsius enim parabolæ nexu facile perspicitur, non aliam caussam heic intelligi posse, quam *efficientem*. De tali enim caussa agitur in textu, qualis in corporeis succus radicalis vitis est, in relatione ad palmites. Quem ad modum igitur palmes omnem succum ex vite trahit, nec sine ea ullum fructum ferre potest; ita & omne bonum, quod faciunt Christi sectatores, faciunt *ex virtute Christi* cœlitus ipsis communicata, nec *sine* Christo quidquam succi habent ad faciendum bonum: Proinde το χωρις heic accipi debet in *sensu* virium naturalium *exclusivo*; atque eadem ratione, qua *sine* Christo nihil factum esse dicitur, *Joh. I. 3.* ut supra copiosius ostendit GERHARDUS.

Quod si tamen receptæ sententiæ alteram illam, quæ χωρις per *extra* vel *seorsim* reddendum esse statuit, aliquis forte præferendam esse arbitretur, nihilo tamen minus argumentum, quod pro impotentia hominis naturali ex hoc oraculo deducitur, firmo stabit talo. Tunc enim effato, hocce innuuntur omnes ii, qui sunt extra Christum, non *apostatæ* duntaxat, uti obtendunt dissentientes, sed & omnes relapsi, vel ad Christum nondum conversi, qui Christo non sunt insiti, ut palmites viti. Quem ad modum scil. palmes, *seorsim* a vite, sive a vite abscissus, nullum edere potest fructum, sed arescit; ita quoque homines, qui Christo non sunt insiti, sed *extra* eum constituti, nihil bonæ frugis producere queunt, omni quippe succu, ad faciendum bonum necessario, quem ex Christo vite trahere debebant, prorsus destituti. Egregia hanc in rem sunt verba AUGUSTINI *tract. LXXXI. in Joh.* digna profecto, quæ heic adscribamus. *Ita in vite sunt palmites*, inquit laudatissimus præsul, *ut viti non conferant, sed accipiant, unde vivant. Ita vero vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo discipulis prodest utrumque, non Christo. Nam, præciso palmite, potest de viva radice alius pullulare, qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere.* Repetiit hæc verba

a nullo adjutus omnia fecit, quod exemplum pulcre ad articulum reparationis & ἀναπτίσεως adplicari poterit. Auguſtinus lib. II. contra duas epiſt. Pelag. cap. 8. *Dominus, ut reſponderet futuro Pelagio, non ait, ſine me difficile poteſtis aliquid perficere, ſed ait,* ſine me nihil poteſtis facere. *Et, ut reſponderet futuris etiam iſtis in eadem ipſa evangelica ſententia, non ait,* ſine me nihil poteſtis *perficere, ſed* facere. *Nam ſi perficere dixiſſet, poſſent iſti dicere, non ad incipiendum bonum, quod a nobis eſt, ſed ad perficiendum eſſe Dei adjutorium neceſſarium.* Quod ſi de ipſis renatis Chriſti dictum accipiatur, quo ſenſu accipit Auguſtinus de ſpiritu & lit. c. XXIX. neque id incommode, cum ad apoſtolos Chriſtus loquatur, quos ceu palmites viri cœlesti inſertos eſſe dixerat; ſane concedimus, illos Dei adjutorio ita indigere, ut interim etiam ipſi cooperentur, ſed cum illa συνέργεια non oriatur ex priſtinis & ex veteri nativitate adhuc reliquis, ſed novis a Spiritu ſancto donatis viribus, ideo ad ſtabiliendam liberi arbitrii in ipſa converſione efficaciam adcommodari omnino nequit. Si enim ne renati quidem in rebus ſpiritualibus & divinis ex ſeſe quicquam facere, neque ulla opera Deo grata ſine Chriſti gratia edere poſſunt, quanto minus hominibus non renatis & extra Chriſti gratiam conſtitutis tantillum fuerit adſcribendum.

§. XCVI.

PROSPER, gente Aquitanus, *ſentent. 364.* hodie *368.* itemque concilium Arauſicanum *II. c. 24.*

Jam vero, quod porro notamus, emphaticum eſt, quod Chriſtus addit: οὐδὲν *nihil. Sine me*, inquit, *NIHIL poteſtis facere.* Augetur hæc emphaſis, uti recte monent interpretes, per geminatam negationem οὐ, οὐδὲν, ſecundum indolem linguæ græcæ, quam in ſermone latino utcumque exprimimus per, *nihil quidquam, prorſus nihil.* Quod vero hæc verba de rebus *ſpiritualibus* ſint accipienda, non de rebus civilibus atque externis, ex toto contextu luculenter patet. Loquitur enim Chriſtus de ſe tanquam vite, ex qua omnis ſuccus ſpiritualis in nos palmites, ipſi inſitos, ſit derivandus, ſi bona *ſpiritualiter* talia facere velimus. Unde ſponte conſequitur, ſoli Chriſto deberi, quidquid a nobis Deo gratum atque acceptum proficiſcatur.

Excipiunt quidem nonnulli, effatum ſervatoris non reſpicere opera quævis chriſtianorum bona Deoque grata, ſed reſtringendum eſſe ad *opera apoſtolorum*, quos ſolos heic adloquatur Chriſtus, *officialia*, ad quæ & reſtringenda ſint verba gentium apoſtoli 2 *Cor. III. 5.* licet communiter, ſed perperam, ad omnia chriſtianorum cogitata & opera alias adplicari ſoleant. Hanc expoſitionem cumprimis exornandam ſuſcepit STEPH. CURCELLÆUS, ſuam de hoc oraculo mentem hiſce verbis exponens: *Locus hic proprie non oſtendit, quid in ſingulis fidelibus requiratur, ut ſalutis æternæ fiant participes; ſed potius, quodnam ſit ſpeciale apoſtolorum officium, ut demandato ſibi munere defungi, & multos ad veritatis cognitionem adducere poſſint, hoc nempe, ut a Chriſto toti pendeant, ne, ſi quid proprio arbitrio facere inſtituerent, & ad ipſius præcepta minus attenderent, infeliciter totum iſtud negotium ipſis ſuccederet.* Hinc verborum Chriſti hanc ſubjungit paraphraſin: *Si vos me deſerueritis, & præcepta, quæ tradidi vobis, non ſtudioſe retinueritis & obſervaveritis, nolite ullum laboris veſtri ſucceſſum aut fructum, ſive ad vos, ſive ad alios redeuntem, exſpectare.* Vid. ejusdem *inſtitut. relig. chriſt. libr. VI. cap. XII. §. I. p. 397.* Ad eandem ſententiam propius accedit auctor anonymus epiſtolæ gallicæ *ſur la liberté*, quæ exſtat *dans la bibliotheque Germanique tom. XLIII. art. 2. p. 50. ſeqq.*

Verum ad *ſola* apoſtolorum opera *officialia* oraculum ſervatoris reſtringi haud poſſe, vel ex eo facile colligi poteſt, quoniam apoſtoli in textu noſtro non ut *vinitores*, ſed ut *palmites* deſcribuntur, qui ut tales Chriſto viti inſeri inque Chriſto permanere debeant, ut ipſius gratia macti actiones bonas edere fructusque ſpirituales proferre queant. Obſervamus quoque in hac ipſa ſervatoris oratione ad diſcipulos habita, diſertam precum *comm. 7.* & *16.* itemque cuſtodiæ mandatorum Chriſti *comm. 10, 14.* nec non mutuæ dilectionis, *comm. 12, 17.* fieri mentionem, quæ quidem officia non ad ſolos apoſtolos, ſed ad omnes ſpectant chriſtianos, Chriſto viti inſertos.

Actor. V. Deus dat Spiritum S. obedientibus sibi.

§. XCVI. Act. V. 32. *Deus dat Spiritum sanctum obedientibus sibi.* Ergo *possumus Deo obedire, antequam Spiritu sancto donemur.* Resp. Φρόνημα σαρκὸς est ἔχθρα εἰς τὸν Θεὸν, Rom. VIII. 7. quomodo ergo possumus Deo obedire ante acceptam Spiritus S. gratiam? Agitur autem in dicto Petri non de donis Spiritus S. communibus, quæ omnibus piis ad renovationem & sanctificationem sunt necessaria, sed de miraculoso illo dono visibiliter illabentis super primitivæ ecclesiæ discipulos Spiritus sancti, quæ effusio non contingebat alienis a fide & pietate christiana, sed illis solum, qui verbo obedierant, qui per verbum in fidem & obsequium doctrinæ evangelicæ traducti erant. Quod si ad conversionis negotium hoc adplicetur, dicendum erit, Spiritum sanctum dari obedientibus, hoc est, illis, qui verbum audiunt ac meditantur, nec hostiliter resistunt Spiritus sancti operationi. Phrasi enim hebræa verba *adfirmata* sæpius ponuntur pro contrariis *negatis*, qua ratione pertineret hoc dictum ad regulam adcurate in hoc negotio tenendam, non esse quærendos violentos raptus, nec exspectandos enthusiasticos motus, sed Spiritum sanctum esse efficacem per vocem evangelii auditam ac cogitatam.

Actor. X. Preces & eleemosynæ adscenderunt ad Deum.

§. XCVII. Act. X. 4. *Preces & eleemosynae Cornelii adscenderunt ad Deum, antequam a Petro doceretur, & Spiritum sanctum acciperet.* Ergo *homines instructi sunt facultate praeparandi se ad gratiam.* Resp. Cornelius, antequam a Petro doceretur, & miraculosa Spiritus S. dona acciperet, habuit aliquam per Spiritum sanctificationis de Messia & officio ipsius notitiam, ac fide Messiam amplectente præditus fuit, quamvis nondum sciret, quæ persona in individuo esset ille mediator ac Messias. Dicitur enim fuisse εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν, v. 2. cujus προσευχαὶ καὶ ἐλεημοσύναι ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ; v. 4. utique ergo aliqua fide præditus fuit; *quomodo eum invocabunt, in quem non crediderunt?* Rom. X. 14. *sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. XI. 6. Augustinus lib. I. de prædest. sanct. c. 7. *Quicquid Cornelius, antequam crederet, & cum crederet, & postquam credidisset, bene operatus est, totum Deo dandum est, ne quis extollatur.* lib. I. ad Simpl. q. 2. *In quibusdam tanta est fidei gratia, quanta non sufficit ad regnum cælorum obtinendum, sicut in Cornelio, fiunt igitur in conversione inchoationes similes conceptioni, non tamen solum concipi, sed & nasci opus est, nihil tamen horum sit sine gratuita Dei misericordia.* Beda in hunc loc. *Cornelius non virtutibus ad Deum, sed fide pertingebat ad virtutes.* Gloss. ord. ex Greg. *Cornelius, cujus eleemosynae ante baptismum angelo testante laudantur, non operibus ad fidem, sed fide venit ad opera. Si enim ante baptismum Deo non credebat, quomodo orabat, aut quomodo hunc Deus exaudiret, si profectum boni ab ipso non peteret? Sciebat igitur Deum creatorem omnium, sed ignorabat Filium incarnatum, fidem habuit, cujus eleemosynae & orationes Deo placuerunt.* (Quod vero ibid. additur in glossa, *Cornelium bono opere promeruisse, ut Deum cognosceret*, id præmissis adversatur.)

Actor. XXVI. Non fui inobediens cœlesti visioni.

§. XCVIII. Act. XXVI. *Paulus coram rege Agrippa historiam suae conversionis commemorans dicit*, se non fuisse inobedientem cœlesti visioni. v. 19. Ergo *obtemperavit ex suis viribus cælesti vocationi.* Resp. ex versu proxime sequente evidenter adparet, apostolum non loqui de obedientia primæ conversionis, sed de obedientia conversionem insecuta in obeundo prædicationis evangelicæ munere & concredito sibi apostolatu, sic enim habent verba: *Non fui inobediens cælesti visioni, sed his, qui sunt Damasci primum & Hierosolymis, & in omnem regionem Iudaeae & gentibus annunciabam, ut pœnitentiam agerent.* Nec illustrius exemplum gratuitæ conversionis facile dabitur, quam hoc ipsum Pauli, qui ex persecutore tantus apostolus sola Dei gratia & efficaci mutatione factus. *Dic mihi*, inquit Augustinus lib. I. contra duas epist. Pelag. ad Bonif. c. 19. *quid boni Paulus*

adhuc

adhuc Saulus volebat ac non potius magna mala &c. quibus meritis bonae voluntatis Deus illum ab his malis ad bona mirabili & repentina vocatione convertit?

§. XCIX. Gal. III. 14. *Promissio Spiritus accipitur per fidem.* Ergo *fides praecedit Spiritus sancti acceptionem.* Resp. hoc argumentum erudite tractat Chemnitius p. I. loc. in art. de lib. arb. c. 6. p. 479. & in judicio de controv. quibusd. qq. p. 52. summatim hoc adserit, cum in quam pluribus scripturæ pronunciatis fides dicatur donum & opus Spiritus S., ideo non posse dici, quod fides ex naturalibus viribus ante Spiritus S. gratiam concipiatur & accendatur: sensum igitur dicti apostolici hunc esse, quod accipiamus Spiritum S. per verbum, quando audimus & meditamur vocem evangelii, quod *est ministerium Spiritus.* 2. Cor. III. 6. Neque enim hæc sunt divellenda, quasi primum sentiamus operationem Spiritus S. & postea sequatur auditus & meditatio verbi, neque existimandum, nostra meditatione vel desiderio impetrari Spiritum S. sed Spiritus S. prævenit nostram voluntatem, nec tamen per raptus enthusiasticos vel violentos, sed quando ordimur a verbo. Quod ergo hoc loco dicitur *fide accipi promissionem Spiritus*, id v. 2. sic explicatur, quod Spiritus accipiatur ἐξ ἀκοῆς τῆς πίστεως, *per auditum praedicatae fidei*, seu per prædicationem evangelii, auscultatione perceptam. Gloss. interl. per promissionem Spiritus intelligit beatitudinem, quam Spiritus in arrham datus promittit. Alii de incremento donorum Spiritus S. locum accipiunt, quia credentibus donantur plura Spiritus dona, ac prius data augentur; (*) sed prior explicatio simplicior est & textui convenientior.

Galat. III. Promissio Spiritus accipitur fide.

§. C. 2. Tim. II. 21. *Si quis se ipsum ab his expurgaverit, erit vas in honorem sanctificationis, & utile Domino ad omne opus bonum.* Ergo *per liberum arbitrium potest homo sese praeparare, ut sit aptus Dei obsequio.* Resp. Augustinus Cœlestio hoc dictum urgenti lib. III. hypogn. respondet: *Alia est ratio jam credentis in Deo per gratiam illuminati ac reparati, alia vero non credentis.* Neque enim nostris nos emundare possumus viribus, sed Deus est, *qui fide purificat corda*, Act. XV. 9. *per Spiritum purificat animas*; 1. Petr. I. 22. quod ergo ex nobis non possumus, illud ipso donante & efficaciter operante possumus.

2. Tim. II. Qui se ipsum expurgaverit, erit vas in honorem.

§. CI. Apoc. III. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum & cœnabo cum eo.* Ergo *ex nostris liberi arbitrii viribus possumus Christo pulsanti ostium cordis nostri aperire.* Resp. non ἱκανότης nostrarum virium, sed officii nostri debitum exprimitur. Docemur enim, ministerio legis veluti malleo quodam corda nostra pulsari, nostrum igitur esse aures nostras non obdurare, neque corda indurare, sed pulsantis vocem audire, fores cordis aperire, & ingredientem promte recipere, id quod non nostra, sed Dei virtute possumus, *qui operatur in nobis velle*, Phil. II. 13. *qui aperit cor nostrum*, Act. XVI. 14. & dignum sibi in eo parat habitaculum. Quando Deus ostium cordis nostri per verbum, præsertim per conciones legis pulsat, adest simul gratia Spiritus S., qui in corde nostro conversionem vult operari, ergo in illa pulsatione non tantum forinsecus adstat, sed etiam interius agit.

Apoc. III. Ecce sto ad ostium & pulso.

CAPUT VII.

(*) Addimus, esse quoque nonnullos interpretes, qui locum hunc de *promissione spirituali* exponant, ut proinde heic doceat gentium apostolus, promissionem Abrahæ factam, cujus modo fecerat mentionem, non fuisse de *temporalibus* solum bonis terræ Canaan, sed præcipue de *spirituali* benedictione. Hac ratione posterius hujus commatis membrum exegesis erit prioris, hoc sensu: „redemit nos Christus a maledictione: ut benedictio Abrahæ daretur gentibus in Christo Jesu, „ut, inquam, nos omnes *promissionem spiritualem* Abrahæ factam acciperemus per fidem „. Fides ergo manus est, qua benedictionem Christi nostram facimus nobisque adplicamus. Vid. Dav. Pareum in *not. ad h. l. oper. tom. I. part. IV. p. 274.*

CAPUT VII.

ERRANTES DE LIBERO ARBITRIO IN DEFECTU.

§. CII.

Errores in defectu.

Atque hæc dicta sint de Pelagianis liberi arbitrii defensoribus, & quotquot ipsorum legunt vestigia, qui ad dextram a cœlestis veritatis tramite in hoc articulo secessionem faciunt. Ad sinistram declinant, quotquot in ἐλλείψει hic peccant, utpote I.) *Valentiniani* (*), *Marcionitae*, & illos secuti *Manichaei* (**), qui absolutæ necessitatis legibus omnes hominis actiones adstringunt, peccatum non a libera hominis voluntate, sed ex mala quadam substantia, a malo principio creata, ortum esse statuunt, atque adeo omnem etiam in civilibus & malis actionibus libertatem tollunt, de quibus videantur scripta veterum, præsertim Irenæi ac Tertulliani. II.) *Enthusiastae* (***) a Messalio orti, qui Spiritum S. immediate, sine verbi adminiculo, violento raptu, vel per speculationem somniorum, vel per simulationem orationis illabendo, homines convertere statuunt, de quibus videatur hist. tripart. lib. VII. c. 11. Quidam statuunt, eosdem cum enthusiastis esse *Euchitas* (****), quorum meminit Augustinus ad Quodvult. hær. LVII. Nostro seculo illorum vestigiis insistunt, qui absolutam rerum omnium necessitatem ac fati cujusdam Stoici (*) immutabilitatem propugnant, qui minime

(*) de *Valentinianis*, qui seculo II. puriorem christianorum cœtum turbarunt, non sine ratione dubitari potest, an iis, qui absolutæ necessitatis legibus omnes hominis actiones subjiciunt, sint accensendi. Neque enim VALENTINUS, sectæ hujus conditor, ullibi hoc docuisse deprehenditur, neque hæc conclusio ex ejus principiis, quæ quidem valde sunt obscura, immo subinde inexplicabilia, legitima ratione derivari potest. Equidem ab HIERONYMO in *proëm. epist. ad Philipp. tom. VI. oper. p. 211.* & ad *Ephes. III. p. 173.* nec non ab ORIGENE περὶ ἀρχῶν *libr. IV. cap. VII.* tribuitur Valentino, ac si duo principia rerum omnium, alterum boni, alterum mali auctorem, adseruerit. Verum hoc non ita intelligendum, ac si Deo supremo, omnium rerum fonti ac principio, aliud æquale, & ejusdem potestatis adjunxerit; hæc enim sententia nexui systematis Valentiniani repugnare videtur. Ea potius, ut nonnulli conjiciunt, mens fuit Valentini, quod in mundi hujus materialis generatione quædam substantiæ ex materiæ conditione ad prava ferantur. Vid. b. BUDDEI *dissertat. de hæresi Valentin. §. IX. not. (o) p. 550.*

(**) De *Marcionitis*, seculi II. hæreticis, &, qui eos seculo III. insecuti sunt, *Manichaeis*, constat, eos doctrinam de duobus principiis contrariis & cœternis, Deo & materia, luce & tenebris, altero *boni* auctore, altero *mali*, adoptasse, ac peccati, a Deo malo profecti, absolutam statuisse necessitatem, humanique arbitrii sustulisse libertatem. Legenda, quæ hanc in rem differit b. cancell. MOSHEMIUS, in *comment. de rebus christianorum ante Constantinum M. p. 842. seqq.*

(***) *Enthusiastae*, ad quos hoc digitum intendit GERHARDUS, seculo quarto in Mesopotamia *Messalianorum* nomine innotuerunt. Græci eos *Euchitas* vocarunt, h. e. *precantes*, id quod *Messalianorum* nomen syriacum proprie significat. Neque enim a MESSALIO, uti existimat GERHARDUS, sed a *precibus* dicti sunt *Messaliani*. Jactitabant isti homines subitaneas revelationes & inspirationes, quibus ad hoc illudve agendum impellerentur, malumque dæmonem, hominum animos inhabitantem, nulla re alia, quam adsiduis precibus expelli posse censebant. Vid. EPIPHANIUM *hæres. LXXX.* & THEODORETUM *libr. IV. hæret. fabul. cap. X.* atque inprimis EUTYMIUM ZIGABENUM in *panoplia tit. XXVI.* edit. græcæ Tergobstensis. Addi meretur ex recentioribus TILLEMONTIUS, dans *les memoires pour servir à l'histoire ecclesiastique &c. tom. VIII. p. 527. &c.*

(****) *Euchitas* cum *Messalianis* unam eandemque sectam confeciſse, ex iis, quæ in præcedenti nota diximus, intelligitur.

(*) Constat, Stoicos ejusmodi statuisse fatum, cujus inevitabili necessitati omnia, ipseque etiam Deus, sint obnoxia. Est vero fatum, secundum definitionem CHRYSIPPI, quam serva-

sterium verbi negant esse Spiritus S. conversionem operantis organum, qui in conversione veterem hominis substantiam penitus aboleri ac novam surrogari nugantur, qui diversos hominis

vit GELLIUS *libr. VI. cap. 2. Sempiterna quædam & indeclinabilis series rerum & catena, volvens semet ipsa & implicans, per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque est.* In eandem sententiam pronunciat SENECA *de providentia cap. V.* ubi hæc leguntur verba: *Fata nos ducunt, & quantum cuique restet, prima nascentium lora disposuit. Causa pendet ex causa, privata ac publica longus rerum ordo trahit: non incidunt cuncta, sed veniunt.* Malignitatem hujus fati demonstravit JAC. THOMASIUS, *de existione mundi Stoica, dissertat. XIII. p. 166. seqq.* Fuerunt equidem viri quidam docti, qui impietatem a Stoicis avertere, eorumque placita mitigare annisi sunt, ex quibus eminent JUST. LIPSIUS, in *physiol. Stoic. libr. I. diss. XII.* & JACOB. ZIMMERMANNUS, theologus Tigurinus, qui peculiarem *exercitationem de fato Stoicorum* scripsit, quæ primum *musæo Bremensi, vol. I. part. I. p. 1. seqq.* inserta, postea vero recusa fuit in ejusdem *opusculis* junctim editis, *tom. II. part. II. p. 577. seqq.* Pertinent huc cumprimis ea, quæ *loc. cit. §. VII. p. 990. sqq.* scripsit laudatiss. vir. Sed si quis legere riteque expendere voluerit ea, quæ ex Stoicorum scriptis adnotavit vir celeb. JACOB. BRUCKERUS in *histor. crit. philos. tom. I. part. II. libr. II. cap. IX. §. XX.* & *XXI. p. 930. seqq.* facile perspiciet, Stoicos ab impietatis nota liberari haud posse.

Cæterum recentiori quoque ævo exstiterunt haud pauci, qui absolutam quandam necessitatem introducendo, omni hominem libertate spoliarunt. Referimus in hancce classem

I) BENEDICTUM DE SPINOZA, philosophum Cartesianum, religionis professione primum Judæum, tandem vero ex philosopho atheum, de quo in *adpendice* ad locum de Deo, *tomo I. loc. theolog. p. 160.* nonnulla diximus. Equidem ut fucum incautis faceret SPINOZA, verbis valde ambiguis libertatem humanam concedere videri voluit, quam tamen re ipsa negavit. Duo enim requirit ad libertatem, 1) ut actionum nostrarum habeamus cognitionem; 2) ut *ipsi velimus* eas facere. Sed per *velle* nihil aliud intelligit impostor, quam *consentire*, ut actio fiat, quam impedire haud possumus, motuumque suorum sibi *conscium esse*; quæ quidem mera est illusio. Nam & is, qui vinculis constrictus ad mortem rapitur, motuum suorum sibi conscius est, & consentit in id, quod impedire nequit, nec tamen eapropter liber dici potest. Hinc & ipse Spinoza alibi disertis verbis profitetur, se libertatem hominis prorsus negare. *In mente*, inquit, *nulla est absoluta, sive libera voluntas, sed mens ad hoc vel illud volendum determinatur a caussa, quæ etiam ab alia determinata est, & hæc iterum ab alia, & sic in infinitum.* Vid. ejus *ethicam, part. II. prop. XLVIII. p. 85.*

II) Huc quoque pertinet THOMAS HOBBIUS, vel, ut plerique pronunciant, HOBBESIUS, Malmesburiensis philosophus, qui passim in scriptis suis, speciatim in *Leviathane*, ejusmodi propugnavit principia, quæ fatalem quandam atque inevitabilem necessitatem involvunt. Gravis eapropter inter ipsum & JO. BRAMHALLUM, episcopum Derriensem, exorta est controversia, libellis quoque eristicis agitata. Scripta præcipua ex utraque parte edita, uno fasciculo comprehensa prodierunt Londini anno *MDCLVI.* hac insignita inscriptione: *the questions concerning liberty and necessity, and chance, stated and debated between D. Bramhall, Bishop of London-Derry and Th. Hobbes of Malmesbury*, 4. Edidit quoque laudatissimus BRAMHALLUS *defensionem veræ libertatis actionum humanarum ab antecedenti & extrinseca necessitate*, Londini *MDCLVI.* sermone anglicano, itemque *castigationes ultimarum Hobbesii animadversionum de libertate & necessitate* Londini *MDCLVIII.* 8. eadem lingua. Refutatus etiam fuit Hobbesius a SAM. CLARCKIO in libro, cui titulus: *demonstration of the being and attributes of God &c.* Lond. *MDCCIV.* 8. *prop. 9.* Controversiæ hujus historiam ac sententiæ Hobbesianæ summam edisserit atque erudite illustravit illustris LEIBNITIUS, in *adpend. ad theodicæam, p. 425. seqq.* Legi quoque hanc in rem meretur JAC. BRUCKERUS, in *hist. critica philosoph. tom. IV. part. II. libr. I. cap. VI. §. VIII. p. 154. seqq.* HOBBESIO haud immerito

III) adjungitur PETR. BÆLIUS, philosophus Roterodamensis. Licet enim nullibi in suis scriptis libertatem hominis diserte negaverit Bælius, sed judicium suspenderit ut scepticus, dixeritque, ex utraque sententia adesse rationes, ad quas responderi haud possit; ita tamen subinde de hocce argumento disputavit, ut

nis ſtatus non diſcernunt, ſed voluntatem hominis non ſolum ante converſionem & in converſione, ſed etiam poſt converſionem Spiritui S. ſemper repugnare ſtatuunt.

ut ab eorum ſententia, qui libertatem voluntatis humanæ deſtruunt, non procul abeſſe videatur. Nam in *dictionario hiſtorico & critico*, gallice edito, *tom. IV. voce Rorarius*, refutare adnititur argumentum, petitum a neceſſitate & uſu pœnarum, quæ ſublata arbitrii libertate crudeles forent; & *tom. III. voc. Manichéens* Manichæorum hypotheſes ita defendendas atque exornandas ſibi ſumſit, ut haud obſcure liberum ſimul arbitrium ſuſtuliſſe videatur. Lectu digna ſunt, quæ hanc ob rem contra Bælium diſputarunt viri quidam docti, ſpeciatim ISAACUS JAQUELOTUS, *dans l' examen de la theologie de Mr. Bayle, part. II. cap. II. p. 203. ſeqq.* & JO. CHRISTOPH. WOLFIUS, in *Manichæiſmo ante Manichæos, ſect. III. §. XXI. p. 405. ſeqq.* aliique. Nec

IV) prætermittendus heic eſt ANTONIUS COLLINUS, ſcriptor Anglus, eruditus quidem, ſed incredulus, qui, retento libertatis vocabulo, rem ipſam deſtruxit, inque peculiari diſſertatione, anno *MDCCXVII.* anglico ſermone primum edita, poſtea vero in linguam gallicam converſa, quæ titulum fert: *recherches philoſophiques ſur la liberté de l' homme*, comprobare adniſus eſt, *hominem eſſe agens neceſſarium, omnesque ejus actiones ita eſſe determinatas per cauſſas antecedentes, ut impoſſibile ſit, ullam actionum, quas patravit, poſſe non fieri, aut aliter fieri, aut ullam earum actionum, quas patraturus eſt, poſſe non futuram eſſe, aut aliter futuram.* Inſerta eſt hæc diſſertatio *collectioni opuſculorum quorundam* LEIBNITII, CLARCKII, NEUTONI, *& aliorum de rebus ad philoſophiam, religionem naturalem, hiſtoriam, matheſin &c. pertinentibus*, quæ primum anglice ſub titulo: *a collection of papers &c.* Lond. *MDCCXVII.* deinde vero in gallicum translata ſermonem, Amſtelod. *MDCCXX. 12.* duobus comprehenſa voluminibus, typis fuit exſcripta. Vid. *la bibliotheque Angloiſe tom. I. p 455. ſeqq.* Ita vero diſſertatio iſta COLLINI, *collectioni* modo laudatæ inſerta, ſcripta nonnullis viſa eſt, ut facile poſſet imponere animis minus circumſpectis. Unde operæ pretium ſe facturum judicavit vir celeberrimus SAMUEL CLARCKIUS, ſi eandem ſub adcuratius examen revocaret: id quod fecit, editis in eam obſervationibus, COLLINI libello in *collectione* jam commemorata, ſubjunctis. Prodierunt quoque ſeorſim laudatiſſimi viri *remarks upon a book entitul: a philoſophical Enquiry* Lond. *MDCCXVII.* 8. In Germania vero noſtra COLLINUM confutandum ſibi ſumſit JO. EBERH. RÖSLERUS, eximius quondam academiæ Tubingenſis philoſophus, qui binas edidit diſſertationes, quibus COLLINI *inquiſitiones philoſophicæ de libertate hominis ſub examen vocantur*, Tubing. *MDCCXXII.* Solet etiam, quod

V) notamus, FRANC. NICOLAO MALEBRANCHIO, philoſopho Gallo, ex patribus, quos vocant, Oratorii, aliiſque, qui ſyſtema *adſiſtentiæ*, ſeu *cauſſarum occaſionalium*, defendendum ſuſcipiunt, exprobrari, quod libertatem hominis penitus ſubruant. In hocce enim ſyſtemate non creatura, ſed *occaſione* intervenientis creaturæ Deus agere, atque immediate omnem motum, adeoque quidquid homines aut dicunt, aut cogitant, aut agunt, efficere creditur; quod ſane ejusmodi eſt, ut vix ſine impietate cogitari, nedum dici queat. Legi merentur, quæ de hocce ſyſtemate cauſſarum occaſionalium ejusque defenſoribus tum antiquioribus tum recentioribus adnotarunt b. BUDDEUS, in *inſtitut. theolog. dogmat. p. 565. ſeqq.* b. cancell. PFAFFIUS in *introduct. in hiſtor. theol. litterar. part. I. p. 336. ſeqq.* & ven. JO. GEORG. WALCHIUS, in *dem philoſophiſchen Lexico p. 2306. ſeqq.* Denique

VI) illuſtri quoque LEIBNITIO, itemque L. B. DE WOLF, aliiſque, qui eorum premunt veſtigia, objectum fuit a theologis quibusdam, eorum hypotheſes, ac ſpeciatim ſyſtema *harmoniæ præſtabilitæ*, quod adoptarunt, cum voluntatis humanæ libertate conciliari haud poſſe. Legenda, quæ ex una parte b. WEISMANNUS in *ſchediaſmatib. academic. p. 245. ſeqq.* & *p. 402. ſeqq.* & b. LANGIUS, theologus Halenſis, in *cauſſa Dei & religionis naturalis adverſus atheiſmum*; itemque in *modeſta diſquiſitione novi philoſophiæ ſyſtematis de Deo, mundo & homine &c.* Halæ *MDCCXXIII.* edita; ex altera vero parte illuſtris BULFINGERUS, in *commentatione de harmonia, animi & corporis humani maxime, præſtabilita*, Francof. *MDCCXXIII.* 8. edita, nec non WOLFIUS in *luculenta comment. de differentia nexus rerum ſapientis & fatalis neceſſitatis* &c. Halæ *MDCCXXIV.* typis exſcripta, itemque in *monito ad commentationem luculentam* &c. de hocce argumento ſcripſerunt, quod ſane maximi eſt momenti. Cadente enim libertate, cadit omnis actionum humanarum moralitas.

Reli-

CAPUT VIII.
DE OPERIBUS NON RENATORUM.

De operibus infidelium, sententia Spiritus S.

§. CIII.

Cæterum, quod superius diximus, homines nondum renatos nihil nisi peccare posse, cum hac explicatione accipiendum, sive actio illa sit vitiosa *per se*, sive propter *accidens* vitiosa fiat; id quod dicimus propter externam disciplinam & civilem justitiam (*), quam etiam non renati aliquo modo præstare & externam locomotivam regere possunt; quæ externa opera, utpote cooperire nudum, subvenire periclitanti, &c. licet in se ex genere

Reliquos auctores, qui dogma de libertate hominis singulari studio persequuti sunt, enarrarunt b. PFAFFIUS, *loc. cit. p. 327.* & JO. ALB. FABRICIUS, in *syllabo scriptorum de veritate relig. christ. cap. XVI. p. 393.*

(*) In quæstione de operibus non renatorum probe tenenda est differentia inter *virtutem*, seu justitiam *civilem*, de qua hoc loquitur GERHARDUS, & virtutem *moralem*. *Illa* non aliud habet fundamentum, quam rationem politicam, qua homo, prudens quidem, sed nondum renatus Deique amans, societatis humanæ respicit vinculum, hujusque intuitu facit τα τῆς πολιτείας, *Rom. II. 14.* *Hæc* vero est summum studium obtemperandi Deo, atque ad ejusdem præscriptum actiones suas conformandi, ex ratione conscientiæ, per lumen naturæ informatæ, vel ex verbo divino illuminatæ, itemque e motivo perfectionum divinarum, vel, quod actiones reddit excellentiores, ex motivo glorificandi Deum per Christum, seu ob beneficia in regno gratiæ nobis exhibita. Quasdam actiones infidelium ac non renatorum *civiliter* bonas esse, extra omnem litis aleam positum est. Nec penitus negari potest, gentiles edidisse subinde actiones legi naturæ conformes, certoque respectu *moraliter* bonas, e motivo perfectionum divinarum, licet rarius, profectas. Verum actiones istæ irregenitorum, ut ut certo sensu *moraliter* bonæ, longissime tamen distant a christianorum vere talium actionibus. Hæ enim fiunt ex ratione conscientiæ a Spiritu S. per verbum illuminatæ, atque e motivo Deum per Christum glorificandi.

II) & hoc notandum, maximam esse differentiam inter *virtutem* ejusque exercitationem, & *naturalem animi propensionem*, quæ ex temperamento hominis suam ducit originem. Ita verb. grat. homo sanguineus, quamvis nec de Deo, nec de legibus divinis serio cogitet, ad misericordiam atque liberalitatem erga alios exercendam naturalem habet proclivitatem, quæ aliquam virtutis habet speciem, licet inter virtutes vere tales referri haud mereatur.

III.) observandum quoque est, in omni actione, quæ adcurate cum lege convenire, Deoque placere debet, non tantum ad *materiam*, sed & ad *formam*, ut in scholis loquuntur, respiciendum esse. *Materia* actionis id ipsum est, quod lex sive præcipiendo, sive prohibendo præscribit. *Forma* vero spectat ad varias circumstantias, cumprimis ad internam animi dispositionem. Externa actionis *materialiter* spectatæ consummatio legi divinæ potest esse consentanea, licet mens hominis carnalis, motibusque vere bonis ac sanctis vacua sit, nec proinde legi divinæ pareat, *Rom. VIII. 7.* Et talis est animus hominis non renati, qui piis sanctisque motibus destitutus, veroque Dei amore vacuus est. In ejusmodi homine perversa regnat φιλαυτία, quæ ipsi est primum immo unicum agendi principium. Quidquid igitur agit, ex impuro hoc fonte promanat, si vel maxime actio externa bona esse videatur. Unde in *Augustana confessione articulo XVIII.* & ejusdem *apologia* jure meritoque damnantur pelagiani, quod statuerint, *nos sine Spiritu S. solis naturæ viribus, præcepta Dei facere posse, quoad* SUBSTANTIAM ACTUUM (nimirum *integram*, ad quam non tantum *externa* operis consummatio, sed & *interna* eaque sancta mentis dispositio pertinet): *Quanquam enim* EXTERNA *opera* aliquo modo *efficere natura possit, potest enim manus continere a furto, a cæde, tamen* INTERIORES MOTUS *non potest efficere.* Conf. JO. HÜLSEMANNUM in *manual. confess. August. p. 768. seqq.* ubi prorsus negat, posse irregenitos *quoad substantiam actus* bona opera facere, cum ad hanc non tantum *materia*, sed & *forma* pertineat. Eandem in sententiam scripsit ÆGID. STRAUCHIUS, in *consensu repetito p. 524. seqq.* qui *loc. cit.* reprehendit CONR. HORNEJUM, theologum quondam Helmstadiensem, quod in *disput. theol. part. II. disput. III. sect. 2. §. 63. p. 299.* statuerat, posse irregenitos bona opera facere, *quoad substantiam actus*, qua quidem in sententia HORNEJUS præeuntes sibi habuit alios, eosque

re actus non sint peccata, tamen per accidens fit, ut peccata sint, & Deo non placeant: nimirum, quia persona nondum est Deo reconciliata per fidem in Christum, Hebr. XI. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo*, Rom. XIV. 23. *Quicquid non fit ex fide, peccatum est*, Tit. I. 15. *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum*. Matth. VII. 18. *Mala arbor non potest ferre fructus bonos*. Deus non secundum adspectum, sed secundum veritatem judicat, cor respicit, & officia non ex actibus, sed ex mandato suo, causa vera, forma & finibus pensat. Bona ut sint, bene a bonis & bono fine fieri oportet. *Æstimatur enim bonum ex causa integra*, dicebat Dionysius. Opera illa ethnicorum etiamsi videantur speciosa, tamen, quia *non sunt a Deo facta*, Joh. III. 21. ideo in judicio Dei sunt peccata (*). Nihil Deo in nobis placet, nisi quod ipse in nobis operatur. Qui Christo veræ viti nondum insiti, salutares fructus ferre nequeunt, Joh. XV. 4. Nondum renati *sunt inimici mente in operibus malis*, Col. I. 13. *sunt oleastri*, Rom. XI. 22. *sunt filii iræ*; Joh. III. 36. quid autem ab inimicis potest offerri gratum? quis ab oleastro sperandus fructus? quid a palmite extra vitem exspectari potest? Unde de sacrificiis impiorum dicitur, *quod sint abominationes Domino*, Prov. XV. 8. Esa. LXVI. 3. Es. I. 12. *Quis hæc requisivit de manibus vestris, ipsorum orationes non audiuntur*, Esa. I. 15. *jejunia repudiantur*; Esa. LVIII. 5. nimirum, quia non ex fide, non ex corde per fidem purificato, non ex conscientia

que magni nominis theologos, veluti GERHARDUM nostrum, in *confess. cathol. libr. II. part. II. art. XXII. cap. 3. p. 1430.* LEONH. HUTTERUM, in *loc. theolog. art. XIV. de bonis oper. qu. I. p. 481.* ac complures alios. Idem sensisse deprehendimus JO. MUSÆUM, in *der Jenischen Theologen ausführlichen Erklærung etc. p. 334, 335.* & J. G. PFEIFFERUM, theologum Liphensem, in *dissert. I. de convenientia & differentia virtutum naturalium & supernaturalium*. Immo BALTHASAR MEISNERUS, theologus quondam Wittebergensis, adfirmare haud dubitavit, *virtutes gentilium vocatas consideratas* formaliter & per se *non esse peccata*, sed per se & intrinsece *bonas atque honestas fuisse*, per se *placuisse Deo, a Deo provenisse & legi divinæ fuisse conformes*. Vid. ejus *anthropol. sacr. dec. I. II. disput. XXI. qu. 14. p. 55. seqq.* Sed facile inter se conciliari possunt sententiæ nostrorum theologorum in speciem diversæ, si, quod

IV) notandum, hoc distinguamus inter bona opera *naturalia*, *civilia*, *in sensu philosophico* talia, & inter bona opera *evangelica*, *spiritualia* atque *in sensu theologico* talia. Opera gentilium legi naturæ conformia, quæ ex bonis motivis fiunt, recte dicuntur *bona* priori sensu, unde & Deus ea adprobat atque remuneratur non tantum præmio naturali, sed & subinde gratia evangelica, prout exemplo Cornelii centurionis constat *Act. X.* Nec tamen ista opera *bona* dici possunt *in sensu theologico*, cum non fiant ex gratia Spiritus S. nec a personis Deo reconciliatis per fidem in Christum, nec ex motivo Deum per Christum glorificandi, nec denique salutis æternæ præmio a Deo condecorentur. Neque eorum improbamus sententiam, qui statuunt, bona gentilium opera ab operibus bonis christianorum non *specie*, sed tantum *gradu* excellentiæ differre. Vid. illustr. BILFINGERUM in dissertat. *de cultu Dei rationali p. 10. seqq.*

(*) Sequitur hoc GERHARDUS vestigia b. LUTHERI, qui disertis verbis pronunciavit, *virtutes* gentilium non fuisse veras virtutes, sed *peccata*. Vid. ejus *opera lat. Jenens. tom. II. p. 540.* Res tota devolvitur ad notionem *peccati*. LUTHERUS peccatum dixit *actionem legi & evangelio, vel in totum, vel in tantum & aliquatenus saltim dissonem*. Hac posita definitione, non tantum bona opera, quæ fiunt ab infidelibus atque irregenitis, sed & ea, quæ a regenitis atque fidelibus fiunt, *peccata* adpellavit. Recte quidem, siquidem bonum est ex integra causa, malum ex quolibet defectu; licet vocem *peccati* ἀκυρολογως acceperit; prout non sine ratione monuit b. cancell. PFAFFIUS, in *dissertat. de sensu verborum Paulinorum: quod ex fide non est, peccatum est, p. 19.* ubi & hoc addit: „non tam presse hanc Lutheri sententiam intelligendam esse, ex eo „patet, „quia alias statuit, gentiles, qui virtutibus polluerint, salvabiles, immo salvatos fuisse. Vid. ejus *Tisch-Reden p. 544.* & „in *Genes. cap. IV.* & *IX.*„

tia bona procedunt, fiunt in vetuſtate literæ, non in novitate ſpiritus, referuntur non ad Dei gloriam, ſed ad inanem jactantiam.

Dicta veterum.

§. CIV. Hinc veteres, præſertim Auguſtinus, toties repetunt, ſine fide nulla vere bona opera fieri poſſe, omnem vitam infidelium eſſe peccatum &c (*). Auguſtinus lib. III. ad Bonif. cap. 5. *Sine fide, quae videntur, bona opera in peccata vertuntur*, quicquid enim non fit ex fide, peccatum eſt. Libr. IV. contra Julian. c. 3. *Nulla poteſt eſſe vera virtus, niſi in eo, qui juſtus eſt, juſtus autem nemo eſſe poteſt ſine fide.* Idem in tract. Pſalm. XXXI. *Ea opera, quae dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt, ita mihi videntur eſſe magnae vires & curſus celerrimus praeter viam. Nemo computet opera ſua ante fidem, ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit, non valde attendas, quid homo faciat, ſed quid, cum facit, adſpiciat.* His ſimilia ſcribit Auguſtinus lib. V. de civ. Dei c. 12. lib. XIX. de civ. Dei c. 25. epiſt. XCIX. lib. I. de nuptiis & concupiſc. c. 3. &c. Baſilius lib. II. de bapt. c. 7. *Peccator cum ſacrificat, idem facit, ac ſi mactaret canem.* Chryſoſtomus ſerm. de fide & leg. nat. tom. III. col. 901. comparat *non renatorum opera pulcris ac preciosis veſtibus defunctorum, qui earum nullum ſenſum habeant, nec calorem, vim aut emolumentum concupiant.* Hieronymus in cap. VIII. Zach. & in cap. III. Gal. *Sine Chriſto omnis virtus in vitio eſt.* Ambroſius, vel Proſper, lib. I. de voc. gent. cap. 3. *Absque veri Dei cultu, quae videntur virtutes eſſe, peccata ſunt, nec placere Deo ſine Deo ullus poteſt, qui vero Deo non placet, cui niſi ſibi & diabolo placet?* Anſhelmus in c. XIV. ad Rom. *Omnis vita infidelium eſt peccatum & ſine ſummo bono nihil bonum.* Quin ipſe Lombardus lib. II. ſent. diſt. 41. A. *Non irrationaliter a quibusdam adſtruitur, quod omnes*

(*) Hanc AUGUSTINI ſententiam, quæ multis durior viſa eſt, nonnulli eruditorum in mitiorem partem interpretari adniſi ſunt; licet diverſa id fecerint ratione. LUDOV. THOMASSINUS exiſtimat, AUGUSTINUM locutum eſſe de iis duntaxat gentilium bonis operibus, quæ ex ambitione ac ſuperſtitione ſint profecta: vid. ejus *memoires ſur la grace, mem. V. ch. XXXIII.* Alii dicunt, eo duntaxat ſenſu Auguſtinum bona infidelium opera *peccata* nuncupaſſe, quod facta non ſint ex fide & gratia Spiritus S. nec utilia ipſis fuerint ad vitam æternam, licet non negaverit, illa *materialiter* bona eſſe, quatenus legi divinæ fuerint congrua. Eſt hæc ſententia GERARD. JO. VOSSII, in *hiſtor. Pelag. libr. III. part. III. theſes. V — XI.* quam vero confutat b. cancell. PFAFFIUS in *diſſ.* modo *adlegata, p. 16. ſeqq.* qui & obſervat, ſatius eſſe dicere, *Auguſtinum, cui rhetoricum magis quam philoſophicum aut ſyſtematicum fuit ingenium & acumen, ſibimet haud conſtitiſſe, atque mox virtutes veras gentilibus tribuere, mox denegare.* Loca quoad *poſterius* ſupra adduxit GERHARDUS. Quod vero ad *prius* attinet, loca huc ſpectantia collegerunt CORNEL. JANSENIUS in *Auguſtino, tom. II. libr. IV. cap. V. p. 220. ſeqq.* HENR. NORISIUS, in *vindiciis Auguſt. p. 29.* HONORATUS TOURNELY, *de gratia Chriſti, prælect. theolog. tom. II. part. II. p. 381. ſeqq.* cumprimis vero FRANC. BALTUS, Jeſuitarum ſodalitati adſcriptus, in opere Argentor. *MDCCXIX.* typis exſcripto, cui titulus: *jugement des SS. Péres ſur la morale de la philoſophie Payenne, livr. III. ch. V.* Cæterum paucis notamus, duriorem iſtam AUGUSTINI ſententiam, quod gentium virtutes ſint peccata, a concilii Tridentini patribus fuiſſe repudiatam, *ſeſſ. VI. can. 7.* atque a pontificibus Romanis in BAIO, JANSENIO & QUESNELLO damnatam. Quod ad noſtræ eccleſiæ doctrinam attinet, *formula concordiæ art. IV. p. 700. edit. Rechenberg.* opera bona irregenitorum *peccata* quidem nuncupat, mox tamen hancce adſertionem limitat additque, *hoc eſt peccatis contaminata.* Admittit proinde, boni quiddam in iis eſſe, licet contaminatum. Rejecerunt quoque hanc ακυρολογιαν AUGUSTINI illuſtris LEIBNITIUS in *theodicææ part. III. p. 283.* WOLFIUS, in *orat. de Sinarum philoſophia practica variis illuſtrat. p. 95. not. 182.* C. M. PFAFFIUS in *diſſert.* modo adlegata, *p. 18. ſeqq.* itemque in diſſ. *de habitu luminis naturæ ad ſalutem, §. IV. p. 12. ſeqq.* Add. b. CANZIUM *de uſu philoſoph. Leibnitianæ ac Wolf. in theolog. part. I. cap. V. §. 10. & 11. p. 289. ſeqq.*

omnes actiones & voluntates hominis sine fide malae sint, quae fide habita bonae existunt.

§. CV. Sed aperta illa veritas, quod omnia infidelium opera sint peccata, a censura Colonienſi dicitur *dura, παράδοξος, crudelis*, nec probatur Bellarmino, ideo lib. V. de grat. & lib. arb. c. 9. disputat, *posse aliqua bona opera ab infidelibus fieri sive cum auxilio Dei speciali, sive solis naturae viribus.* I.) *Scriptura testatur, Deum remunerari quaedam opera gentilium, utique ergo non sunt mala, alias supplicium, non remuneratio illis deberetur.* Resp. externa obedientia externa remuneratione pensatur. Actiones illae infidelium *civiliter* bonae sunt, ideo, ut societas humana conservetur, temporali benedictione a Deo remunerantur, sed ex eo non efficiuntur vere & *spiritualiter* coram Deo bonae. II.) *Quaedam scripturae indicant, infideles facere aliqua bona opera, ut salutare fratres*, Matth. V. *facere, quae sunt legis*, Rom. II. Resp. dicuntur *bona* vel secundum *adparentiam* tantum, vel quia *subſtantia* operis in se *bona*, licet subjecto, objecto, fine & aliis circumstantiis sint mala. Idem judicium de dictis patrum. Rationes Bellarminus addit itidem duas. 1.) *Nulla potest dari ratio, cur opera infidelium semper sint peccata, cum fiant quandoque propter Dei gloriam, nec vitientur a sua causa.* Resp quomodo opera sua ad veri Dei gloriam dirigunt, quibus verus Deus est incognitus? Nullus alius est verus Deus, quam Pater Domini nostri Jesu Christi. Quomodo illorum opera non erunt immunda & inquinata, quorum cor est immundum? quomodo opera eorum Deo placere possunt, qui ipsi Deo displicent? persona nondum Deo reconciliata per fidem in Christum, non possunt vere bona opera Deo grata fieri. 2.) *Si nullum opus bonum fieri posset ab infidelibus, melius esset, illos mala, quam bona opera facere.* Resp. minime vero, quamvis enim actiones moraliter & civiliter bonae coram Dei judicio non sint vere bonae, sed peccata, tamen ad conservandam civilem societatem a non renatis eas Deus exigit, delinquentes puniendo, obedientes praemiis adficiendo,

Antithesis.

§. CVI. Cap. X. conatur Bellarminus fundamenta sententiae nostrae subvertere. I.) *Dictis illis, quae probant, sacrificia impiorum Deo non placere*, hoc obvertit, *quod multum interſit inter sacrificia & opera moralia, cum ad illa requiratur peccatorum detestatio & conscientia pura, quae ad haec non requirantur.* Resp. imo ad opus vere bonum & Deo placens itidem requiritur peccatorum detestatio & conscientiae puritas, quomodo enim purum erit, quod ex impuro fonte profluit? *Finis praecepti caritas ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta*, 1. Tim. I. 5. *Ergo* ubi cor nondum purificatum & conscientia emundata per fidem in Christum, non proficiscitur opus ex tali caritate, qualem lex requirit. II.) Quando Spiritus S. dicit, *omne figmentum cordis esse malum*, id Bellarminus explicat *de majori parte hominum istius seculi.* Resp. ostendimus suo loco, proponi in hoc dicto egregiam peccati originalis descriptionem; neque enim universales solummodo particulae *omne figmentum & omni tempore*, sed etiam exclusiva *tantum* diserte a Spiritu S. usurpantur, quas non patiemur sophisticis nebulis involvi. III.) *Arbores malas non posse facere fructus bonos*, ita eludit Bellarminus, ut dicat, *arborem malam ferre quidem ordinarie & ut plurimum fructus malos, interdum tamen etiam aliquos bonos fructus.* Resp. negativa Christi satis perspicua est & diserta, non potest arbor mala fructus bonos facere; jam vero non renati sunt malae arbores, quamvis enim bona quaedam naturae obtineant, tamen ea sunt per peccatum vitiata & corrupta. Ideo ex illis nihil nisi vitiatum, corruptum & immundum proficisci potest. IV.) *Homo quidem ante regenerationem est caro, interim non cogitur in omni opere carni obedire.* Resp. quicunque totus est caro, illius omnia opera ex vetustate carnis procedunt, quomodo enim ageret quaedam non carnalia, qui totus carnalis est, nulla adhuc sui parte per Spiritum S. renovatus? V.) *Opera pietatis & salutis non possunt quidem sine gratiae adjutorio effici, interim opera moralia.* Resp. verissime, interim ipsa illa moralia opera sunt coram Dei judicio peccata, neque

Exceptiones Bellarmini.

neque quicquam meriti obtinent ad gratiam conversionis impetrandam. VI.) *In dicto apostolico:* quicquid non fit ex fide, peccatum est, *nomine fidei intelligitur non salvifica fides, sed conscientiae testimonium.* Resp. Augustinus disserte & perspicue de fide salvifica accepit (*), cujus explicatio nullam omnino vim textui facit, quia certitudo illa conscientiæ locum non habet absque fide, siquidem ea sola ductum prælucentis verbi sequens, nostram conscientiam plene confirmat, ut sciamus, quid Deo placeat, quid displiceat, quicquid ex hac fide non provenit, Deo placere nequit. Ideo quoque opera, quæ non fiunt ex fide, sunt peccata, quia nunquam tam pura & perfecta sunt hominis opera, ut summam illam perfectionem in lege præscriptam adsequantur; ideo autem renatorum opera Deo placent, quia ex fide proficiscuntur, quia per fidem persona Deo reconciliata, quemadmodum parens filii obedientiam ratam & gratam habet, inde & ideo, quia a filio proficiscitur. Ipsa glossa ordinaria ex h. l. colligit, omnem vitam infidelium esse peccatum. VII.) *Infidelibus nihil esse mundum, accipiendum est de cibis, non de operibus.* Resp. diserte addit apostolus, *quia inquinatae sunt eorum mens & conscientia:* quemadmodum igitur inde & ideo ipsi cibi (qui tamen ex lege Dei inter mundos censentur) infidelibus sunt immundi, quia ipsorum mens & conscientia inquinata: ita quoque opera illa moralia, quæ faciunt, (quæ tamen ratione externi operis cum lege congruunt) sunt immunda & inquinata, quia mens & conscientia ipsorum est immunda, nondum scilicet per Spiritum S. renovata. VIII.) *Sine fide impossibile est placere Deo, ut quis Dei amicus efficiatur, interim ut ipsa natura humana placet Deo, ita quoque opera ex bonitate naturae facta.* Resp. quemadmodum natura ipsa ratione substantiæ bona est, interim per peccatum contaminata, infecta & corrupta, quo respectu non solum non placet Deo, sed etiam damnatur; ita opera moralia ex bonitate naturæ facta ratione actus sunt bona, interim propter adhærens peccatum non sunt vere bona, nec Deo placent. Reliqua scripturæ dicta, quæ Bellarminus nobis tribuit, ad alium pertinent locum,

(*) Non tantum AUGUSTINUS *libr. IV. contra Julianum cap. III.* sed & PROSPER, FULGENTIUS, LEO M. GREGORIUS M. aliique ex antiquis ecclesiæ doctoribus, adlegati a NORISIO in *vindic. August. cap. IV. §. V. p. 74. seqq.* locum Paulinum *Rom. XIV. 23.* de fide salvifica exposuerunt. Quorum vestigia secuti sunt ex cœtus Romani doctoribus JANSENII sectatores; ex Reformatis SAM. MARESIUS, refutatus a CURCELLÆO, in *dissertat. de necessitate cognitionis Christi §. XVI.* ex nostris vero LUTHERUS in *glossa marginali ad h. l.* JO. HÜLSEMANNUS, ABRAH. CALOVIUS ac complures alii.

Non defuerunt tamen alii interpretes, qui vocabulum πίστις a Paulo *loc. cit.* usurpatum, non de fide in Christum, sed de *conscientia certa & recta*, cui opposita est *dubia* atque *erronea*, accipiendum esse censuerunt, ut hic verborum emergat sensus: illum graviter peccare, qui aliquid agat, de quo tamen dubitet, num opus suum voluntati divini numinis respondeat, eidemque probetur. Ita vocabulum *fidei* multi ex patribus tam græcis, quam latinis interpretati sunt, veluti AMBROSIUS, CHRYSOSTOMUS, THEODORETUS, THEOPHYLACTUS, OECUMENIUS, RABANUS MAURUS, Moguntinus antistes, alii, quibus ex doctoribus Scholasticis PETR. LOMBARDUS, ex recentioribus vero PHIL. MELANCHTON *oper. tom. IV. p. 411.* BEZA, CASTALIO, GROTIUS, CALIXTUS, RICH. SIMONIUS, HAMMONDUS, CLERICUS, LANGIUS, PFAFFIUS, SCHOETTGENIUS, HEUMANNUS, aliique sunt suffragati. Jungi iisdem meretur illustris WOLFIUS, in *horis subsec. ann. MDCCXXXI. trim. brum. p. 109. seqq.*

Atque hæc posterior interpretatio priori omnino præferenda est, siquidem scopo, quem sibi præfixit apostolus, totique contextui prorsus est consentanea. Licet negare nolimus, verba apostoli, quæ directe non agunt de fide salvifica, ad eandem tamen haud incommode adplicari posse; prout uberius ostendit b. BUDDEUS in *theol. morali, cap. I. sect. III. §. 20. p. 56.* Cæterum conferri heic meretur b. cancell. PFAFFII erudita differt. supra jam laudata *de sensu* hujus *oraculi Paulini*, anno *MDCCXXXVII.* Tubing. edita.

cum, nec immediatè illud probant, ad quod probandum adducuntur.

§. CVII. Cap. XI. respondet dictis patrum, *quæ explicanda esse*, dicit, vel *de bonis operibus, quae ad salutem pertinent, qualia ab infidelibus fieri nequeunt*; vel *de bono opere, quod ad malum finem refertur, aut certe, quod est peccatum largo modo, quia non habet omnem perfectionem, quam habere posset*; vel *de operibus ratione tentationum, quae vel adsunt vel adessent, nisi Dei protectio & singularis providentia vigilaret.* Resp. veteres diserte dicunt, opera infidelium non solum non prodesse eis ad salutem, sed etiam non esse vere bona, nimirum quia carent debita perfectione omnium causarum respectu; neque dicunt, homines non renatos utplurimum peccare, sed non posse aliter, quam peccare, sive actiones illæ in se se, sive propter aliud sint peccata. Quantum hoc abest a merito *congrui*, tantopere a Scholasticis deprædicato, a dispositionibus ad gratiam, a possessione salutis æternæ, quam Andradius & alii infidelibus promittunt? Cap. XII. respondet argumentis ex *ratione* ductis, quibus non multum tribuimus, contenti scripturæ dictis, quæ totum hominem per peccatum corruptum esse, nec rationem ab ista corruptione immunem esse manifeste testantur; quæ ergo de *seminibus virtutum*, de *bono naturae*, de *praemiis virtutum &c.* Bellarminus disputat, illud saltem probant, quod externam locomotivam non renati utcunque regere possint, & civilem honestatem sectari, sed eam coram Deo non esse peccatum, id est, peccato contaminatam, nondum evincunt.

CAPUT IX.

DE LIBERTATE ARBITRII POST LAPSUM RELIQUA, ITEMQUE DE USU HUJUS DOCTRINÆ.

Consideratio libertatis ratione objectorum.

§. CVIII. Ceterum, ut eo melius intelligatur, quo sensu & respectu in superioribus libertas arbitrii a nobis negata sit, placet coronidis loco distinctius hac de re agere. Versamur (uti dictum) in consideratione libertatis, quæ æstimatur respectu *objectorum*: Ut ergo cognoscamus, quæ & qualis libertas arbitrii in homine reliqua manserit, distinguamus objecta. *Objectum* liberi arbitrii aut est *mundanum* seu *humile*, quod subjacet sensibus & rationi humanæ, nec excedit ejus captum, nec opus habet lumine supernaturali: aut est *spirituale* sive *sublime*, quod rationem superat, & vires naturales excedit, & indiget illuminatione Spiritus. Duplex inde nascitur actionum genus, quorum alterum ad vitam *mundanam*, alterum ad *spiritualem* pertinet.

§. CIX. *Prius* rursus geminum est, & spectat ea, tum quæ ad vitam *animalem* stricte acceptam, tum quæ ad *humanam* vitam pertinent. *Illius* sunt, quæ nobis cum brutis communia, & ad vegetantem, sentientem ac locomoventem potentiam pertinent: *hujus* vero, quæ propria sunt hominum, & ad vitam humanam pertinent, uti artes omnes tam mechanicæ, quam liberales, virtutes morales, scientiæ philosophicæ &c.

§. CX. *Posterius* genus, quod ad *spiritualem* & divinam vitam spectat, continet ea, quæ ad regnum Dei ac vitam christianam ordinata sunt, atque itidem duplices inde nascuntur actiones: aut enim *externae* sunt, seu circa religionis exercitium externum versantur, ac in oculos & sensus exteriores incurrunt, quales sunt verbum Dei audire, legere, templum accedere &c. aut *internae* & spirituales, Deoque vere placentes, ut sunt adsentiri evangelio, vere Deum cognoscere, secundum Spiritum vivere &c.

§. CXI. Exceptis *posterioris* generis spiritualibus actionibus, in reliquis omnibus aliquam arbitrii libertatem in homine superesse dicimus, quod præter experientiam comprobat apostolus, *quando gentes ea, quae legis sunt Φύσει*, hoc est, *naturalibus viribus*, sine spiritus renovatione, *facere* dicit, Rom. II. 14. (ubi observa, quam adcurate apostolus loquatur: non dicit gentes facere legem, & præstare legi obedientiam perfectam: sed facere ea, quæ sunt legis, hoc est, quæ cum externis operibus a lege man-

datis quodammodo consentiunt) item quando dicit, se etiam ante renovationem *secundum justitiam, quae est in lege, conversatum sine querela.* Phil. III. 6. Et Augustinus lib. V. de civ. Dei cap. 15. recte disputat, *Deum externam disciplinam etiam in non renatis remunerari temporalibus praemiis.*

§. CXII. Atque hoc discrimen inter objecta liberi arbitrii adcurate notandum est, unde etiam Augustana confessio art. XVIII. illud diserte exprimit his verbis: *De libero arbitrio docent,* (ecclesiæ nostræ) *quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & deligendas res rationi subjectas, sed non habet vim sine Spiritu S. efficiendae justitiae Dei seu justitiae spiritualis, quia* animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, *sed haec fit in cordibus, cum per verbum Spiritus S. concipitur.* Et postea: *Damnant Pelagianos & alios, qui docent, quod sine Spiritu S. solis naturae viribus possimus Deum super omnia diligere: item praecepta Dei facere quoad substantiam actuum. Quanquam enim externa opera aliquo modo efficere natura potuit: potest enim continere manus a furto, caede: tamen interiores motus non potest efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, patientiam &c.*

§. CXIII. Hanc ipsam distinctionem proponit Augustinus lib. III. hypogn. *Esse fatemur omnibus hominibus liberum arbitrium, habens judicium rationis, non quod sit idoneum, ea, quae ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut peragere, sed tantum in operibus vitae praesentis.* Quæ vero illa sint, declarat postea: *Et bona, quae de bono naturae oriuntur, ut velle laborare in agro, velle bibere & manducare, velle habere amicum aut indumenta, velle fabricare domum, ducere uxorem, nutrire pecora, discere artem, & quicquid bonum ad praesentem pertinet vitam: & mala, ut velle colere idolum, facere homicidium vel adulterium, res alienas diripere, Deum blasphemare, turpiter vivere, maleficium discere, inebriari, luxuriose vivere, & quicquid operari vel non licet, vel non expedit.* Id. de fide ad Petrum c. XXXII. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sancta legis & evangelii, sive legere, sive ex ore cujusdam praedicatoris audire, sed ut, quod audit corpore, percipiat etiam corde, & mandata Dei facere velit, nemo potest, nisi quem Deus gratia sua praevenerit, data divinitus bona voluntate atque virtute.*

§. CXIV. Agnoscendæ autem reverenter hæ qualescunque libertatis in homine post lapsum reliquiæ, quod cum natura humana per lapsum veris illis donis intellectus sit spoliata, Deus tamen aliquid suorum donorum in mente reliquum esse voluerit, unde quod & qualis sit Deus, cognosci, atque externa illa pædagogia in Christum locum habere posset, quæ in diabolis non est. *Intuere moriones, phreneticos, maniacos & similes, videbis, quam ingens bonum sit, quod etiam non renatis usus rationis conceditur.* Chemnitius p. I. loc. de lib. arb. c. 2. *Quo fine aliqua libertas in homine manserit.*

§. CXV. Notanter autem additum fuit, *aliquam libertatem arbitrii in externis illis actionibus, in operibus vitae praesentis* (ut loquitur Augustinus) *in civili justitia & exercitiis carnis* (ut loquitur apologia August. confess.) *supereesse:* quia impedimenta satis multa sunt, quæ libertatem illam non mediocriter remorantur, eaque tum externa tum interna. *Impedimenta libertatis adhuc reliquæ.*

§. CXVI. *Externa*, vel in classem *efficientis* vel *objecti* referre possumus. *Prioris* generis impedimenta externa sunt duo: *primo* Deus ipse manu providentiæ suæ potenti, qua res humanas ut reliqua omnia dirigit, voluntatum humanarum cupiditates cohibet, ut quo velint pervenire, semper non possint. *Sic in naribus Sennacheribi ponit circulum, & frenum in labiis ejus, & reducit eum in viam, per quam venit.* Esa. XXXVII. 29. *Ieroboamum inhibet, ut manum extensam retrahere nequeat.* 1. Reg. XIII. 4. Disponit Dominus, tantum proponere nostrum est. Jer. X. 23. *Non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambu-* *Externa.*

ambulet, & dirigat greſſus ſuos, hoc eſt, irrita ſunt conſilia & conatus hominis, niſi a Deo juventur & gubernentur. Eventus ſemper in Dei manu politus: hinc Jac. IV. 13. 15. reprehenduntur, qui dicunt: *Hodie aut cras ibimus in civitatem, & non addunt, ſi voluerit Dominus.*

§. CXVII. *Alterum* externum impedimentum in claſſe efficientis eſt tyrannis diaboli, *qui eſt efficax in filiis incredulitatis*, Eph. II. 2. *a quo captivi tenentur homines reprobi ad ipſius voluntatem.* 2. Tim. II. 26. Quinimo etiam apoſtolus *feſtinavit videre faciem Theſſalonicenſium cum multo deſiderio* 1. Theſſ. II. 17. *ſed impedivit eum ſatanas* v. 18. Externum impedimentum in claſſe *objectorum* eſt moles illa negotiorum & periculorum, quæ varias remoras mentis judicio & voluntatis electioni ſæpe injicit. Varia illa ac multiplex negotiorum turba facit, ut quis

—— animum nunc huc nunc dividat illuc, in partes rapiat varias, perque omnia verſet.

Interna. §. CXVIII. *Interna* impedimenta libertatis itidem duo ſunt: I.) Infirmitas intellectus & voluntatis, quia ipſæ illæ naturales vires adhuc reliquæ in mente & voluntate hominis miſere ſunt infirmatæ, ac languor ille & ſtupor virium animæ, peccato originali maxime debilitatarum, varia ac multa humanæ voluntati impedimenta objicit. Hinc in conſiliis ſæpe erramus, etiamſi omnes ingenii nervos intendamus, & bonum finem propoſitum habeamus. Prov. XX. 24. *A Domino dirigentur greſſus viri, & quomodo homo intelliget viam ſuam?* quo dicitur, habet quidem mens humana reliquum illud donum electionis in rebus civilibus, ſed quomodo homo poteſt omnia proſpicere & cavere, ne hallucinetur in electione? II.) Vehementia atque impetus adfectuum ſæpe tantus eſt, ut inſtar torrentis voluntatem ſecum abripiant, & judicium rationis intervertant, & tunc

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Hinc illud Medeæ:

—— —— —— Aliudque cupido,
Mens aliud ſuadet: video meliora, proboque;
Deteriora ſequor. —— —— ——

Hinc etiam philoſophus diſputat, VII. eth. 3. *quod homines ſæpe faciant ea, quae ſciunt eſſe vitioſa.*

Uſus doctrinæ de impedimentis libertatis. §. CXIX. Atque hæc doctrina de impedimentis libertatis etiam in externis actionibus eo fine traditur, ut, cum videmus diſciplinam externam tam mutilam, mancam & infirmam eſſe, deploremus naturæ corruptionem, nec qualemcunque illam externam obedientiam opponere audeamus judicio Dei, exemplo Judæorum, de quibus apoſtolus Rom. X. 3. dicit, quod *quaeſierint propriam juſtitiam ſtabilire*, ubi *ſtabiliendi* voce infirmitas ejus notatur, quod enim in ſe vacillat ac labaſcit, ſtabilimento opus habet: ſed irritus iſte conatus altero verbo exprimitur, quæritur enim hæc ſtabilitio, non obtinetur. Deinde etiam in moribus regendis ſimus diligentiores, & auxilium divinum ardentius imploremus, quo actiones noſtræ non tantum in ſpiritualibus, verum etiam in illis externis rebus, quæ ſenſui & rationi ſubjectæ ſunt, a Deo gubernentur, ne errore incidamus in tragica & inextricabilia mala: ſi qua etiam inciderint errata, ea ſanari petamus.

Uſus doctrinæ de ἀδυναμίᾳ virium in ſpiritualibus. §. CXX. Porro, quæ de ἀδυναμίᾳ ad efficiendos vel inchoandos ſpirituales motus in converſione diximus, eo ſpectant, *primo*, ut aliquo modo agnoſcamus magnitudinem beneficiorum Filii Dei mediatoris, cujus gratia non ſolum in merito, ſed & adplicatione cœleſtium theſaurorum ſumme nobis neceſſaria. Utut offerantur nobis in verbo cœleſtes theſauri, morte noſtri mediatoris parti, tamen, niſi Deus in nobis illud operetur, manum fidei ad eos extendere non poſſumus. Auguſtinus ep. CVII. *Prorſus non oramus Deum, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos, non ipſum putamus facere, quae oramus: prorſus non gratias agimus Deo, ſed agere nos fingimus, ſi unde illi gratias agimus, ipſum facere non putamus.*

§. CXXI. *Deinde* confert hæc cognitio ad humilitatem, ut, quando ſentimus tales quosdam motus, ſanctam cogitationem, bonum propoſitum,

fitum, pium desiderium &c. ne de nostris viribus vel conatibus gloriemur; sed agnoscamus, esse gratuitum donum operantis Spiritus S., ut illi gratias agamus, *a quo reddimur idonei cogitare aliquid*, 2. Cor. III. 5. *qui operatur in nobis velle*, Phil. II. 13. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 1. Cor. IV. 7. Cyprianus lib. III. ad Quirin. *In nullo gloriandum, quia nihil nostrum est*, quod dictum Augustini sæpe repetit.

§. CXXII. *Praeterea* confert ad fiduciæ incrementum. Possumus enim nos in imbecillitate carnis, imo in rebellione legis peccati, quod est in membris, hac consolatione erigere, quia non caro nostra, sed Spiritus S. incepit illud bonum opus; ergo etiam idem perficiet, Phil. I. 6. Augustinus (vel quicunque alius auctor) de dogm. eccles. cap. VI. *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem sibi nos illi ex parte & nobis ex parte committimus.*

§. CXXIII. *Ad haec* confert ad securitatem excutiendam, ne reddamur securi, quando initia fidei, dilectionis, pœnitentiæ &c. habemus, quasi non possimus ea amittere, sed nostris viribus tueri & augere: sed eo tenacius inhæreamus invocationi, *quia non ex viribus nostris possumus elicere, quod deest in bonis spiritualibus, vel illud, quod accepimus, tueri, sed per illum possumus, sine quo nihil possumus.* Augustinus *loc. cit.* cap. XVII.

§. CXXIV. *Denique* confert ad excitandam diligentiam in tuendis donis divinis, ut cogitemus, si talia dona effundimus, ut in terram suffodimus, non nostræ naturæ injuriam nos facere, sed ipsi Spiritui S., qui in nobis conversionem operatur. Augustinus *loc. cit.* cap. XXXII. *Deus agit in nobis, ut, quod vult, velimus & agamus, nec otiosa esse in nobis patitur, quae exercenda, non negligenda donavit; ut nos cooperatores simus gratiae Dei, ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad eum sollicite recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & jussit orare:* ne nos inducas in tentationem.

Ejusdem abusus.

§. CXXV. Non autem ad alendam desidiam hac doctrina abutamur, ut cogitemus: secura & otiosa voluntate exspectabo, donec conversio & renovatio operatione Spiritus S. juxta omnes gradus in me fuerit absoluta, quia Spiritus S. ut velimus, in nobis sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: non autem potest in puncto aliquo mathematico ostendi, ubi voluntas incipiat agere, sed quando gratia præveniens prima initia fidei & conversionis homini confert, statim incipit lucta carnis & spiritus, atque illa lucta non fit sine motu nostræ voluntatis: ac voluntas liberata non est otiosa, sed novis illis donatis viribus efficax est.

Conversio non fit in puncto mathematico.

§. CXXVI. Nimirum conversio ac renovatio non est talis mutatio, quæ uno momento statim omnibus suis partibus perficiatur ac absolvatur, sed habet sua initia, suos progressus, quibus in magna infirmitate perficitur. *Fiunt*, inquit Augustinus lib. I. ad Simpl. q. 2. *in conversione inchoationes similes conceptioni, non tamen solum concipi, sed & nasci opus est, nihil tamen horum sit sine gratuita Dei misericordia.*

§. CXXVII. In principio desiderium est obscurius, adsensio languidior, obedientia tenuior, & illa dona oportet crescere. Crescunt autem in nobis, non sicut lilia agri, sed conando, luctando, quærendo, petendo, pulsando, & *hoc non ex nobis, Dei donum est. Habenti dabitur*, dicit salvator Matth. XIII. 12. Qui minima quæque dona spiritualia a Deo accepit, grata mente agnoscat, petat, ea augeri, nullas negligat occasiones in pietate proficiendi, ita dabitur ei, ut sit abundantior: sed non habenti, id est, qui ita se gerit, ac si nihil a Deo accepisset, ei auferetur, quod habet. Qua de re Chemnitius in jud. de controv. quibusdam q. p. 63. sic scribit: *Quia conversio secundum omnes sui partes non statim aut uno momento absolvitur, non dicendum est, voluntatem debere otiosam & pure passivam esse, donec sentiat absolutam esse conversionem; aut quia conversio & renovatio est opus Dei, fidem non debere curare, an fiat vel facta sit,*

sit, sed debere Deo committere, qui opus suum poterit efficere &c. Sed cum prima initia conversionis per Spiritum S. nobis donantur, statim oritur lucta carnis & spiritus, quam manifestum est, fieri non sine motu voluntatis nostrae, & haec συνεργία voluntatis non veteris, sed quae cœpit renovari, & initia illa in magna infirmitate crescunt & augentur, non sine motu nostrae voluntatis, illa autem συνεργία semper pendet a Dei gratia, &c.

CAPUT X.
QUOD CONTINET
EXPLICATIONEM DICTORUM QUORUNDAM SCRIPTURÆ ET QUÆSTIONUM DE LIBERO ARBITRIO, NEC NON ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΝ HUIUS LOCI.

§. CXXVIII.

Ex hoc fundamento multa possunt dexterius intelligi & dijudicari. Luc. XI. 13. dicit Christus: *Pater cœlestis dabit Spiritum S. petentibus*, & tamen 1 Cor. XII. 3. expresse dicit apostolus, quod *nemo possit dicere Dominum Iesum* (videlicet ex vera fide cordis, non tantum professione oris) *nisi per Spiritum S.*, is solus est *Spiritus precum*, Zach. XII. 10. *docet nos orare*, Rom. VIII. 26. quomodo ergo intelligendum Christi dictum? *Resp.* loquitur Christus non de prima scintilla fidei & primis motibus salutaribus, quasi primum illud initium fidei queamus precibus a naturalium virium arbitrio profectis & absque Spiritu profusis antevertere; sed de acceptorum Spiritus S. donorum incremento, quod petendo, quærendo, pulsando impetrandum, ac vult docere, non esse sensibiles ac violentos motus exspectandos, ut de præsentia Spiritus S. statuere possimus, sed quando adest desiderium, etiamsi vix obscuris gemitibus se exserat, tamen certos nos esse debere, adesse Spiritum S., ideoque ejus uberiorem gratiam implorandam.

§. CXXIX. Sic Gal. III. 14. *promissio Spiritus accipi* dicitur *per fidem*, non quasi fides ex nostri arbitrii viribus primum emergat, per quam postea participes reddamur inhabitationis Spiritus S., sed apostolus vult dicere, quod efficacia Spiritus exserat se per verbum. Tunc fide accipimus Spiritum S. quando audimus & meditamur vocem evangelii: fide accipimus promissionem Spiritus, & tamen ex auditu per operationem Spiritus S. est fides. Spiritus S. hominem audientem verbum forinsecus primum adgreditur, & per auditum evangelii efficaciter in eo operatur, deinde per accensam fidem incipit habitare in ipsius corde. Christus tanquam sponsus animæ nostræ per Spiritum suum voluntatem nostram sibi conciliare ac devincere conatur, ut mystica illa desponsatio fiat, de qua Hos. II. 19. & alibi.

§. CXXX. Hinc dijudicari possunt quæstiones: *an homo in conversione habeat se pure passive, an habeat se sicuti lapis & truncus* (*), *an convertatur repugnans &c?* Qua de re ex verbo Dei & veritate sic statuendum: non adfert homo ex penu suarum naturalium virium aliquam facultatem ἐνεργητικὴν ad spirituales illos motus in conversione: interim tamen renovatio illa non ita recipitur, velut lapis aut cera aliquam impressionem recipit: *sed Deus operatur in nobis velle* Phil. II. 13. Hinc Augustinus de corrept. & grat. cap. XIV. *Deus trahit homines suis ipsorum voluntatibus, sed quas ipse operatus est*, & de grat. & lib. arb. cap. XVI. *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus, de quo dictum est:* Deus est, qui operatur in nobis velle.

An homo in conversione habeat se pure passive.

§. CXXXI. Est quidem *cor hominis* ante conversionem *lapideum*; Ezech. XXXVI. 26. interim tamen non est cogitandum, quod conversio

(*) Vid. *formulam concordiæ art. 2. p. 661, 662, 672, 673.* edit. Rechenb. ubi mox dicitur, hominem se ut truncum habere in negotio conversionis, immo deteriorem esse trunco, mox vero negatur. Est scilicet homo irregenitus truncus in spiritualibus, quatenus ad suam conversionem nihil prorsus conferre potest; sed truncus non est, quatenus gratiæ divinæ potest resistere.

sio hominis sit coacta & violenta, quasi voluntas bruta agitatione percellatur & protrudatur, sicut lapides provolvuntur, aut sine omni motu fiat, sicut arreptitii oracula olim fundebant: sed docetur his & similibus phrasibus, in homine nullas ne modiculas quidem vires naturales superesse, quibus sui conversionem operari possit.

An habeat se ut lapis ac truncus.

§. CXXXII. Etsi proinde eo, quo dictum est, respectu, voluntas hominis sit subjectum, mere παθητικὸν, καὶ ἐνεργητικὸν, & lapidi recte conferatur; quia tamen homo voluntate sive vi volendi præditus est, in quam tanquam subjectum cadere potest externa conversionis gratia, inde adparet, hoc respectu eum a lapide differre, quippe qui conversionis capax non est.

§. CXXXIII. Id vocant quidam capacitatem *passivam*, quidam aptitudinem παθητικὴν, (qua voluntas non se ipsam convertere, sed tantum ab alio converti potsit) quidam *essentialem* potentiam animæ, quidam liberum arbitrium. Unde Lutherus tom. I. f. 236. *Patres quando liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus praedicant, quod scilicet verti possit ad Deum per gratiam, & fieri revera liberum, ad quod est creatum.* Pulcre Augustinus ep. CVII. ad Vitell. *Si vere volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, unde sit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, qua ad declinandum a malo & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum.*

§. CXXXIV. Quin & respectu quodam voluntas hominis ante conversionem se deterius habet lapide vel trunco, quia lapis artifici non repugnat, sed φρόνημα σαρκὸς *est inimicitia adversus Deum*, Rom. VIII. 7. *& lex in membris repugnat legi mentis*, Rom. VII. 23. *ideoque νόημα intellectus captivandum sub obsequium Christi*, 2 Cor. X. 5. *& nemo venit ad Christum, nisi Pater cœlestis traxerit eum.* Joh. VI. 44.

§. CXXXV. Observa tamen vicissim, non esse fingendi *tractum violentum*, quasi trahantur ad Christum etiam illi, qui vocanti Deo contumaciter & pertinaciter obsistere atque obluctari perseverant, tales enim *repellendo sermonem se indignos judicant vita aeterna.* Act. XIII. 46. Sed Deus mediante prædicatione & auditu verbi per Spiritus virtutem voluntatem hominis flectit, & ex nolente volentem, consentientem & obedientem efficit; verbum enim est illud rete ac verriculum, per quod Deus trahit: Matth. XIII. 47. quod cave, eo sensu accipias, ac si in verbo tantum ostendat, quid fieri velit, sed requiritur insuper interior efficacia, qua mens illustretur, & voluntas flectatur. Bernhardus serm. II. sup. Cant. *Trahe (Deus) voluntatem quodammodo invitam, ut facias voluntariam, trahe torpentem, ut reddas currentem.*

§. CXXXVI. Dixerat Pelagius, *gratiam adjuvare bonum cujusque propositum, non tamen reluctandi studium virtutis immitti.* Respondet Augustinus lib. IV. contra duas epistolas cap. 6. *Posset bene intelligi, si non ab istis, quorum sensus notus est, diceretur: reluctanti enim prius aditus divinae vocationis ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante Spiritus virtutis accenditur.*

§. CXXXVII. Dixerat Ambrosius lib. II. de voc. gent. c. 9. *Quod gratia a multis refutatur, ipsorum est nequitiae: quod autem a multis suscipitur, & gratiae est divinae & voluntatis humanae.* Sed recte ibidem se explicat. *Ipsa enim gratia* (inquit) *hoc omni genere medendi & auxiliandi agit, ut in eo, quem vocat, optimam sibi receptricem & famulam donorum suorum praeparet voluntatem.*

§. CXXXVIII. Quæ de modo conversionis diximus; ea sic proponit Christus Joh. VI. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, v. 45. *est scriptum in prophetis, erunt omnes διδακτοὶ τοῦ θεοῦ.* Ergo ut a Patre trahamur, ut a Deo doceamur, requiritur: sed additur, *omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Deus enim docet, ac nos discimus non immediate, sed per verbum. Dictum ergo illud Christi exprimit ordinem,

dinem, quo Deus solet hominem trahere: ipse sua gratia omnem nostrum cursum & conatum antevertit, revelat & proponit verbum, ac per Filium illud manifestat. Qui ergo audit Filium, audit Patrem, & qui legatos Filii audit, ipsum Filium audit. Qui ergo vult a Patre trahi, audiat verbum Christi, per quod vult esse efficax: *Est enim evangelium potentia Dei ad salutem;* Rom. I. 16. nec solum audiat, sed etiam discendi animo audiat: hinc Christus audire & discere conjungit. Etsi vero in schola Dei discere ac proficere non est in nostris viribus; tamen, quia fames audiendi verbum etiam non renatis adscribitur, Amos VIII. 11. & quia Herodes ἡδέως audiebat Johannem, Marc. VII. 20. inde adparet, studium audiendi & discendi aliquatenus adhuc ante conversionem homini competere. Cyrillus h. l. *Trahit Pater monitione, doctrina, revelatione. Ubi enim auditus, disciplina, doctrinaque adest, ibi fides non vi, sed persuasione oritur.* Augustinus tr. XXVI. sup. Joh. *Videte, quomodo trahat Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo. Discat trahi ad Filium a Patre, doceat te Pater, audi Filium.*

§. CXXXIX. Supersunt in homine etiam non renato notitiæ illæ naturales *theoreticae*, quod sit Deus: & *practicae*, quod sit justus & vindex scelerum; supersit συντήρησις, quod *cogitationes hominum* etiam plane ethnicorum *se accusant.* Rom. II. 15. Nec plane exspiravit opinio de aliquo post hanc vitam judicio; atque hoc est internum in homine testimonium, ad quod accedit testimonium Spiritus S. in verbo: hæc conjuncta etiam in nondum conversis studium quoddam audiendi ac discendi excitare possunt, ut postea per operationem Spiritus S. interiore & exteriore testimonio homo convictus ad Deum convertatur.

Ἀναλαίωσις *præcedentium.*

§. CXL. Atque hæc de libertate arbitrii in hominibus nondum renatis post lapsum dicta sint, uberius quidem propter rei magnitudinem, quorum summa est, in externis actionibus & in regenda disciplina aliquam adhuc superesse arbitrii libertatem, sed ad deponendam naturæ pravitatem nobiscum nascentem ac ad spirituales ac Deo placentes motus inchoandos plane nullas supersse vires, sed totum hoc gratuito Dei dono & Spiritus sancti operationi adscribendum esse, qui per verbum prædicatum & auditum in homine efficax est, & novos motus accendit.

Libertas a peccati servitute.

§. CXLI. Postquam vero homo e statu corruptionis in statum gratiæ translatus, ab errore ad veritatem, ab incredulitate ad fidem a peccatis ad Deum, a tenebris ad lucem conversus, aliam arbitrii libertatem consequitur, quam possumus vocare *libertatem a servitute peccati*, quia Spiritus S. novam lucem in mente accendit, ac novas vires voluntati confert, ut ita voluntas in hoc statu non amplius sit otiosa, sed per novas illas sibi donatas vires postea Spiritui S. cooperetur. Joh. VIII. 36. *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Rom. VI. 18. *Liberati a peccato servi facti estis justitiae.* 2 Cor. III. 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Augustinus de corrept. & grat. c. II. *Intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut, quod agendum est, agant, & cum egerint, illi, a quo aguntur, gratias agant, aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Unde etiam idem tam operose distinguit inter gratiam prævenientem, præparantem, operantem, cooperantem & perficientem. In hoc factæ renovationis statu voluntati humanæ συνεργίαν quandam ad bonum lubentissime concedimus.

In hac vita non est perfecta.

§. CXLII. Interim tamen illa arbitrii libertas in renatis non ita comparata est, ut adjutorium Spiritus S. ipsis non sit amplius necessarium, quia voluntas eorum liberata ad bonum propendet non naturalibus viribus, sed virtute agentis & regentis eam Spiritus S. Augustinus de corrept. & grat. c. XI. *Liberum arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum, confitendum est, nos habere, sed in malo faciendo quisque est liber justitiae, servusque peccati: in bono autem esse liber nullus potest,*

potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis; *nec ita, ut, cum quisque fuerit a peccati damnatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio, sed ita potius, ut ab illo audiens:* sine me nihil potestis facere, *dicat & ipse:* Adjutor meus esto; ne derelinquas me. *Haec fides sine dubio vera & prophetica & apostolica est.*

§. CXLIII. Manet in renatis etiam post conversionem in hac vita *lucta carnis & spiritus* Gal. III. 17. per quam fit, ut *condelectentur quidem legi secundum interiorem hominem;* Rom. VII. 22. interim tamen *vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis &c.* v. 23. quia in hac vita inchoatur tantum & crescit, non autem plene perficitur hominis renovatio: unde in conversis scriptura duos quasi homines esse dicit, *veterem & novum, exteriorem & interiorem.*

§. CXLIV. Proinde libera illa & liberata renatorum voluntas est nihilominus *captiva sub lege,* Rom. VII. 23. quia caro præfracte renititur facientibus bonum: possumus ergo dicere, quod sit libera servitus, & serva libertas, quia renati *mente serviunt legi Dei, carne autem legi peccati* Rom. VII. 25. *Libera* servitus est, quia renati spontaneo ducuntur Spiritu juxta interiorem hominem, & libere Deo serviunt juxta novitatem Spiritus: *serva* libertas est, quia non est effrenis aliqua licentia arripienda, quidvis pro arbitrio agendi, sed ad Dei voluntatem & normam legis conformanda est obedientia, nec pro libertate Spiritus carnis licentia usurpanda. Unde etiam hanc libertatem non vocavimus libertatem a peccato, (*quia peccatum in carne* renatorum *adhuc habitat* Rom. VII. 17.) sed a servitute peccati, (quia renati *ei non serviunt.* Rom. VI. 6.) Sed agnoscunt, dolent, per Christum remissionem petunt, & repugnant.

§. CXLV. Nec libertas illa renatorum in hac vita ita comparata est, ut non possint vicissim ad malum se convertere, quin potius si peccati servituti se vicissim mancipare voluerint, & gratiam Dei abjicere, relabuntur in statum corruptionis pristinum, & *fiunt posteriora pejora primis,* 2 Pet. II. 20. 21. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini,* Rom. VIII. 13. *Si permanseris in bonitate, alioquin excideris,* Rom. XI. 22. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae,* Apoc. II. 10. Qua de re alibi fusius dicetur, atque hæc meditatio timorem Dei, serium studium pietatis, ardentes preces &c. in nobis excitabit, & torporem ac securitatem excutiet.

Libertas a peccato & mutabilitate.

§. CXLVI. In altera demum vita adspirant renati ad plenam arbitrii libertatem, quam possumus nominare libertatem *a peccato & mutabilitate*; quia tunc non solum a servitute peccati, sed etiam ab omnibus peccati reliquiis electi mundabuntur, & in bono confirmabuntur, ita, ut ex felici isto statu per peccata excidere amplius non possint; *erunt* enim ἰσάγγελοι, Matth. XXII. 30. *videbunt Deum a facie ad faciem,* 1 Cor. XIII. 12. *videbunt Deum, sicuti est,* 1 Joh. III. 2. Tunc erit plena securitas & secura libertas, ac multo plus per Christum nobis restituetur, quam per Adamum est amissum: quia libertas Adami fuit posse non peccare, electorum erit non posse peccare. In futura vita error a ratione, a voluntate dolor, atque a memoria timor omnis decedet, & succedet illa, quam speramus, mera serenitas, plena suavitas, æterna securitas. *Primum faciet veritas Deus, secundum caritas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti aeternaliter inhaerente.* Bernhardus serm. XI. sup. Cant. col. 519. Ad hanc plenam libertatem nos pervehat, & quod cœpit in nobis bonum, perficiat auctor & consummator salutis nostræ benedictus in secula!

LOCUS XIII.

LOCUS DECIMUS TERTIUS DE LEGE DEI.

§. I.

Connexio cum loco præcedente.

Peccatum, definiente divo Johanne, est ἀνομία 1 epist. III. 4. proinde ut alias privatio cognoscitur ex habitu, ita *agnitio peccati est ex lege Rom. III. 20.* Quid obliquum & distortum sit, non cognoscitur, nisi ex adplicatione ad regulam rectam; ita peccatum, quod est quædam curvitas animæ, non potest intelligi, nisi conferatur cum regula illa justitiæ, quæ in doctrina legis proponitur. Præterea vana ac falsa ista virium humanarum in rebus spiritualibus persuasio non potest evidentiori quodam documento convinci, quam si doctrina legis recte explicetur, ac ostendatur, non qualemcunque externam, sed spiritualem, internam & perfectissimam obedientiam in ea a nobis requiri, convenienti igitur ordine doctrinam de peccato & libero arbitrio sequitur locus de lege, cujus explicatio non minus quam ipsa praxis evangelio præmittenda est.

Vocabuli legis ἐτυμολογία.

§. II. De legis etymo ita disserit Cicero lib. I. de legibus non longe ab initio: *Legem doctissimi viri Græco putant nomine a suum cuique tribuendo adpellatam;* (ἀπὸ τῦ νέμειν) *ego nostro a legendo, nam ut illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus, & proprium tamen utrumque legis est.* Deducitur igitur vox legis vel a *legendo*, quod leges juxta Varronem publice legi consueverint, vel a *ligando*, quod lex obliget ad obedientiam illos omnes, quibus tradita est, (*) vel a *deligendo*, quod delectum rerum agendarum & omittendarum, expetendarum & fugiendarum, monstret juxta Ciceronem. תּוֹרָה Hebræum descendit a יָרָה, quod significat primo *docere*, ex quo colligitur, quod in genere vox *legis* pro *doctrina* ratione sui etymi usurpetur; deinde *jaculari*, ut innuatur, legem debere nobis esse instar scopi, ad quem in omnibus actionibus nostris collimemus, nisi velimus ἄσκοπα τοξεύειν, quod est ἁμαρτάνειν; denique *mentes hominum doctrina fœcundare*, quemadmodum pluvia fœcundat terram, quod dignitatem atque utilitatem hujus doctrinæ arguit (**).

ὁμωνυμία.

§. III. Cum vero æquivoca, nisi distinguantur, ipsam rerum confundant notitiam, præsertim cum æquivocatio vocabuli hujus insignes jam olim pepererit errores, docente Chemnitio parte II. Loc. pag. 4. ideo diligenter annotandum, quam varias ac diversas vocabulum legis in scripturis obtineat significationes. *Propria & frequentissima* legis significatio est, quod notat doctrinam

(*) *Lex* a *ligando* 1) quia legibus homines obligantur ad alia præstanda & vitanda: 2) quia magistratus illis subditos sibi obstringunt: 3) quia omnes societates certis legibus continentur & constringuntur, unde quidam per *funes* & *vincula* Os. XI. 4. Ps. II. 3. legem intelligunt. Atqui si lex diceretur a ligando, potius diceretur *lix*, quam *lex*. GERHARDVS.

(**) Quidam deducunt a יָרֵא *timuit*, quod lex timorem incutiat: quidam a תּוּר quod est *exploravit*, *scrutatus est*, quod nobis tanquam speculum naturæ ipsorum immunditiem exploratam ob oculos statuat. νόμος vel a νώμη secundum *Platonem* lib. XII. de leg. tum quod mentem erudiat, tum quod lex naturæ ex dictamine mentis profluat; vel a νέμειν tum quod mandet, ut suum cuique cedat, tum quod cuique suas partes & officia distribuat. GERHARDVS.

nam operum, regulam faciendorum & fugiendorum; quo sensu etiam hoc loco a nobis usurpatur. Hac ratione vox legis usurpatur vel in *genere* pro tota lege, vel in *specie* pro lege morali Exod. XXIV. 12. *Dabo tibi tabulas lapideas & legem*; vel ceremoniali Luc. II. 23. *Sicut scriptum est in lege Domini*; vel judiciali Joh. XIX. 7. *Nos habemus legem, secundum quam debet mori. Generaliter* significat universam doctrinam divinitus patefactam, Psal. I. 2. *beatus, qui in lege Domini meditatur die ac nocte;* quo sensu doctrinæ evangelii in specie accommodatur, quæ tamen legi proprie sic dictæ ἀντιδιηρημένως est opposita. Ceterum an *generaliter*, an vero *specialiter* hæc vox usurpetur, id ex circumstantiis cujusque loci colligendum: Quando ea, quæ sunt evangelii propria, legi tribuuntur, manifestum est, legis nomine non intelligi legem proprie sic dictam, hoc est, doctrinam operum, sed generatim universam doctrinam divinitus patefactam, vel etiam doctrinam evangelii in specie. Sic Esaj. II. 3. *De Sion exibit lex*; manifestum est, non legis proprie sic dictæ, sed evangelii solennem promulgationem hic intelligi, cum lex non in monte Sion, sed in Sinai promulgata sit. Psalm. XIX. 8. *Lex Jehovæ perfecta convertens animam, 9. Præcepta Jehovæ recta, lætificantia cor*; ibi lex dicitur consolari, lætificare & erigere cor, cum tamen lex proprie dicta iram operetur Rom. IV. 15. Sic apostolus vocat legem fidei Rom. III. 27. cum tamen justitia, quæ est ex lege, & justitia fidei sibi invicem opponantur Rom. X. 5 & 6. ergo vox legis in genere ibi notat doctrinam. *Materialiter* usurpatur vox legis pro libris sacris, in quibus doctrina legis descripta exstat, idque iterum diversimode. Quandoque enim in *genere* notat omnes vet. testam. libros, sic Joh. X. 34. nomine legis comprehenduntur etiam Psalmi, *Scriptum est in lege vestra, ego dixi, vos dii estis.* Joh. XV. 25. *In lege scriptum est, odio me habuerunt gratis.* 1 Cor. XIV. 21. ex Esaia allegatur sententia, quæ in lege scripta dicitur. Quandoque vero *in specie* πεντάτευχον Mosaicum notat, nimirum quoties a prophetis & psalmis scriptura legis distinguitur. Luc. XXIV. 44. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis, prophetis & psalmis.* Rom. III. 21. *Justitiæ Dei testimonium datum a lege & prophetis*: hoc sensu Rabbini libros Mosis vocant תּוֹרָה. Quandoque *specialissime* scripturam decalogi notat, ut Luc. X. 26. *Quod est primum mandatum in lege?* Augustinus tractat. XLVIII. in Johann. *Legem adpellavit Dominus* (Joh. X. 34.) *generaliter omnes scripturas, quamvis alibi specialiter dicat legem, a prophetis eam distinguens.* Lib. I. retract. cap. XXV. *Legem & specialiter dicimus, secundum quod dictum est*: Lex & prophetæ; *& generaliter, ut in ea sint & prophetæ.* Nec conjuncte solum pro omnibus libris Mosaicis vox legis usurpatur, sed & distincte pro singulis, utpote 1) pro libro primo Gal. IV. 21. 22. *Legem non legistis? scriptum est enim, quia Abraham habuit filios duos*, ex Gen. XVI. 15. 2) pro libro secundo, Matth. XII. 5. *aut non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in templo violant sabbathum*, ex Exod. XXIX. 33. 3) pro libro tertio Joh. VIII. 5. *In lege Moses præcepit nobis, ut hujusmodi lapidarentur*, ex Lev. XX. 10. 4) pro quarto libro Hebr. VII. 5. *Decimas sumunt juxta legem*, ex Num. XVIII. 21. 5) pro libro quinto Joh. VII. 51. *Num lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso?* ex Deut. XVII. 8. Hujus loci est & illa significatio, qua lex accipitur pro vetere testamento, denotans totam illam formam politiæ & constitutionem sacerdotii, quam Deus per Mosen populo Israëlitico præscripserat, quæ significatio in epistola ad Hebræos frequenter occurrit, quotiescunque scilicet lex opponitur novo testamento, Matth. XI. 13. *Lex & prophetæ usque ad Johannem. Synecdochice* usurpatur vox legis pro rigore & maledictione legis, nimirum quando opponitur gratiæ Rom. VI. 14. *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Gal. V. 18. *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege*; ubi manifestum est, non intelligi obedientiam, sed rigorem illum maledictionis, quo lex omnes, in quibus aliquid vitii hæret, absque ulla ἐπιεικείᾳ accusat & damnat, nec ullam obedientiam probat vel reci-

recipit, nisi sit numeris omnibus perfecta ac modis omnibus pura. *Metonymice* usurpatur pro vi, impetu, seu efficacia movente & impellente, ut *lex peccati*, Rom. VII. 25. *lex mortis*, 6. *lex in membris*, 23. *Lex Spiritus vitæ*, Rom. VIII. 2. Augustinus libr. LXXXIII. quæstionum quæst. LXVI. legem peccati inde dictam putat, quod *peccatoribus imponitur*; legem mortis, quia *stipendium peccati mors, aculeus mortis peccatum, virtus autem peccati lex.* Atque hæ sunt potiores hujus vocabuli significationes. *Minus principaliter & secundario* accipitur 1) pro consuetudine & jure gentium Dan. VI. 15. *Lex Medorum*; Act. XVIII. 13. *contra legem hic suadet Deum colere*: 2) pro institutione recta Prov. I. 8. *Ne dimittas legem matris tuæ*: 3) pro subjectione & obedientia, quam quis ex jure divino & humano aliis præstare tenetur Rom. VII. 2. *Mulier liberata est a lege viri.* 1 Cor. VII. 39. *alligata est legi.*

§. IV. Pulcerrimam synonymorum legi attributorum congeriem proponit Spiritus sanctus Psalm. CXIX & XIX. quorum diligens explicatio traditur a Chemnitio part. II. Loc. pag. 8. Potiores adpellationes sunt istæ עֵדוּת *μαρτύριον* testimonium, quia lex testatur de voluntate Dei, & peccati nos convincit, Moses in repetitione legis, Deut. IV. 26. utitur radice הָעִיר, *Obtestor vos hodie per cælum & terram*; דֶּרֶךְ, *ἡ ὁδός, via*, quia lex monstrat viam bonorum operum, in qua ambulemus: פִּקּוּדִי, in regimine, *ἐντολαί*, mandata, a פָּקַד, quod est committere, delegare, visitare, requirere, quia Deus commisit homini velut depositum quoddam legem suam, atque ejus transgressionem visitat justissimis pœnis: (*) חֻקִּים *δικαιώματα*, qua voce ritus & ceremoniæ legales plerumque intelliguntur, ut nomine מִשְׁפָּטִים *τὰ κρίματα*, judicia, leges forenses sive judiciales; interim utraque vox præsertim seorsim posita generalis est, siquidem lex est statutum Dei, ejusdemque judicium contra peccatum. מִצְוָה *ἐντολὴ præceptum*, quod adstringit ad observationem a צָוָה, quod significat præcipere, commendare, decernere, promittere &c. אִמְרִי, in regimine, *τὰ λόγια*, *οἱ λόγοι eloquia Dei*, quia lex est ipsius Dei voce solenniter promulgata. צֶדֶק, *ἡ δικαιοσύνη, τὸ δικαίωμα, justitia*, quia lex præscribit normam justitiæ. בְּרִית, *ἡ διαθήκη, pactum, fœdus*, quia in lege Deus init fœdus cum populo suo. יִרְאַת יְהוָה *ὁ φόβος κυρίου, μετωνυμικῶς*, quia summa legis consistit in timore & dilectione Dei. Dicitur etiam lex עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים, *decas verborum*, summa enim legis moralis consistit in decalogo. Adpellatio legis moralis usitatissima quidem est, sed recte interim declaranda, neque enim morum duntaxat & externarum actionum, sed etiam interiorum adpetitionum, imo totius naturæ integritatem lex divina requirit. De adpellationibus legis vide Justinum in quæstionib. & resp. (**) ad orthod. quæst. XCII.

συνωνυμία.

§. V. Hujus loci est observatio *D. Lutheri* in epist. ad Galat. cap. V. tom. IV. oper. latin. pag. 149. quod diversæ legi ab Apostolo Paulo tribuantur adpellationes: quando enim lex per se consideratur, ut doctrina a Deo promulgata, honorificis titulis ornatur, dicitur *lex sancta, mandatum sanctum & bonum*: Rom. VII. 12. *mandatum, quod ad vitam*: 10. *lex bona*: 1 Tim. I. 8. *sermo vivus*, λόγια ζῶντα Act. VII. 38. Quando vero in articulo justificationis & in collatione cum doctrina evangelii, itemque respectu naturæ nostræ corruptæ consideratur, ibi velut contemtim & ignominiose de lege apostolus

Adpellationes legis diversæ.

(*) Gen. XXVI. 5. mandata Dei vocantur מִשְׁמָר *custodia Dei*, quia debent ab hominibus observari & custodiri. *Abraham custodivit* מִשְׁמַרְתִּי *custodiam meam*, מִצְוֹתַי *præcepta mea*, חֻקּוֹתַי *statuta mea* וְתוֹרֹתָי *& leges meas.* GERHARDVS

(**) Paucis notamus, hujus libri auctorem non esse JVSTINVM martyrem, seculi II. scriptorem, siquidem multa in eo deprehenduntur, quæ secula aliquot Justino sequiora sapiunt; sed JVSTINVM Siculum, qui exeunte seculo quinto scripsit, uti recte observavit HENR. DODWELLVS.

ſolus loquitur, vocat enim *pædagogum & carcerem concludentem* (*quem nemo amat*, ait Lutherus,) Gal. III. 23 & 24. *jugum ſervitutis*, V. 1. *potentiam peccati*, 1 Cor. XV. 56. *operationem iræ & mortis*, Rom. IV. 15. VII. 5. *infirma & egena elementa mundi*, Gal. IV. 9. *miniſterium mortis & condemnationis, literam occidentem*, 2 Cor. III. 6. 7 & 9. *chirographum nobis contrarium*, Col. II. 14. *Teſtamentum generans in ſervitutem*, Gal. IV. 24. Conciliationem horum diverſorum attributorum proponit apoſtolus in ſequentibus dictis Rom. VII. 10. *mandatum, quod ad vitam*, (a Deo datum) *inventum mihi eſt ad mortem*, v. 11. *quia peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me* (quia natura venundatus ſum ſub peccatum, quod voce legis divinæ manifeſtatur & accuſatur) 1 Tim. I. 8. καλὸς ὁ νόμος, ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται, *lex bona eſt, ſi quis ea legitime utatur.*

§. VI. Definitiones legis in genere acceptæ exſtant variæ ac diverſæ.

Definitiones.

Plato de legibus: *Lex eſt recta gubernandi ratio, quæ dirigitur in optimum finem per media commoda, proponendo transgreſſoribus pœnas & obedientibus præmia.* Ariſtoteles X. ethic. ad Nicom. cap. X. ὁ νόμος ἔστι λόγος ἀπό τινος φρονήσεως καὶ νοῦ ἀναγκαστικὴν δύναμιν ἔχων. Lib. III. politic. cap. XVI. νόμος ἐστὶ νοῦς ἄνευ ὀρέξεως. in rhet. ad Alexand. cap. I. ὁ νόμος (ἁπλῶς εἰπεῖν) λόγος ὡρισμένος καθ' ὁρολογίαν κοινὴν πόλεως μηνύων, πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα. Cicero I. de legib. *Eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. Eadem ratio cum in mente hominis eſt, confirmata & confecta eſt lex.* Ibid. *Lex eſt recta ratio in jubendo atque vetando: naturæ vis eſt moris, ratioque prudentis, juris atque injuriæ regula, juſtorum, injuſtorumque diſtinctio, quæ ſupplicio improbos adficit, defendit ac tuetur bonos.* Lib. II. de nat. Deor. *Lex eſt recti præceptio, pravique depulſio.* Demoſthenes orat. I. cont. Ariſtog. νόμος ἔστιν εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα σοφῶν ἀνδρῶν, πανόρθωμα ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως συνθήκη κοινή, καθ' ἣν ζῆν προσήκει πᾶσι τοὺς ἐν πόλει. Thomas 1. 2. quæſt. 90. art. 1. *Lex eſt quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Idem. *Lex eſt menſura & regula actuum agendorum directiva: eſt ratio divinæ ſapientiæ, ſecundum quod eſt directiva omnium actuum & motuum.* Biel. III. ſent. diſtinct. 37. quæſt. II. *Lex eſt ſignum verum notificativum rectæ rationis dictantis ligari eam ad aliquid agendum vel non agendum.* Varinus: νόμος ἔστι λόγος προστάσσων, ἃ δεῖ, καὶ ἀπαγορεύων, ἃ μὴ δεῖ. Recentioribus lex in genere eſt certa quædam conſtitutio ſive ſanctio ligans ad obedientiam eos, quibus illa præſcribitur, & pœnam ſtatuens his, qui eam violant. Item: lex eſt ſententia præcipiens honeſta, obligans naturam rationalem ad obedientiam cum promiſſione præmii, ſi obedientia præſtetur, & comminatione pœnæ, ſi violetur.

§. VII. Sed enim generalium harum deſcriptionum uſus eſt non adeo magnus, tranſibimus igitur ad diviſiones legis. *Primo* ratione efficientis ſive auctoris, quædam leges dicuntur divinæ, quædam humanæ. *Divinæ*, quæ a Deo; *humanæ*, quæ ab hominibus ſunt ſanctæ. Can. omnes diſtinct. I. ex Iſidoro. Omnes leges aut divinæ ſunt aut humanæ: divinæ natura, humanæ moribus conſtant, ideoque hæ diſcrepant, quoniam aliæ aliis gentibus placent. Fas lex divina eſt, jus humana. Sed hæc deſcriptio legis divinæ minus provida, ſiquidem leges ceremoniales & forenſes populo Iſraëlitico traditæ divinæ erant, neque tamen natura conſtabant. *Secundo* ratione materiæ leges divinæ dividuntur in *morales, ceremoniales & forenſes.* Qui διχοτομίᾳ delectantur, poterunt dicere, leges divinas alias eſſe æternas & immutabiles, alias vero χρονικὰς & mutabiles, quarum poſteriores iterum dividuntur in ceremoniales & forenſes. Chemnitius ſic procedit. Lex divina vel in genere præcipit de cultu Dei & juſtitia; vel deter-

Diviſiones legum, in divinas & humanas.

2. in morales, ceremoniales, & forenſes.

determinat illa per certas externas circumstantias, idque vel erga Deum in cultibus, vel erga homines in exercenda & administranda justitia.

Fundamenta hujus divisionis.

§. VIII. Fundamentum vulgatissimæ hujus divisionis exstat in ipsa scriptura sacra. Deut. VI. 1. *istud est præceptum, statuta & judicia, quæ præcepit Iehovah Deus vester, ut docerem vos, ut faciatis illa,* אֹתָם הַמִּצְוֹת הַחֻקִּים וְהַמִּשְׁפָּטִים, ibi videmus distincte recenseri *præceptum, statuta & judicia*; Jam vero Rabbini habent regulam, quando simul junguntur מִשְׁפָּטִים & חֻקִּים, quod *prius* pro judicialibus, *posterius* pro ceremonialibus sit accipiendum: nomine igitur præcepti in genere intelligitur *lex moralis*, quæ ideo in singulari numero præceptum dicitur, quia summa ejus consistit in dilectione Lev. XXVI. 14. *Si non audieritis me, neque feceritis omnia præcepta ista,* הַמִּצְוֹת. v. 15. *Si spreveritis statuta mea* חֻקַּי, *& judicia mea; abominata fuerit anima vestra,* מִשְׁפָּטַי, *ita ut non faciatis omnia præcepta mea, & irritum faciatis pactum meum &c.* (pactum ergo Dei cum Israëlitis initum consistit in præceptis, statutis & judiciis, hoc est, ut hodie loquimur, in lege morali, ceremoniali & forensi) v. 46. *Hæc sunt statuta & judicia & leges, quas dedit Iehovah inter se & filios Israel in monte Sinai per manum Mosis.* אֵלֶּה הַחֻקִּים וְהַמִּשְׁפָּטִים וְהַתּוֹרֹת ubi nomine *Thorah* intelligitur lex moralis. Deut. IV. 1. *Israel audi statuta & judicia, quæ ego doceo vos. 2. Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, neque diminuetis ex eo, ut custodiatis præcepta* מִצְוֹת *Jehovæ Dei vestri.* Peculiariter notandi sunt vers. 13. & 14. hujus capitis, in quibus manifestissime traditur hæc distinctio: *Locutus est* (ait Moses) *Jehovah ad vos, & renunciavit vobis pactum suum, quod præcepit vobis, ut faceretis decem verba, & scripsit illa in duabus tabulis lapideis: mihi quoque præcepit Jehovah eodem tempore, ut docerem vos statuta & judicia, ut faceretis ea in terra promissa.* Ubi videmus, manifeste distingui inter decem verba sive decalogum, qui continet summam legis moralis, & inter leges ceremoniales ac forenses. Decalogum dedit Deus toti populo immediate, ac decem verba ipsemet in tabulis lapideis scripsit, sed reliquæ leges per manum Mosis sunt populo traditæ ac conscriptæ. Promulgato ipsius Dei voce decalogo, Moses jubetur accedere ad caliginem, in qua Deus erat, ibi accipit judicia populo proponenda. Exod. XIX. Postea denuo solus adscendit montem, & accipit leges ceremoniales Exod. XXIV. Deut. VI. 20. *Cum interrogaverit te filius tuus eras, dicendo: Quid sibi volunt testimonia & statuta & judicia, quæ præcepit Jehovah* DEVS *noster vobis?* עֵדֹת הַחֻקִּים וְהַמִּשְׁפָּטִים, ubi nomine *testimonii* lex moralis venit accipienda. Deut. VII. 11. *Custodias præcepta & statuta & judicia, quæ ego præcipio tibi*, quæ pari modo conjunguntur Deut. VIII. 11. XI. 1. XXVI. 17. XXX. 16. XXXIII. 10. &c.

§. IX. Comprobatur insuper hæc divinarum legum divisio a Chemnitio part. II. Loc. pag. 30. ex eo, quod notitia decalogi sive legis moralis ab omnibus requiritur Deut. VI. 4. & sqq. de judicialibus vero constituitur peculiare consistorium Hierosolymis, ad quod adscendant, si judicium difficile inciderit inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, plagam & plagam. De ceremonialibus vero cum Malachias locutus esset, subjungit cap. II. 6. *Labia sacerdotis custodiant scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Res ipsa denique ostendit, necessario constituendum esse tale discrimen inter leges divinas. Moralem legem Christus explicat & urget, sed divisionem hæreditatis ex forensibus Mosis legibus instituere recenset. Luc. XII. 14. Legem per fidem abrogari, negat apostolus; Rom. III. 31. idem tamen in cibo aut potu aut parte diei festi quempiam christianorum judicari prohibet, Col. II. 16. & in Christo inter Judæum & Græcum quippiam discriminis amplius superesse, negat.

Gal. III. 28. (*) Cogitandum hic relinquo piis mentibus, num diviſio iſthæc inter legem moralem, ceremoniales & forenſes ſubinnuatur Rom. IX. 4. ubi apoſtolus pronunciat Iſraëlitarum eſſe καὶ τὰς διαθήκας καὶ τὴν νομοθεσίαν καὶ τὴν λατρείαν? Nomine διαθήκων Auguſtinus quidem intelligit vet. & nov. teſtamentum, quippe vetus teſtamentum Iſraëlitis eſt datum, & novum in vetere figuratum. Alii unius teſtamenti legalis aliam atque aliam ſanctionem denotari putant, ſed quia proxime facta mentio arcæ fœderis, ideo non inconcinne αἱ διαθήκαι accipientur μετωνυμικῶς de duabus tabulis, in quibus decalogus digito Dei exaratus, quæ & ipſæ dicuntur tabulæ fœderis ac teſtamenti Deut. IV. 11. & 15. Hebr. IX. 4. νομοθεσία εἰδικῶς accommodari poterit ad partem legis judicialem, qua forum politiæ Judaicæ conſtituebatur, λατρείας nomine peculiariter intelligitur lex ceremonialis, in qua præſcripſerat Deus modum, prout in vet. teſtamento a populo ſuo coli voluit. Vide D. Schröderum in analyſi cap. IX. ad Rom. th. 40. 41. 42.

§. X. De ſingulis hiſce legis divinæ ſpeciebus agemus uberius, ſi prius alias legis diviſiones expoſitas dederimus. *Tertio* igitur ratione accidentium quædam leges dicuntur *ſcriptæ*, quædam *non ſcriptæ*. τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι, inquit Juſtinianus inſtit. de jure naturali §. 7. quæ diviſio & divinis & humanis legibus adplicari poteſt. Lex divina vel eſt in creatione hominum mentibus inſita & inſculpta, vel ipſius Dei voce patefacta, promulgata, repetita & in ſacras literas relata. Ambroſius de fuga ſec. *Lex gemina eſt, naturalis & ſcripta, naturalis in corde, ſcripta in tabulis.* Hinc apoſtolus pronunciat, quamvis gentibus de ſolenni promulgatione & repetitione legis divinæ nihil conſtet, nihilo tamen minus opus legis in cordibus ipſorum ſcriptum eſſe. Rom. II. 14. *Cum gentes, quæ legem non habent, natura ea, quæ legis ſunt, faciunt, illi legem non habentes ſibimet ipſis lex ſunt*, v. 15. *qui oſtendunt opus legis ſcriptum eſſe in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente ipſorum conſcientia.* Lex primitus hominum mentibus inſita dicitur lex *naturæ*, ubi obſervandum, quod in natura integra idem omnino erant lex *naturæ* & lex *moralis*, ſed in natura corrupta magna pars legis naturalis per peccatum obſcurata eſt, & tantum particula quædam de externa obedientia in hominis mente reliqua manſit, quæ cauſa etiam primaria eſt, propter quam ſolennem legis ſuæ promulgationem ac repetitionem in monte Sinai Deus ipſe inſtituit.

3. *In ſcriptas & non ſcriptas.*

§. XI. Reſpectu objectorum leges humanæ dividuntur *quarto* loco in *eccleſiaſticas & politicas*. Leges *eccleſiaſticæ* ſunt, quæ a pio magiſtratu conſenſu eccleſiæ & cum conſilio eccleſiaſtici miniſterii feruntur de ordine actionum in publico eccleſiæ miniſterio, quas vulgo vocant *agenda eccleſiaſtica*. His conſtitutionibus humanis ſi accedat opinio vel cultus vel meriti vel ſimplicis cujusdam neceſſitatis, tunc fiunt ἐντάλματα hominum, quibus fruſtra Deus colitur Matth XV. 9. Sin vero εὐταξίας & εὐχημοσύνης cauſa inſtituuntur atque obſervantur, pertinent ad regulam apoſtolicam. 1 Cor. XIV. 40. (ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ) πάντα εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. *Politicæ* leges ſunt, quæ a magiſtratu, qui habet poteſtatem ferendarum legum, de certo ordine actionum in politia ſervando ad incolumitatem reipublicæ conſtituun-

4. *In eccleſiaſticas & politicas.*

(*) Ratio diviſionis in leges *morales*, *ceremoniales & forenſes*, deſumi quoque poteſt ex ipſo legis officio, quod eſt ordinem, quo homo cum creatore ſuo conjungitur, ſancire & conſtituere, idque 1) ſimilitudine quadam interna, ceu dilectione, juſtitia, ſanctimonia & veritate, quam lex moralis, quæ eſt quaſi fons, baſis, ſubſtantia & norma omnium aliarum legum, determinat. 2) Externa internarum iſtarum virtutum ſignificatione, adhibitis ſymbolis, quorum normam ſecunda pars, quæ eſt quaſi appendix primæ decalogi ſive legis moralis tabulæ, tradit, & eſt de ceremoniis & ritibus ſacris. 3) Denique exhibitione officii proximo debiti, cujus rationem præſcribit tertia pars nempe forenſis, quæ eſt quaſi appendix ſecundæ decalogi tabulæ, eſtque de jure & judiciis, Uti ex BAGMEISTERO obſervat GERHARDVS.

tuuntur, quibus apostolus Petrus propter Dominum, 1 epist. II. 13. Paulus propter conscientiam, obedire jubet Rom XIII. 5. Wesenbecius in paratitl. sic definit: *Lex est honestum legitimæ potestatis decretum ad tuendam reipublicæ pacem, moresque ac judicia regenda publice factum & conscriptum.*

Divisio juris in naturale, gentium & civile.

§. XII. Ex his adparet, quid statuendum sit de divisione juris in *naturale, gentium & civile*, quam Justinianus in instit. tit. de jure naturali, gentium & civili, atque ejus æmulator Gratianus distinct. I. decret. proponunt. *Jus naturale est*, (inquit Justinianus) *quod natura omnia animalia docuit, nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris & fœminæ conjunctio, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Jus autem civile a jure gentium distinguitur, quod omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque jus civile, quasi jus proprium ipsius civitatis: quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes utantur. Constat autem jus nostrum (Romanum) aut scripto aut sine scripto. Scriptum jus est lex, plebiscitum, senatusconsultum, principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentum. Lex est, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante (veluti consule) constituebat &c.* Hæc Justinianus, qui voce legis strictissime utitur, prout non solum a jure naturali & jure gentium, sed etiam a plebiscito, senatusconsulto atque aliis legis civilis speciebus distinguitur. Nomine juris naturalis non intelligit eam Naturæ legem, quæ in cordibus hominum post lapsum adhuc reliqua, & est pars legis moralis: (quam nomine juris gentium potius exprimit) sed instinctum naturalem & storgas physicas post lapsum adhuc in homine reliquas. Congruit cum hac explicatione distinctio JCtorum inter jus naturale, primævum & secundarium.

Summa legis moralis in decalogo.

§. XIII. Legis moralis summa extat in decalogo, quem Deus in monte Sinai inter clangores tubæ, aliaque stupenda prodigia populo Israëlitico promulgavit Exod. XIX. 20. Desumta vero est adpellatio decalogi ex illis scripturæ testimoniis, in quibus lex moralis solenniter in monte Sinai promulgata & repetita dicitur עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים *decas verborum* vel *decem verba.* Exod. XXXIV. 28. Deut. IV. 13. X. 4. Pulchra est allusio Philonis lib. de decalogo pag. 475. *Impositores primi nominum viri sapientes merito videntur adpellasse hanc δεκάδα quasi δεχάδα, quod capiat, comprehendatque omnia numerorum genera & rationum proportionumque arithmeticarum ac insuper harmoniarum symphoniarumque &c.* Quemadmodum igitur numerus denarius est perfectissimus & capacissimus, ita quoque lex moralis decem verbis a sapientissimo Deo comprehensa, perfectissima est. Beda in cap. XX. Exodi. *Nullus numerus crescit amplius nisi usque ad decem, ac per hoc in plenitudine numeri plenitudinem mandatorum constituit. Bene observatum a Philone*, (scribit Spinæus libr. de providentia) *quod decem illis verbis longe plura comprehendantur & doceantur, quam quæ tot & tam magnis philosophorum, legislatorum, jurisconsultorum de ea re conscriptis voluminibus continentur, in quibus nullum verbum exstat de justitia retinenda, de recta rerumpublicarum constituendarum ratione, quod non multo locupletius & doctius decem illis mandatis contineatur.* Proinde quod de legibus duodecim tabb. dicit Cicero I. de orat. *Omnes bibliothecas philosophorum unicus libellus duodecim tabularum superat & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate*; id longe rectius de lege morali in decem verbis decalogi proposita dici potest. Biel. III. sentent. distinct. XXXVII. quæst. 11. artic. VI. *Omnia cætera præcepta tam divina, quam humana, ad decalogum reducuntur*

vel

vel ut principia, vel ut conclusiones, vel ut eis rationabiliter consona.

Lex moralis est æterna.

§. XIV. Neque vero existimandum, legis moralis initium cum solenni illa decalogi promulgatione cœpisse, vel ejusdem angustiis concluſam teneri, sed lex moralis etiam ante solennem illam promulgationem a prima statim mundi origine hominibus tradita est ac patefacta, imo cordibus ipsorum in creatione insita & quasi insculpta fuit, creati siquidem fuerunt *ad imaginem Dei* Gen. I. 27. quæ consistit *in justitia & sanctitate vera* Eph. IV. 24. cujus sanctitatis ac justitiæ norma atque speculum in lege proponitur; quin imo ante jacta mundi fundamenta norma illa ac regula justitiæ exstitit in mente divina, quod Rabbini majorum suorum doctrinam hac de re haud satis dextre percipientes in fabulam ac nugas converterunt, dum referente Galatino lib. XVII arcan. cap. I. adverſ. Judæos, & Reuchlino in cabbala cap. III. dicunt, *Legem Dei ante mundi creationem conditam esse duobus annorum millibus atque literis igneis nigris in dorso ignis candidi scriptam.* Jubentur homines esse sancti, sicut Deus sanctus est, Lev. XI. 44. 1 Pet. I. 16. jubentur esse misericordes, sicut Pater cœlestis misericors est, Luc. VI. 36. Jubentur esse perfecti, sicut Pater cœlestis est perfectus. Matth. V. 48. Utique ergo Deus sanctus, misericors ac perfectus est, jam vero sanctitas, misericordia & perfectio non sunt in Deo accidentia, sed ipsa ejus essentia; utique ergo ut essentia Dei æterna, ita sanctitas, misericordia & perfectio Dei est æterna, cujus sanctitatis, misericordiæ & perfectionis ἐκτύπωμα & velut ἀπεικόνισμα in lege proponitur. (*)

Praxis legis moralis ante Mosen.

§. XV. Ceterum, ut adpareat, doctrinam legis etiam ante Mosen ac solennem illam in monte Sinaitico promulgationem in ecclesia Dei sonuisse, jucundum est annotare, quomodo singula præcepta ipsius Dei voce vel immediate sanctis patriarchis vel per patriarchas populo Dei exposita fuerint ac repetita. Primis parentibus primævam illam legem de non comedendo arboris vetitæ fructu datam esse novimus, Gen. II. 17. quam matricem fuisse omnium præceptorum, pulcre disputat Tertullianus libr. adverſus Judæos non longe ab initio pag. 133. *In principio mundi* (inquit) *ipsi Adæ & Evæ Deus legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio paradisi ederent, quod si contra fecissent, morte morerentur. Quæ lex eis sufficeret, si esset custodita. In hac enim lege Adæ data omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea-*

(*) Pererius disput. III. in cap. II. Roman. n. 44. *Lex Mosis non alii genti, quam Hebræorum, lata est, nec alios nisi Hebræos tantum obligabat: 1) quia nusquam legitur in sacris mandatum Mosi aut ulli prophetarum, ut legem Judaicam promulgaret gentibus, quemadmodum quidem de evangelii promulgatione mandatum habuerunt apostoli, 2) quia David ait, Deum justitias & judicia sua annunciasse tantum Israëli, non aliis nationibus* Psalm. CXLVII. *3) quia circumcisio tantum ad Judæos pertinebat, in qua tamen continebatur obligatio istius legis Mosaicæ Galat. V.* Contra 1) certum est, notitias naturales gentibus in prima creatione insitas cum decalogo convenire, unde vocantur opus legis. Decalogus autem est publica illarum notitiarum declaratio. Quos ergo notitiæ naturales obligant, hos & decalogus. 2) Lex de diligendo Deo & proximo obligat etiam gentiles. At summa legis Mosaicæ in dilectione consistit. 3) In quibus transgressio legis punitur, hos ipsa lex obligat. In gentibus punitur transgressio legis moralis Rom. I. Lev. XVIII. Eph. VI. 4, Leges, quæ Hebræum duntaxat populum obligabant, non habent locum in novo testamento. Atqui lex moralis locum habet in novo testamento; subinde enim repetitur, explicatur & inculcatur. 5) A quibus etiam gentiles, quorum mens non est prorsus reproba, abhorrent, eorum oppositæ etiam gentiles attinent. Sed a sceleribus in lege Mosaica prohibitis etiam gentiles abhorrent 1 Cor. V. 1. ergo oppositæ virtutes una cum sua norma etiam gentiles attinent. Ad rationes Pererii resp. a) distinguendum est *inter publicum ministerii exercitium & propheticum doctorum ecclesiæ officium.* Illud ad Israëlitas duntaxat pertinuit, hoc vero commune est, quia quando prophetæ gentilium vitia perstrinxerunt, nullam aliam habuerunt normam, quam legem Mosis Esa. XXXIV. 16. Ezech. XXII. 10. Am. II. 7. b) Distinguuntur leges in morales, ceremoniales ac forenses. Illæ omnes obligant, hæ vero minime. c) In lege morali insunt etiam quædam ceremonialia, quæ ad Judæos tantum spectabant. Lutheri dicta eodem modo explicanda. GERHARDVS.

postea pullulaverunt data per Mosen, id est: Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & ex tota anima tua, & diliges proximum tibi tanquam te. Et non occides, non mœchaberis, non fraudaveris, falsum testimonium non dices. Honora patrem tuum & matrem, & alienum non concupisces. *Primordialis lex est enim data Adæ & Evæ in paradiso quasi matrix omnium præceptorum Dei. Denique si Dominum Deum suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent, si proximum diligerent, id est, semet ipsos, persuasioni serpentis non credidissent, atque ita in semet ipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra præceptum Dei. A furto quoque abstinuissent, & de fructu arboris clam non degustassent, nec a conspectu Domini Dei nostri sub arbore delitescere gestiissent. Nec falsum adseveranti diabolo participes efficerentur, credendo ei, quod similes Deo essent futuri. Atque ita nec Deum offendissent ut patrem, qui eos de limo terræ quasi ex utero matris figuraverat. Si alienum non concupiscerent, de fructu illicito non gustassent. Igitur hac generali & primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita cognoscimus.* Hæc omnia Tertullianus, qui paulo post subjungit: *Ante legem Mosis scriptam in tabulis lapideis, legem contendo fuisse non-scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & a patribus custodiebatur &c. Intelligimus Dei legem etiam ante Mosen, nec in Oreb tantum, aut in Sina & in eremo primum, sed antiquiorem primum in paradiso, post patriarchis, atque ita & Judæis certis temporibus reformatam, ut non jam ad Mosis legem ita attendamus, quasi ad principalem legem, sed ad subsequentem, quam certo tempore Deus & gentibus exhibuit & repromissa per prophetas in melius reformavit.*

§. XVI. *Primum* præceptum deos alienos habere prohibet, verum autem Deum super omnia timere, diligere, ipsique confidere ac obedire jubet. Atqui quando primis parentibus esu arboris vetitæ interdicitur, eo ipso requiritur, ut Deum isthoc præcipientem super omnia timeant ac diligant, neque ullis blanditiis ab obedientia erga hoc præceptum sese dimoveri patiantur. Gigantæa audacia in architectis Babylonicæ turris confusione linguarum & dispersione ipsorum super faciem universæ terræ severissime punita monet ὑ θεομαχεῖν, neque ex se ipso suisque studiis idolum facere, sed Deo omnem gloriam in vera cordis humilitate tribuere. Gen. XI. 9. Quando Abrahæ præcipitur, *ut ambulet coram Deo, ac sit perfectus* Gen. XVII. 1. eo ipso præcipitur, ut Deum ex toto corde diligat, veneretur, colat, ac omnem vitam ad ipsius nutum componat, cum ipse sit παντεπόπτης, cujus oculi clariores sole: additur etiam promissio, *Ego sum Deus omnipotens El Schaddai*, timentibus ac colentibus me non deerit ullum bonum. Gen. XV. 1. *Ego sum scutum tuum & merces tua magna valde.* Quando Abraham divina secutus jussa filium unicum Isaacum immolare paratus est, Deum super omnia diligendum eique obediendum esse ipso facto ostendit Gen. XXII. 3. Jacobus familiæ suæ & omnibus, qui cum ipso erant, præcipiens, ut auferant deos alienos, eosdemque subter quercum apud Sichem defodiens, quid aliud quam praxin primi præcepti de non colendis idolis instituit? Gen. XXXV. 2 & 4.

Præceptum primum.

Præceptum secundum.

§. XVII. *Secundum* præceptum nominis divini profanationem prohibet, ejusdem vero invocationem præscribit. Praxis hujus præcepti apud patriarchas semper viguit. Gen. IV. 26. cum sanctificatio nominis Dei per Cainitas esset profanata, *Enos cæpit invocare in nomine Dei.* Gen. XII. 7. *Abraham ædificat altare ipsi Jehovæ primum apud Sichemam, deinde inter oppida Bethel & Hai, invocatque ibi nomen Jehovæ*, hoc est, Abrahamus altari in honorem veri Dei exstructo circa illud concionatur, sacrificat, preces suas fundit, & vaticinia de venturo Messia auditoribus suis proponit. Melchisedecus rex Salem Abrahæ ex prælio redeunti cum benedictione occurrit, Gen. XIV. 20, *Benedictus Deus altissimus, quia*

quia tradidit hostes tuos in manum tuam, sicque ipso facto ostendit, nomen Domini propter omnia non solum spiritualia, sed & corporalia beneficia benedicendum esse. Ibidem v. 22. *Abraham levat manum suam ad Jehovam Deum altissimum, possessorem cæli & terræ.* Per solum ejus nomen jurandum esse ostendens, quem jurandi morem in Abrahæ & aliorum prophetarum familia observatum postea fuisse, ostendit exemplum Eleazari Gen. XXIV. 3. &c. Jacobi Gen. XXXI. 53. Tertia etiam vice *plantavit Abraham silvulam ad fontem Beersheba, & invocavit ibi nomen Jehovæ Dei æterni* Gen. XXI. 33. Isaacus hoc parentis exemplum secutus itidem *altare illic exstruxit, & nomen Jehovæ invocavit* Gen. XXVI. 25. Ad cultum secundi præcepti pertinet etiam votum illud, quo se se Jacobus vero Deo obstrinxit Gen. XXVIII. 20. Idem Esavi truculentiam metuens & in summis angustiis constitutus ad serias preces convertitur, quibus se suosque Deo commendat Gen. XXXII. 9. in omnibus omnino calamitatibus verum Deum unice invocandum esse docens.

Præceptum tertium.

§. XVIII. *Tertium* præceptum de sanctificando sabbatho manifeste divina voce sancitur Gen. II. 3. *Benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum*, hoc est, divino cultui eum deputavit, ac verbi divini auscultatione & meditatione, sacramentorum usurpatione, ardenti invocatione ac similibus pietatis exercitiis sanctificandum ordinavit. Arbor scientiæ boni & mali primis parentibus fuit velut ara ac templum, in quo debitum Deo exhiberent cultum. Pertinent huc sacrificia veterum, utpote Caini & Abelis Gen IV. 3. & 4. Noachi Gen. VIII. 20. Abrahæ Gen. XXII. 13 &c. quæ fuerunt typi unici vere propitiatorii sacrificii a Christo in ara crucis offerendi, atque in fide oblata fuerunt pars cultus divini tertio præcepto sanciti. Nec existimandum, ex solo rationis dictamine sine aliquo certo Dei verbo sacrificia a patriarchis fuisse excogitata: præterquam enim, quod historia ecclesiæ omnium temporum testatur, ἐθελοθρησκείας nunquam Deo placuisse, diserte docet epistola ad Hebræos, *Abelem fide sacrificasse*, c. XI. 4. jam vero fidei correlatum & objectum est Dei verbum; Rom. X. 17. nec in mactatione animalium ullam cum natura Dei spirituali ἀναλογίαν ratio humana deprehendit, utique ergo non ex rationis ductu, sed ex Dei in revelato verbo præscripto mos sacrificandi initium cœpit. Ejus inquam præscriptum & revelationem secuti sunt, qui semper verbo suo externum & visibile aliquod gratiæ signum conjungit, & coram quo *melior obedientia quam victima* 1. Sam. XV. 22. *Tempore Enos cœptum est invocari nomen Domini*, Gen. IV. 26. non quasi nullæ hactenus preces in usu fuissent Adamo, Evæ, Habeli, Setho &c. sed quia publicum docendi ministerium, persecutionibus Cainitarum dissipatum ac præpeditum, circa illud tempus iterum instauratum est. Vide D. Lutherum in comment. ejus loci Gen. V. 22. *Henoch ambulavit cum Deo*, hoc est, fuit eximius propheta & concionator istius seculi, singulari præ reliquis zelo opus domini ursit, Cainitarum idololatriæ ac impietati se opposuit, promissionem de semine mulieris explicavit, ac spem vitæ æternæ inculcavit, quam interpretationem hujus phraseos tradit epist. Judæ 14. Gen. VI. 3. Inter causas diluvii refertur contemtus ministerii, *homines sunt caro*, hoc est, reipsa ostendunt, se nolle regi Spiritu Dei, secure perficiunt desideria carnis, nolunt peccata sua per justitiæ præcones & organa Spiritus sancti argui, ideo etiam *Spiritus meus non contendet amplius cum eis* &c. Hic contemtus ministerii fuit gravissimum peccatum contra tertium præceptum, ideo etiam gravissima pœna a Deo fuit vindicatus. Quinimo quotiescunque patriarchæ dicuntur altaria exstruxisse, ac circa illa nomen veri Dei invocasse, utpote Abrahamus Gen. XII. 7 & 8. XIII. 4. XXII. 33. Isaacus Gen. XXVI. 25. Jacobus Gen. XXXIII. 20. XXXV. 7. ibi observatio tertii præcepti describitur, siquidem eo fine altaria illa fuerunt exstructa, ut ad illa convenirent, doctrinam cœlestem proponerent, sacrificia offerrent, preces & supplicationes facerent, vaticinia de Messia explicarent, ac Deo pro beneficiis gratias agerent. De Josepho dicitur Ps. CV. 22. *quod erudierit principes in terra Ægypti*, &

& senes ejus docuerit sapientiam, hoc est, instituit proceres regni in vera religione, & cœlestem sapientiam ex verbo Dei Ægyptios docuit.

Præceptum quartum.

§. XIX. *Quartum* præceptum de honorandis parentibus obscurius ponitur in illa sententia Gen. II. 24. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*, neque enim honor parentibus debitus per conjugalem societatem abolетur, sed gradus tantum constituuntur. Gen. VI. 2. inter causas diluvii etiam hoc refertur, quod *filii Dei filias hominum viderint, quam pulcræ essent, & acceperint sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*, hoc est, in electione conjugum non secuti sunt consilia parentum, sed cæcæ libidinis impetum. v. 4. *erant etiam gigantes in terra in diebus istis*, hoc est, tyranni, ab irruendo sic vocati, inferiores & pauperiores vi invadebant atque opprimebant, cum deberent esse ex præscripto quarti præcepti ἥπιοι πατέρες λαῶν. Gen. IX. 25. propter Chami procaces oculos ac detractricem linguam Canan filius ejus maledicitur, contra vero Semi ac Japheti reverentia parenti exhibita benedictionis præmio adficitur, ex quo recte colligunt Chrysostomus & Theodoretus in comm. illius loci, quod Deus ipsi naturæ in prima creatione insculpserit legem de honorandis parentibus. Gen. XVI. 6. immorigera ancilla Hagar fugiens imperium herile ab angelo Domini retrahitur ac submanibus dominæ sese humiliare jubetur. Gen. XVIII. 19. Deus ipse magnopere commendat, quod Abrahamus familiam suam educat ἐν νουθεσίᾳ κυρίου. *Novi, quod præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Jehovæ, faciantque justitiam & judicium*, quæ pars est officii parentum liberis debiti facile primaria. Gen. XXIV. consensu parentum utriusque conjugis Rebecca nubit Isaaco, quod non minus ad honorem parentum pertinet. Exemplum Isaaci sequitur Jacobus, Gen. XXVIII. 2. uterque igitur præteritis Ismaële ac Esavo benedictionis redditur particeps. Josephus parenti obsequentem sese præbens Gen. XLV. 13. post varios calamitatum turbines vel tandem ad portum felicitatis ac regiæ majestatis Deo duce adspirat.

Præceptum quintum.

§. XX. *Quintum* præceptum de non occidendo diserte voce divina repetitur in historia Caini Gen. IV. 10. *Sanguis*, sive, ut est in Hebræo, vox sanguinum *fratris tui clamat ad me de terra*, neque enim vel minima guttula sanguinis injuste effusi est in oblivione coram Deo, sed ipse videt & requirit, unde Cain a Deo proscribitur, & maledictionis fulmine percellitur. Observandum autem est, quod non tantum post perpetratum fratricidium Cainus a Deo arguitur, sed etiam audit v. 6. *Quare iraseris & quare concidit vultus tuus?* ostenditur igitur ab ipso Deo vera quinti præcepti explicatio, quod non solum externum homicidium, sed etiam interius odium, flammæ irarum & simultatum in eo sint prohibitæ, perinde ut Christus Matth. V. 22. dicit: *Quisquis dixerit fratri suo Racha, fatue, reus erit judicii.* Gen. IX. 6. ipsius Dei voce pœna homicidio constituitur capitalis. Vers. 5. *Profecto sanguinem vestrum requiram, de manu cunctorum animalium requiram illum & de manu hominis, de manu viri fratris ejus requiram animam hominis*, ergo nec a propinquo nec a peregrino vel quocunque homine Deus vult hominem interfici. Vers. 6. *Qui effuderit sanguinem hominis, ejus sanguis per hominem effundetur*, id est, per legitimum magistratum, cui gladius est commissus; ideo Thargum Onkelos tradit hanc paraphrasin: *Quicunque fuderit sanguinem hominis cum testibus, per sententiam judicum sanguis ejus fundetur.* Gen. XIII. 7. exorta inter pastores pecoris Abrahæ & inter pastores pecoris Lothi contentione, dicit Abraham ad Lothum v. 8. *ne quæso sit contentio inter me & te, & inter pastores meos ac pastores tuos, quia fratres sumus*; docens, lege caritatis omnes nos esse fratres, ac proinde omnem contentionem a nobis exulare debere. Gen. XIV. exemplo Abrahæ ostenditur, bella legitima, præsertim ea, quibus injuria illata vindicatur & justa defensio quæritur, non pugnare cum quinto præcepto; fuisse enim illud Abrahæ bellum legitimum, probat felix successus, Melchisedeci benedictio & ipsius Dei effatum Esa. XLI. 2. Gen. XVIII. 24. intercedit Abraham pro Sodomitis, sincerum erga ec

præsertim vero Lothum agnatum suum, adfectum demonstrans, proximi enim calamitatem ut nostram æstimare quinti præcepti tenor jubet. Gen. XXXII. 3. Jacobus omnes vias reconciliationis cum Esavo solicite inquirit, & de suo jure aliquid remittit. Gen. XXXVII. 28. Invidia fratrum vendentium Josephi gravissime tandem punitur, ut conscientia pristini sceleris tacti dicant, Gen. XLII. 21. *Vere peccavimus adversus fratrem nostrum, nam vidimus angustiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus eum, idcirco venit super nos angustia hæc.* Josephus contra placidissimo animo condonat, quicquid contra ipsum peccaverant fratres, quæ condonatio fraterna est primaria virtus quinti præcepti. *Ne timeatis*, ait Gen. L. 19. *num enim loco Dei sum?* cum Deus paterne condonat delicta, non convenit, me immortales iras gerere.

Præceptum sextum.

§. XXI. *Sextum* præceptum, prohibens adulteria & vagas libidines, in ipso Paradiso divina voce sanctum est Gen. II. 24. *Relinquet homo patrem & matrem suam, ac adhærebit uxori suæ, eruntque caro una*, qua conjugii lege non solum vagas libidines atque adulteria, sed etiam polygamiam ac temeraria divortia prohiberi, testis est Christus Matth. XIX. 6. eadem contra sincerum ac serium amorem conjugalem præcipi, testis est apostolus Eph. V. 30 & 31. Gen. VI. 2. inter causas diluvii referuntur vagæ libidines. *Viderunt filii Dei filias hominum, quod essent pulcræ, & acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*, ubi talis traditur interpretatio sexti præcepti, quod non solum exterior scortationis actus, sed etiam illicita oculorum concupiscentia in eo prohibeatur 1 Joh. II. 16. perinde uti Christus Matth. V. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam tum fornicatus est cum ea in corde suo.* Peccarunt igitur filii patriarcharum, quos Moses Dei filios vocat, multis modis contra sextum præceptum; indulserunt concupiscentiæ oculorum, abnegata spe promissi seminis, ex Cainiticis fœminis quæsiverunt sibi uxores, fugitivum formæ decus, non autem veram pietatem in illis respicientes; duxerunt insuper eas sine consensu parentum, & quas cæco libidinis impetu sibi heri sociaverant, hodie iterum repudiarunt, & quia sine Cerere & Baccho friget Venus, ideo heluationibus, luxu & musicis instrumentis libidinis flammas excitarunt, teste Christo, Matth. XXIV. 38. quæ peccata horribili cataclysmi pœna tandem vindicavit Deus. Gen. XII. 17. percutitur Pharao plagis magnis propter Saram Abrahæ uxorem, quæ in domum ipsius erat abducta, quo ipso Deus sese vindicem conjugii ac sexti præcepti ostendit. Gen. XIX. 11. Sodomitæ propter horrendas libidines *puniuntur cæcitatibus* corporis scilicet atque animi, & v. 24. sulphure & igne cœlitus depluto funditus delentur, v 33. Lothum ebrietas decipit, ut fiat Συγατρόγαμος, atque ita suus gener, socer, pater, maritus, avus contra naturæ legem. Gen. XX. 7. divinum judicium Abimelecho regi mortem denunciat, nisi conjugem Saram Abrahæ restituat; quo ipso ostenditur, neminem dignitatis gradu ab obedientia sexti præcepti exemtum esse, proinde Persicum illud senatusconsultum esse impium ac naturæ legibus repugnans, quod regi, quam velit ducere, liceat. Gen. XXXIV. 2. Dina licentius evagata virginitatem perdit, quod scortationis peccatum filii Jacob v. 7. nominant *stultitiam*, hoc est, impietatem & fœditatem: scriptura enim impios vocat stultos; raptoris Sichemi improbitas v. 26. gladio punitur. Gen. XXXV. 22. incestus Rubeni commemoratur, propter quem jure primogenituræ spoliatus est; Gen. XLIX. 4. 1 Paral. V. 1. Genes. XXXVIII. 8. jubetur Onanus *relictam fratris viduam ducere, ac fratri semen suscitare*, quod ipsum ostendit, multa lege Mosis sancita in usu fuisse ante legem, quemadmodum peculiari lege Deut. XXV. 5. hac de re cavetur: sed quia Onanus fœdissimo scelere contra sextum præceptum peccat, *ideo a Domino interficitur* v. 10. insolito procul dubio mortis genere e terra viventium abscinditur. Vers. 24. Thamarem ex fornicario concubitu gravidam

vidam Judas tanquam adulteram capitis supplicio adjudicat, utpote filio Selah desponsatam, ex quo adparet, hanc legem de pœna adulterii capitali etiam ante Mosen in usu fuisse. Gen. XXXIX. 8. Josephus adulteræ mulieris illectamenta renuens ad regale dignitatis solium postea evectus castitatem præmiis a Deo ornari comprobat.

§. XXII. *Septimum* præceptum de non furando itidem ante Mosen promulgatum. Gen. II. 15. in statu integritatis mandatur Adamo, ut *paradisum custodiat, & in eo operetur.* Gen. III. 19. *In sudore vultus sui pane suo vesci jubetur*, labores igitur vocationis Deus præcipit, otium aversatur, sudorem pœnæ loco post lapsum imponit. Gen. VI. 11. inter causas diluvii etiam hæc numeratur, quod *terra fuerit repleta iniquitate*, חמס, proprie significat violentiam ac notoriam injuriam; ostenditur igitur, rapinas, deprædationes ac spoliationes antediluvianis illis χερσοδίκοις fuisse usitatas, sed quod injuste deglutierant, illud cataclysmi aqua tandem concoxit. Gen. XVIII & XIX. φιλοξενία Abrahæ ac Lothi prædicatur, per quam *insciі Angelos, imo Deum ipsum hospitio exceperunt* Hebr. XIII. 2. Quia Labanus mentitus est Jacobo, & mutavit ei mercedem suam decem vicibus, ideo abstulit Deus gregem ejus, ac dedit Jacobo. Gen. XXXI. 7 & 9.

Præceptum septimum.

§. XXIII. *Octavum* præceptum de fugiendo mendacio & amanda veritate itidem non solum naturaliter mentibus hominum insitum, sed etiam voce divina repetitum fuit. Cum enim Cain Deo interroganti de fratre Abelo mendaciter responderet, se nescire, graviter hoc nomine a Deo reprehenditur. Gen. IV. 10. Gen. XII. 13 & XX 2. Abrahamus Saram uxorem suam esse reticens magno periculo pudicitiam Saræ exponit, quod nisi divinitus fuisset aversum, gravissimis sese malis Abrahamus implicasset. Gen. XXIX. 25. mendacium Labanis Leam Rachaëlis loco substituentis gravissime a Jacobo reprehenditur. Filii Jacobi fratrem Josephum a fera discerptum mentiti, Gen. XXXVII. 31. tristes tandem conscientiæ morsus ac cruciatus experiuntur, Gen. XLII. 21.

Præceptum octavum.

§. XXIV. *Nonum* ac *decimum* præceptum de non concupiscendo Dei ipsius voce sic declarantur, quod interiorem naturæ depravationem & ipsam peccati radicem, pravam scilicet concupiscentiam, arguant. Per concupiscentiam oculorum præcipitata fuit Eva in bárathrum omnium malorum: *vidit* enim, quod *bonum esset lignum ad manducandum & desiderabile oculis & concupiscibile, eo quod faceret sapientes*, ideo *tulit de fructu ejus ac comedit*, Gen. III. 6. nimirum per vitiatum oculorum intuitum, ipse animi oculus fuit vitiatus, diabolus ficta voce Evam exterius interrogans, venenatis pravæ concupiscentiæ telis ipsius animum interius vulneravit; quo trahunt veteres dictum propheticum Jer. IX. 21. *per fenestras mors irrupit*, atque in arcem rationis impressionem fecit. Concionatur Deus Caino de peccato quiescente seu cubante præ foribus Gen. IV. 7. quod nullum aliud quam absconditum illud pravæ concupiscentiæ malum, humanæ naturæ post lapsum tenacissime atque intime adhærens, cui per Spiritum resistendum, cujus desideria mortificanda. Gen. VI. 5. non de externis ac gravioribus tantum sceleribus hominum Deus conqueritur, sed etiam fontem illorum, ipsam scilicet naturæ depravationem accusat. *Omne figmentum cogitationum cordis ipsorum tantum malum omni die*; hoc est, *quemadmodum puteus scaturire facit aquam suam, ita corrupta hominis caro jugiter scaturire facit malitiam suam* (nisi Spiritu Dei regeneretur, reformetur ac regatur) Jer. VI. 7. Gen. XVII. instituitur circumcisio in illo corporis membro, in quo potissimum pravæ concupiscentiæ malum sese exserit, ut ostendatur, malum illud per carnalem generationem propagari, ac concupiscentiam carnis spirituali circumcisione perpetuo resecandam esse. Gen. XIX. 26. uxor Lothi præpostera rerum temporalium cura & conflagrantis Sodomæ desiderio respiciens in statuam salis

Præceptum nonum ac decimum.

convertitur, cujus memores nos esse jubet salvator, Luc. XVII. 32. *condimenti* enim *loco nobis proposita est, ne illicita terrenorum concupiscentia cor nostrum occupet.* Augustinus lib.X. de civ. Dei cap. 8.

Solennis legis moralis repetitio.

§. XXV. Ex hac deductione liquido adparet, notitiam legis divinæ mentibus hominum non solum naturaliter insitam, sed etiam ante Mosen voce divina vel immediate vel per patriarchas sæpius fuisse repetitam, quinimo præmia in obedientes collata, ac pœnæ transgressoribus legis irrogatæ, manifestum sunt divini judicii signum, quo se Deus legis suæ auctorem atque vindicem demonstravit. Quamvis vero hæc ita sese habeant, nihilo tamen minus placuit divinæ sapientiæ, publicam & solennem legis promulgationem in monte Sinai instituere, eandemque populo Israëlitico post eductionem ex Ægypto inter clangores tubæ ac tonitrua tradere, cujus promulgationis descriptio exstat Exod. XIX. & XX. Facta autem est solennis illa atque ad omnem posteritatem memorabilis promulgatæ legis sanctio anno mundi 2454. (juxta computationem Funccii in chronolog. pag. 32. & aliorum) mense tertio die scilicet 50. post exitum Israëlitarum Exod. XIX. 1. anno 430. post datam Abrahæ promissionem Gal. III. 17. ante Christi nativitatem annis 1516.

Propter quas causas facta sit.

§. XXVI. Causæ, propter quas solennis illa legis promulgatio ac repetitio fuit instituta, potiores sunt hæ: 1) quia per peccatum notitia legis mentibus hominum in prima creatione obliterata atque obscurata est, siquidem plena illa ac perfecta cognitionis lux fuit pars imaginis divinæ: amissa igitur per lapsum imagine Dei, exstincta etiam est lux illa notitiæ naturalis, ita ut tenues saltem reliquiæ ac faculæ manserint, Eph.V.8. *Eratis quondam tenebræ.* Externa & graviora delicta lege prohiberi, notitia naturalis agnoscit, sed interiorem naturæ corruptionem, & primos concupiscentiæ motus peccata esse non agnoscit; voluit igitur Deus solenni ista legis promulgatione integram & genuinam ejus sententiam quasi instaurare, ac τὸ ἐλλειπτὲς luminis naturalis perficere. Ambrosius in cap. V. Rom. *Quia ipsi quodammodo naturæ inserta sunt justitiæ semina, addita lex est, cujus autoritate & magisterio ingenium naturæ proficeret ad fructum justitiæ faciendum. Sicut enim nativitas interit, nisi nutrimenta habeat, quibus fota adolescat: ita & naturale justitiæ ingenium, nisi habeat, quod respiciat & veneretur, non facile proficit, sed ægrotat, & supervenientibus cedit delictis.* Idem ep.LXXI. *Propter inobedientiam prærogativa naturalis legis corrupta atque interdicta est, ideo scriptum legis testimonium est necessarium, ut vel partem habeat, qui universum amiserat, & cui perierat, quod nascendo assumserat, discendo saltem cognosceret & custodiret.* Augustinus in ps. CXXXIX. *Quia peccator oblitus erat se, nec videbat se, data est illi lex, ut videret se.* Idem in enarr. Psalm. LVII. q. 2. *Data est scripta lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui.* In qq. vet. & nov. test. q. IV. *Ubi naturalis lex evanuit, impressa consuetudine delinquendi, tunc oportuit legem manifestari, non quod penitus obliterata esset, sed quia maxima ejus auctoritate carebant, idololatriæ studebatur, timor Dei in terris non erat, sed fornicatio operabatur circa rem proximi avida erat concupiscentia. &c.* 2) Quia apud Cananæos aliasve gentes multa flagitiosa malis moribus recepta & longa consuetudine confirmata erant, quæ pro lege naturæ habebantur, ideo publica illa legis moralis repetitione ostendendum erat, quæ notitiæ naturales congruant cum regula illa æterna justitiæ, quæ est in Deo; ac normam justitiæ Deo placentis non esse corruptæ rationis placita vel gentilium exempla, sed Dei viventis præcepta, Lev. XVIII. 3. *Secundum opus terræ Ægypti ne feceritis, nec secundum opus terræ Canaan, & in statutis eorum ne ambuletis.* v. 4. *Judicia mea facite, & statuta mea observate.* Augustinus lib.quæst.q.IV.vet. & nov.test. *Ubi naturalis lex evanuit impressa consuetudine delinquendi, tunc oportuit legem manifestari, ut in Judæis omnes*

omnes audirent, non quod penitus obliterata esset, sed quia maxima ejus auctoritate carebant; idololatriæ studebatur, timor Dei in terris non erat, sed fornicatio operabatur, circa rem proximi avida erat concupiscentia, danda igitur lex erat, ut & quæ sciebantur, auctoritatem haberent, & quæ latere cæperant, manifestarentur. Sedulius in c. 3. ad Rom. *Per legem, quid sit peccatum, agnoscitur, in oblivionem enim ierat lex naturæ.* 3) Quia in natura humana per peccatum misere corrupta ac depravata hæret larga seges pravarum inclinationum, quarum impetu velut turbine quodam sæpius abripimur, ac in delicta graviora præcipites damur, ideo voluit Deus publicum exstare testimonium, naturales legis notitias esse divinitus menti nostræ insitas, ut hac ratione mens confirmatior reddatur ad resistendum pravis illis inclinationibus sicque major conscientiæ ratio habeatur. Rom. VII. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* 4) Quia homines interiorem naturæ immunditiem non agnoscunt, sed externæ disciplinæ admiratione fascinati *propriam justitiam coram Deo constituere satagunt,* Rom. X. 3. ideo solenni illa promulgatione legis ostendendum fuit judicium Dei adversus peccata, quo *obstruitur omnium os ac totus mundus redditur Deo ὑπόδικος*, Rom. III. 19. ut hac ratione miseriam nostram agnoscentes ad verum animæ medicum, Christum scilicet, properemus. Atque hæ sunt potiores solennis istius promulgationis causæ, cum quibus reliquæ coincidunt.

τὰ προηγούμενα solennis promulgationis.

§. XXVII. Circa promulgationem illam decalogi consideranda duo: 1) Promulgationis *modus* 2) *Tabulæ*, Dei digito exaratæ & in promulgatione illa Mosi traditæ. Modum promulgationis ut penitius consideremus, observanda primum *antecedentia*, *τὰ προηγούμενα*, ad quorum considerationem Deus ipse in decalogo nos remittit, quando in primo statim limine inquit: *Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Præcesserunt igitur promulgationem Decalogi diuturna illa Israëlitarum servitus in Ægypto; horribiles decem plagæ, quibus Ægyptios Deus percussit; (de comparatione harum plagarum cum decem præceptis tanquam vulnerum cum medicamentis exstat peculiaris liber tom IX. oper. Augustini non procul a fine & serm. 95 de temp. tom X.) miranda ac stupenda eductio ex Ægypto per manum fortem ac brachium excelsum; divisio maris rubri transitum Israëlitico populo præbentis; columna nubis & ignis dux itineris; submersio Pharaonis ac totius exercitus ipsum secuti in mari rubro; aquarum in Marah edulcoratio; coturnicum mirabilis advectio; murmurantium repentina deletio; manna instar roris descensio; aquæ ex petra eductio; gloriosa ex Amalekitis reportata victoria. Hisce igitur tot ac tantis prodigiis excitare Deus voluit animos Israëlitarum ad accipiendam decalogi doctrinam. Memoria pristinæ servitutis ac præsentis libertatis debebat eos excitare ad amorem tam benefici legislatoris. Memoria plagarum Ægyptiacarum, submersio Pharaonis, interitus obmurmurantium timorem illis incutere debebant, ne præceptis divinis sese opponerent.

τὰ περιστατικὰ, quæ in ipsa decalogi promulgatione contigerunt.

§. XXVIII. Consideranda insuper *τὰ περιστατικὰ*, quæ in ipsa decalogi promulgatione contigerunt, quorum diligens & accurata descriptio exstat Exod. XIX & XX. Iubetur populus per triduum prius sese sanctificare, a congressu conjugali abstinere, ac vestimenta sua lavare; die tertio educit Moses populum ad radices montis Sinai, quem tamen vel manu contingere sub mortis comminatione prohibetur, in vertice montis audiuntur tonitrua & clangor buccinæ intensissimus, videntur fulgura & nubes super montem densissima; mons ipse fumare videtur totus eo, quod super ipsum Jehova in igne descenderat, unde universus mons vehementer commotus, nec minus commoti, quotquot aderant, timore & pavore magno. Moses solus verticem montis adscendens cum Deo colloquebatur, & Deus respondebat ei in voce, quæ

fuit

fuit tam sonora, ut sexcenta millia hominum ad radicem montis consistentium eam potuerint exaudire. Refert Josephus lib. III. antiq. Judaic. c. 4. *Montem Sina omnium regionis ejus esse celsissimum & ob nimiam altitudinem cautesque præruptas non adscensus tantum hominum, sed adspectus quoque ipsos desatigantem;* magnum igitur ac stupendum est miraculum, quod tanta hominum multitudo, quæ ad radicem montis magnum omnino spatium occupavit, vocem Dei loquentis distincte audire potuit. Nec sonora solum, sed & terribilis fuit vox Dei recitantis decalogum, inde populus expavescens & procul recedens Mosi dicit: *Ne loquatur nobiscum Deus, ne forte moriamur, tu nobiscum loquere, & obsequemur.* Pertinet etiam hoc ad circumstantiarum considerationem, quod decalogum Deus ipse coram toto populo recitavit, sed reliquas leges judiciales & ceremoniales Mosi in caligine nubis tradidit, ad populum perferendas Deut. V. 22. & seq. Josephus dicto loco circumstantias promulgationis sic describit: *Hebræi juxta mandatum prophetæ motis castris radices montis occupant, suspensi animis, quidnam boni, ita ut promiserat, esset a Deo reportaturus, atque interim, dum ductorem suum exspectant, festos dies agebant, castitatem servantes tum in cæteris, tum abstinendo a congressu mulierum per triduum, sicut jussi fuerant, & adsiduis precibus Deum solicitantes, &c. Interim & victu sumtuosiore utebantur & ornatu splendidiore una cum uxoribus ac liberis excolebantur, atque in hunc modum duabus diebus inter epulas exactis, adpetente jam tertia nubes primum præter solitum supra tota castra Hebræorum sublimis pependit, tentoria, quam late patebant contegens, reliquum cælum circumquaque clara serenitate obtinente, procellæ deinde cum imbre vehementi ruebant, & fulgura simul crebro micantia terrebant, fulminaque elisa significabant, Mosen ex sententia cum Deo propitio convenisse. Hebræi insolita tempestate visa, ejusque horrendo strepitu aures feriente supra modum turbabantur, nam & rei novitas terrebat & rumor vulgatus de monte, quod crebro eum Deus inviseret, quamobrem se continebant intra tabernacula mœsti, putantes actum de salute Mosis.* Hæc Josephus. Ejus descriptio Mosaicæ non videtur usquequaque convenire, quam enim supra totâ castra pependisse nubem Josephus refert, eam Moses tantum supra montem collocat, Exod. XIX. 16. Quæ de victu sumtuosiore & cultu splendidiore a Josepho attexuntur, non videntur admodum convenire deserto, & quis potuit sumtuosior victus illis suppetere, qui de carnium atque aquæ penuria paulo ante graviter erant conquesti?

§. XXIX. Redeamus vero ad descriptionem Mosaicam: 1) Jubetur populus per biduum se sanctificare, vestimenta lavare, a congressu conjugali abstinere, ac tertio demum die legis promulgationem exspectare. Sanctificatio illa requirebat piam ac devotam præparationem ad audiendam legem, siquidem externa illa sanctificatio internæ symbolum erat. Determinantur huic sanctificationi tres dies, vel, quia ternarius numerus sacer est Trinitati, vel ut Scholastici quidam sentiunt, tres animæ facultates denotantur sanctificandæ. Externa vestium ablutio erat symbolum interioris purgationis a vitiis, honestus vestitus de solennitate festi admonebat. Præceptum de abstinentia a congressu maritali itidem majorem reverentiam, & attentionem in animis Israëlitarum excitare debuit, perinde ut apostolus conjuges ardentius oraturos ac jejunaturos ad tempus ab usu conjugali abstinere docet, 1 Cor. VII. 5. 2) Tertio demum die descendit Jehovah verus Deus in oculis totius populi super montem Sinai, descendit autem, non locum mutando, sed præsentiam suam externis signis manifestando. Hic est legis suæ auctor & promulgator; qui notitiam legis mentibus hominum primitus insevit, idem legem suam in monte Sinai solenniter ac publice repetivit. Num. XII. 6. dicit Deus, se *prophetis revelare suum verbum vel in visione, vel per somnium, vel per occultam inspirationem* Spiritus sancti; sed cum decalogum promulgaret, nullo istorum modorum usus est, sed ipsemet sua voce coram

toto

foto populo eum recitavit. 3) Usus autem est Deus in promulgatione legis ministerio angelorum. Act. VII. 53. *Accepistis legem εἰς διαταγὰς ἀγγέλων per dispositionem angelorum.* Gal. III. 19. διαταγεὶς ὁ νόμος δι ἀγγέλων. *Lex ordinata per angelos;* fuerunt autem in hoc opere angeli non auctores, sed internuncii, testes atque administri. Non aderant solum angeli in monte Horeb, sed & vox illa tubæ per angelum sonuit. Quemadmodum igitur in promulgatione illa legis ministerium angelorum & tubæ sonitus fuerunt adhibita; ita in extremo die, quando exsecutio legis instituetur, *ipse Dominus ἐν κελεύσματι in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo,* 1 Thess. IV. 16. 4) Mediator in actione illa fuit Moses. Gal III. 19. *Lex ordinata est per angelos in manu mediatoris,* quod officium quomodo exsecutus sit Moses, describitur Exod. XIX. 3. *Mose adscendit ad Deum, vocaverat enim eum Jehovah ex monte, dicendo: sic dices domui Jacob, &c.* v. 7. *Venit itaque Mose, & vocavit seniores populi, proposuitque eis omnia verba illa.* v. 8. *Retulit Moses verba populi ad Jehovam.* v. 14. *Descendit & sanctificavit populum.* v. 17. *Eduxit populum in montem in occursum Dei e castris.* Exod. XX. 19. *Dixit populus Mosi: Loquere tu nobiscum, & obsequamur, & ne loquatur nobiscum Deus, ne forte moriamur.* v. 21. *Stetit populus procul, Mose autem adpropinquavit ad caliginem, in qua erat Deus.* XXIV. 12. *Dixit Jehovah ad Mosen: Adscende ad me in montem, & esto ibi, & dabo tibi tabulas lapideas & legem atque præceptum, quæ scripsi ad docendum eos.* Deut. V. 4. *dixit Moses populo: a facie ad faciem locutus est Jehovah vobiscum in monte, e medio ignis.* v. 5. *Ego vero stabam inter Jehovam & vos eo tempore, ut renunciarem vobis verbum Jehovæ timebatis enim a facie Jehovæ, & non adscendistis in montem.* Moses igitur mediator fuit in hac actione, promulgationem legis prius denunciando, promissum populi ad Deum referendo, populum sanctificando: eundemque in occursum Dei ducendo, montem adscendendo, ac tabulas legis accipiendo, ceremoniales & judiciales leges ex ore Dei referendo, &c. (*) 5) Quare tonitrua, fulgura, clangor buccinæ, ignis, fumus, lampades, &c. fuerint in promulgatione adhibita, ejus rei causam exponit Moses Exod. XX. 20. *Ut tentaret vos, venit Deus, & ut sit timor ejus ante conspectum vestrum, ut non peccetis. Lex iram operatur in hac corrupta natura.* Rom IV. 15. In cujus rei signum tremenda illa ac terribilia signa fuerunt adhibita. Lex vetus fuit *lex timoris*, lex nova dicitur *lex amoris* a scholasticis, quo pertinet collatio pentecostes in vet. & nov. test. quam

(*) Causa *efficiens* legis divinæ est vel principalis vel administra. Illa est ipse Deus Exod. XIX. 9. XX. 1. Jac. IV. 12. Deut. V. 22. Administra est vel inferior, vel superior. Superior causa administra sunt angeli Act. VII. 53. Gal III. 19. Heb. II. 2. non ut legis auctores, sed ut internuncii, ministri, exsecutores in promulgatione legis, præpositio enim διὰ geminata in διαταγεὶς & δι ἀγγέλων ministerii & instrumenti indubium est indicium. Inferior est Moses Joh. I. 18 Gal. III. 19. Lex ordinata est per angelos in manu mediatoris. Athanasius, Chrysostomus, & quidam ex recentioribus per μεσίτην intelligunt ipsum Christum sed Epiphanius, Theodoretus, Lutherus, aliique rectius de Mose vet. test. mediatore accipiunt, quippe qui fuit sequester & medius inter Deum & Israelitas quoad annunciationem. Deut. V. 5. & 27. ac dicitur ἐν χειρὶ, qua loquendi formula opera ac ministerium significari solet, & quidem ita, ut internuncius hic tanquam inferior angelis, ab iis acceptas leges ad Judæos detulerit. De Mose autem hoc intelligendum esse, ipsa promulgationis historia Deut. V. 5. & 27. Exod. XXXII. 15. XXXIV. 29. evincit. Quæritur: Cur non prius lex repetita? Resp. quia non voluit, cujus voluntatis duæ possunt adduci rationes: a) quia Deus præcipue post lapsum ab imperfecto ad perfectius progredi solet; verbi gratia, prius promisit Messiam, postea typis exhibuit, denique in carne manifestavit. Sic prius legem naturæ, deinde verbo sine scriptura, postea eandem luculentissime descriptam tradidit. b) quod perfecta lex populo ex semine Abrahæ nascituro erat deputata; non prius autem erat populus & liber populus, ut propriis legibus uti posset. GERHARDVS.

quam instituit psalmus LXVIII. 8. & seqq. Chemnitius in harm. cap. LI. pag. 288. *In vet. test. tam terribilis erat promulgatio legis, ut populus non posset in montem adscendere, sed clamabat*, vocem illam non possumus audire: *quando autem in nov. test. Christus explicat legem, addens suam impletionem, sive quando Evangelium utitur ministerio legis, addens ei suam ἐπείκειαν, tunc turbæ in ipsum montem, ubi Christus legem explicat, adscendunt & de efficacia doctrinæ ejus mirantur.* Per clangorem illum buccinæ quidam intelligunt ipsa tonitrua continuato sono clangorem buccinæ imitantia, quo referunt, quod de ἐχάτῃ σάλπιγγι scribit apostolus 1 Cor. XV. 52. 1 Thess. IV. 16. sed cum distinctam tonitruum & clangoris hujus mentionem faciat Moses, ac sonitum buccinæ magis magisque auctum fuisse referat, præstat κατὰ τὸ ῥητὸν hunc clangorem accipere, quod ministerio angelorum fuerit editus. Judæi ridiculam proponunt fabulam, quod *clangor iste factus fuerit in cornu accepto de ariete, qui pro Isaaco olim immolatus.* Exod. XIX. 13. dicitur, *Cum cœperit clangere buccina, tunc adscendent in montem*, id videtur contrarium prædictis, in quibus prohibentur adscendere in montem, adeoque etiam ab ejus contactu jubentur abstinere. Quidam igitur agnoscunt hic synecdochen, adscendent in montem, hoc est, ad radices montis. Rab. Salomon sic exponit: *Erat quidam modus clangendi protensus, & erat signum recessus deitatis de monte, & per hoc erat ipsis data potestas transiliendi constitutos terminos & adscendendi in montem.* Sed ex ipso textu simplicissima peti potest interpretatio. *Cum coeperit clangere buccina, adscendent* בָּהָר, *ad montem*, non autem in montem, aliqualis igitur ad montem accessus concedebatur protracto longius buccinæ sono, ubi mystice significatum, tum ad Deum propiorem nobis patere aditum, cum vox evangelii diffusa & protracta toti orbi innotuit. 6) In summo montis vertice adparuit ignis, in quo descendit Jehova Exod. XIX. 18. ex cujus medio Deus locutus est cum Israëlitis, Deut. V. 4. Huic quodammodo adversari videtur, quod dicit Deus se venturum in densitate nubis, Exod. XIX. 9. ac quod Moses dicitur adpropinquasse ad caliginem, in qua erat Deus, Exod. XX. 21. Dicendum, quod in medio densæ ac caliginosæ nubis fuerit ignis, divinæ præsentiæ symbolum, e cujus medio Deus locutus dicitur, Exod. XXIV. 16 & 17. Beda in cap. XXIV. Exod. *Lex in monte datur, ut ex altitudine loci colligatur, quam excelsa, quamve ab humanis doctrinis secreta sit lex, quam Moses accipit.* Fumus impiorum legi rebellantium interitum, motus montis tremorem conscientiæ notat. Densa illa ac caliginosa nubes in monte typus fuit ministerii vet. test. in quo Deus mysterium salutis de Christo involucris umbrarum abscondit, potest etiam generalis commonefactio esse, quod in hac vita per speculum in ænigmate videamus, 1 Cor. XIII. 12. involvit se Deus nubi verbi & sacramentorum. Ignis significabat, Deum esse ignem consumentem. Deut. IV. 24. Heb. XII. 29.

Vindicibus flammis sibi qui contraria delet,
Ipseque justitiæ regula sola manet.

Deut. IV. 36. vocatur ignis ille *magnus*, cujus puritas ac splendor partim summam Dei perfectionem & sanctitatem, partim vero Zelum adumbravit, describitur enim ut ignis fumans, montem accendens, fulgura excitans & in terrorem conjiciens. Sed in pentecoste nov. test. adparet ignis fumo carens, sublata scilicet per Christi sacrificium Dei ira: ignis iste acuit apostolorum linguas, ut concione evangelii corda hominum penetrarent. Act. II. 3. Per hunc ignem corda illuminantur, amore Dei accenduntur, Spiritus fervore inflammantur, a peccati sordibus expurgantur, a connata duritie liberantur, & ad radios bonorum operum spargendos præparantur. Cogitandum hic relinquo piis mentibus, an non columna ignis & nubis per desertum Israëlitas deducens fuerit perpetuum memoriale hujus promulgationis, in qua Deus itidem in nube & igne adparuerat? 7) Denique prohibetur populus montem contingere, nedum adscendere. Exod. XIX. 12. *Constitues*

ſtitues terminum populo per circuitum montis, & dices ad eos: Cavete, ne adſcendatis in montem, nec tangatis fines illius; omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. (Et quantum ſupplicium ſumetur de tanta temeritate) *non tanget transgreſſorem illum manus hominis, ſed lapidibus opprimetur, aut jaculis eminus confodietur, ſive jumentum fuerit, ſive homo, non vivet.* v. 21. *Conteſtare populum*, hoc eſt, ſerio prohibe, *ne forte tranſcendere velit terminos, ut videant & pereant ex eis plurimi.* Prohibitio illa itidem ſpectabat ad reverentiam in animis Iſraëlitarum excitandam, temeritatem contra cohibendam. Sed & nos ſcripturæ terminis in hac vita contenti ſimus, nec rationis cœcæ ductum ſecuti in adita divinæ majeſtatis irrumpere conemur, quod foret τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν & præfixos limites tranſilire.

τὰ ἐπόμενα.

§. XXX. Reſtant circa promulgationis modum conſideranda τὰ ἑπόμενα, quænam miracula ſolennem illam legis promulgationem ſint ſecuta, utpote quod *Moſes denuo in montem adſcendit, ac per quadraginta dies & quadraginta noctes in eo commoratus eſt, panem non comedens, & aquam non bibens*, Exod. XXIV. 18. Deut. IX. 9. *quod per integros quadraginta annos Deus populum Iſraëliticum in deſerto circumduxit, ut tentaret eum, ac ſciret, quid in corde ſuo haberet, utrum obſervare velit præcepta ejus, an ſecus*: Deut. VIII. 2. quod *veſtimenta ipſorum toto illo tempore non ſint attrita, nec calcei vetuſtate conſumti, nec pedes ex continuis illis profectionibus intumuerunt.* v. 4. *quod in promiſſam tandem terram melle ac lacte fluentem Iſraëlitæ ſunt introducti.* v. 7. quibus omnibus ac ſingulis bonitatem, potentiam ac majeſtatem ſuam populo ſuo Deus teſtatum voluit facere, atque ad legis obſervationem eos invitare.

Tabulæ decalogi dicuntur opus Dei.

§. XXXI. Expoſito promulgationis modo intueamur *tabulas*, quibus decalogus fuit inſcriptus. I) *Cauſæ efficientis* ratione fuerunt hæ tabulæ מַעֲשֵׂה אֱלֹהִים *factura* vel *opus Dei*, ex quo intelligitur, miraculoſe tabulas iſtas a Deo ipſo fuiſſe formatas; diſerte enim non ſolum ſcriptura, ſed & factura iſtarum tabularum Deo tribuitur. Exod. XXXII. 16. *Et tabulæ opus Dei erant, ſcriptura quoque ſcriptura Dei erat tabulis illis inſculpta.* Sed tabulas iſtas Moſes de monte deſcendens, ac propter idololatriam populi excandeſcens, e manibus ſuis abjecit, eaſdemque ſub monte confregit v. 19. ideo jubetur alias duas tabulas dolare prioribus ſimiles, quibus verba legis a Deo ſunt inſcripta, Exod XXXIV. 1. Auguſtinus lib. II. quæſt. in Exodum. q. 144. in hac colliſione tabularum figuratam fuiſſe ſcribit iterationem nov. teſt. quoniam vetus fuerat abolendum & conſtituendum novum q. 166. *Magna hic oritur quæſtio, quomodo illæ tabulæ, quas erat Moſes Deo utique præſciente fracturus, non hominis opus dicantur eſſe, ſed Dei: nec ab homine ſcriptæ, ſed ſcriptæ digito Dei? Poſteriores vero tabulæ tamdiu manſuræ & in tabernaculo ac templo Dei futuræ jubente quidem Deo tam ab homine exciſæ ſint, quam ab homine ſcriptæ? An forte in illis prioribus gratia Dei ſignificabatur, non hominis opus, qua gratia indigni facti ſunt revertentes corde in Ægyptum & facientes idolum, unde illo beneficio privati ſunt, & propterea Moſes tabulas fregit: iſtis vero tabulis poſterioribus ſignificati ſunt, qui de ſuis operibus gloriantur. Et ideo tabulæ humano opere exſculptæ & humano opere conſcriptæ datæ ſunt, quæ cum ipſis manerent, ad eos ſignificandos de ſuis operibus gloriaturos, non de digito Dei, hoc eſt, de ſpiritu Dei, &c. In prioribus illis vetus ſignificatum eſt teſtamentum, quia Deus ibi præcepit, ſed homo non fecit; In ſecundis autem tabulis homo per adjutorium Dei tabulas fecit atque conſcripſit, quia novi teſtamenti caritas legem fecit.*

Fuerunt lapideæ.

§. XXXII. II) Ratione *materiæ* dicuntur lapideæ Exod. XXIV. 12. XXXI. 18. &c. לֻחֹת הָאֶבֶן *tabulæ lapidum*, לוּחַ, *tabula* a levitate, אֶבֶן, Forſterus exiſtimat deſcendere a radice בָּנָה, *ædificavit*, propterea quod ex lapidibus varia

exstruantur ædificia. Rabbini dicunt, ex sapphiro eas fuisse factas. Gloss. interlin. *Lex est in tabulis lapideis scripta, quia fortibus fixa intentione custodienda, quorum exempla cum nobis imitanda proponuntur, quasi scripta in lapide lex ostenditur.* Convenientius dicitur, denotari legis divinæ in lapideis tabulis expressæ rigorem ac perpetuitatem Matth. V. 18. *Donec transeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Itemque cordis humani contumaciam, quod natura est lapideum, Ezech. XXXVI. 26. Pertinet huc, quod Josua repetitionem legis coram populo Israëlitico instituens, lapidem magnum statuit subter quercum, quæ erat in sanctuario Jehovæ, & dicit ad populum universum: *En lapis iste erit in testimonium, ipse enim audivit omnia verba Jehovæ, quæ locutus est nobiscum*, Jos. XXIV. 26 & 27. nimirum voluit eos commonefacere lapidearum tabularum, quibus lex Dei inscripta erat. Paulus 2 Cor. III. 3. eleganti oppositione renatos vocat *epistolam Christi scriptam non atramento, sed in spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed tabulis cordis carnalibus;* nimirum quia spiritus Dei legem scribit in corda renatorum, ac dat vires præstandi ea, quæ in legis litera præscribuntur; absque hoc Dei spiritu lex & tabulæ illæ lapideæ manent litera mortua, imo occidens, unde v. 7. apostolus eam vocat διακονίαν τῦ θανάτυ ἐν γράμμασιν ἐντετυπωμένην ἐν λίθοις. Lapideæ illæ legis tabulæ non conferent nobis salutem & vitam (fiquidem infirmitas & corruptio carnis nostræ perfectam obedientiam remoratur) accedendum igitur vera fide ad lapidem illum benedictum in ecclesia, ad pretiosum illum lapidem, quem in Sion posuit Deus, Esa. XXVIII. 16. Dan. II. 45. 1 Petr. II. 4. &c.

§. XXXIII. III) Ratione *formæ Dei digito scriptæ.* dicuntur hæ tabulæ scriptæ Dei digito, Exod. XXXI. 18. Deut. IX. 10. unde diserte additur Exod. XXXII. 16. *Tabulæ opus Dei erant, & scriptura erat Dei scriptura tabulis insculpta.* Moses utitur vocibus כָּתַב, *scripsit*, & חָרַת *sculpsit*, quæ posterior vox alibi in tota scriptura non invenitur. Apostolus 2 Cor. III. 7. pulcerrime dicit legem ἐντετυπωμένην, q. d. *typis expressam* & impressam in tabulis. Sed incorporeus Deus quomodo potuit digito scribere? Resp. 1) cœlesti & ineffabili modo fuerunt a Deo ipso characteres literarum in illis tabulis formati. (*) 2) Filius Dei in plenitudine temporis adsumturus erat veram humanam naturam, quo respectu *digitum* Deo scriptura tribuit. In ipsa promulgatione decalogi Deus de Deo, hoc est, Filius de Patre loquitur Exod. XIX. 10 & 11. XXXIV. 5 & 6. 3) Digitus Dei est Spiritus sanctus, ut intelligitur ex collatione Matth. XII. 27. cum Luc. XI. 20. significatur igitur, legem Dei per Spiritum sanctum cordibus nostris per prædicationem evangelii inscribi oportere, Jer. XXXI. 33. ut spontaneam Deo ac legi ipsius obedientiam præstare incipiamus. Augustinus Lib. XVI. de civ. Dei cap. 43. *Lex data est quinquagesimo die post celebratum pascha per ovis immolationem, quæ usque adeo typus Christi est, prænuncians eum per victimam passionis de hoc mundo transiturum ad patrem:* (*Pascha quippe Hebræa lingua transitus interpretatur*) *ut jam cum revelaretur testamentum novum, posteaquam pascha nostrum immolatus est Christus, quinquagesimo die veniret de cœlo Spiritus sanctus, qui dictus est in evangelio digitus Dei, ut recordationem nostram in primi præfigurati facti memoriam revocaret, quia & legis illæ tabulæ digito Dei scriptæ referuntur.*

§. XXXIV. IV) Ad formam harum tabularum pertinet etiam hoc, quod dicuntur scriptæ שְׁנֵי עִבְרֵיהֶם, *ex utroque latere earum*, ut Pagninus vertit, vel ut Förslerus *in duobus transitibus* seu *lateribus suis*, quod clarius sic exponitur: *Ex utroque latere.*

(*) *Digito Dei fuerunt scriptæ*, id est, opere Dei, ab ipso Deo, non ab homine, vel angelo. *Digitus* Dei significat Dei omnipotentiam, Exod. VIII. 19. Luc XI. 20. Sensus igitur est, quod operatione Dei immediata, sine angelorum ministerio, lex duabus tabulis sit impressa. Dei enim *dicere* est *facere*. Psalm. CXV. 3. Psal. XXXIII. 9. GERHADVS.

nitur: מִזֶּה וּמִזֶּה הֵם כְּתֻבִים, *hinc & inde erant scriptæ* Exod. XXXII. 15. (*) Rab. Salomo dicit, quod *erat ibi unica scriptura, quæ tamen erat legibilis indifferenter ex una parte sicut ex altera, quod erat mirabile, quia litera ex una parte figurata ordine recto, in parte opposita adparet ejus figura modo oppositio.* Lyranus monet absque miraculo tali posse dici, quod *literæ fuerint duplices, ita quod præcepta fuerint sculpta ex una parte & similiter ex altera.* Münsterus vertit: *Fuerunt tabulæ illæ scriptæ in duabus superficiebus suis.* עֵבֶר significat proprie *transitum*, ex quo forte descendit Germanicum *über*. Ergo quod tabulæ dicuntur in duobus transitibus scriptæ, id intelligendum vel *distributive*, quod utrumque latus cuique tabulæ fuerit scriptum; vel *collective*, quod scriptura unius tabulæ ex opposito responderit scripturæ alterius tabulæ; sed prior interpretatio videtur ad textum propius accedere.

Tabulæ duæ.

§. XXXV. V) Ratione *numeri* fuerunt שְׁנֵי לֻחֹת, *duæ tabulæ.* Placuit enim sapientissimo legislatori præcepta non in unam, sed duas distinctas referre tabulas, cum de dilectione Dei & proximi distincte in illis præcipiatur. Inde est, quod Christus hoc vocat *primum & secundum præceptum*, quod Moses adpellat *primam & secundam tabulam.* Matth. XXII. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, v. 38. *hoc est maximum & primum præceptum*, v. 39. *secundum autem est simile huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum*; nimirum quia primæ tabulæ præcepta agunt de dilectione Dei, præcepta secundæ tabulæ de dilectione proximi. Lyra binarium tabularum numerum sic explicat, quod per illum denotetur intellectus & adfectus hominis, in quibus lex nova scribatur per fidem & caritatem opere Spiritus sancti. Nec absurde dici posset, duabus legis tabulis significari, quod animæ ac corporis sanctimoniam, interiorem atque exteriorem obedientiam, in lege sua Deus a nobis requirat. Beda in cap. XX. Exod. *In duabus tabulis scripta est lex propter duo testamenta, vel propter amorem Dei & proximi.* Quæ vero ac quot præcepta cuique tabulæ adsignanda sint, dicetur postea.

Dicuntur tabulæ testimonii & fœderis.

§. XXXVI. VI) Ratione *finis* tabulæ decalogi dicuntur לֻחֹת הָעֵדֻת, *tabulæ testimonii* Exod. XXXI. 18. XXXII. 15. XXXIV. 29. &c. nimirum quia voce legis testantur de voluntate Dei, de judicio Dei adversus peccata, de beneficiis Dei populo Israëlitico exhibitis. Deut. IV. 7. *quæ est gens ita magna, cui sint dii propinqui, sicut est Jehovah Deus noster? & quæ est gens ita magna, cui sint statuta & judicia ista, sicut est universa lex ista, quam do coram vobis hodie?* Dicuntur etiam לֻחֹת הַבְּרִית *tabulæ fœderis*, nimirum quia inscripta illis fuerunt verba fœderis, quod iniit Deus cum populo suo Exod. XXXIV. 28. cujus solennis consecratio describitur Exod. XXIV. 6. & seqq. ubi Moses librum fœderis legit in auribus populi, & sanguine sacrificiorum, cujus dimidium super altare sparserat, populum post factam obedientiæ pollicitationem adspergit, dicens: *En sanguis fœderis, quod pepigit Jehova vobiscum super omnibus istis rebus.*

Quid de illis tandem factum.

§. XXXVII. VII) Denique ratione *durationis* considerandum, quid de his tabulis tandem factum, ac quamdiu fuerint adservatæ. Jussu ipsius Dei repositæ primum sunt in arcam fœderis, Exod. XL. 20. Deut. X. 5. cujus arcæ descriptio exstat Exod. XXV. 10. & seqq. cum qua & in qua postea in tabernaculum sunt introductæ. Exod. XL. 21. Exstructo Salomonis templo arca & tabu-

(*) Quidam ex Hebræis volunt, verba in una tantum parte fuisse scripta, sed in altera quoque parte legi potuisse, quodam miraculo. Alii statuunt, eadem verba in utraque parte fuisse scripta, ita ut utrinque in tabulis exstiterint præcepta Dei. Ad verbum in Hebræo est: *Et fuerunt tabulæ illæ scriptæ in duabus superficiebus suis, hinc & hinc erant scriptæ.* Vulgata: scriptæ ex utraque parte. Ergo tabulæ decalogi ex utraque parte exaratæ & repletæ fuerunt scriptura decem præceptorum. Hæc ex FAGIO ad *Exod. XXXII.* adnotavit GERHARDVS.

tabulæ fœderis in ea adservatæ translatæ sunt in partem templi interiorem, sanctum sanctorum dictam: 1 Reg. VIII. 6. fuisse enim eo tempore tabulas fœderis adhuc in area superstites, diserte additur, v. 9. & repetitur 2 Paral. V. 10. Ergo in templo Salomonis una cum arca adhuc superstites erant decalogi tabulæ; sed in templo secundo a Zorobabele exstructo, quod Hag. II. 10. בֵּית הָאַחֲרוֹן, *domus posterior* dicitur, eas fuisse, ipsimet Rabbini negant. Tractatus est in opere talmudico, qui vocatur Massecheth Joma, ibi scribitur: *Quinque res adfuisse templo primo, quæ defuerunt templo secundo, videlicet arcam, urim & thummim, ignem cælestem, præsentiam divinitatis, quam* שְׁכִינָה *vocant, & Spiritum sanctum.* Eadem referuntur in scholiis Davidis Kimchii, & Salomonis Jarchii, ad caput Hagg. II. Monendum tamen, per Spiritum sanctum ipsos intelligere spiritum propheticum, qui post Malachiam defuit, alias Spiritus sanctus semper adest ecclesiæ. Josephus lib. III. antiq. Judaic. cap. VIII. de urim & thummim (ipse nominat *essena*) scribit, *desiisse ducentis annis, antequam historiam illam commentaretur, irato nimirum Deo propter legum suarum prævaricationem.* Natus autem est Josephus anno primo imperii Caii Cæsaris, Christi trigesimo nono, mundi quater millesimo & uno, qua ratione etiam in secundo templo fuisset urim & thummim; sed fides Josephi hic videtur vacillare, præterquam enim quod Kimchi & Salomo diversum, uti dictum, testantur, refertur in libro Hananeel: Gorionidi dicto cap. V. fol. 17. col. 4. quod Jaddus, Hebræorum pontifex, is scilicet, qui Alexandrum Macedonem excepit, cum ab eo rogaretur, ut lumen istud consuleret, cognituros ex eo de eventu belli Persici, respondisse in hæc verba: *A die, quo domus ista deportata est in Babyloniam, abscondita fuerunt ab ea urim & thummim.* Vide doctiss. Drusium lib. XV. observationum cap. XIII. p. 355. De arca scribit Josephus Ben Gorion, occultatam eam esse a Jeremia in spelunca quadam montis Nabo, in quo monte olim Dei possessionem, hoc est, terram sanctam adspexerat; quibus consentanea referuntur 2 Macc. II. 4. & seqq. *Erat in illa scriptura* (in libro de rebus gestis Jeremiæ) *annotatum, quomodo tabernaculum Domini & arcam jussit propheta oraculo divino accepto secum asportari usque in montem, in quo Moses adscendit & vidit Dei hereditatem, & veniens Jeremias invenit locum speluncæ, ideo & tabernaculum & arcam & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos dixit, quod ignotus futurus sit locus, donec congreget Deus populi congregationem, tunc Dominus ostendet hæc.* Sed figmenta illa relinquenda sunt Judæis, neque enim in veris ac genuinis Jeremiæ scriptis, nec in Esra quicquam tale continetur. Fuit Jeremias in carcere detentus usque ad urbis excidium; Jer. XXXVIII. 28. auferre igitur & abscondere arcam non potuit stante adhuc templo ac civitate, sed nec sacerdotes id permisissent: capta autem civitate Chaldæi templum incenderunt, pretiosis omnibus sive aureis sive argenteis direptis: 2 Reg. XXV. 9. 13 15. Jer. LII. 19 quis credat, arcæ, quæ auro obducta erat tota, eos peperciisse? Et si post reditum Israëlitarum ex Babylonica captivitate arca iterum fuisset inventa juxta hanc ψευδώνυμον prophetiam, quomodo ab ipsis Rabbinis in secundo templo superstes negatur? Frivolum est, quod Bellarminus lib. I. de verbo Dei cap. XV. statuit de conversione illa Judæorum, quæ paulo ante mundi finem futura est, vaticinium intelligendum; audiat ille verum veri Jeremiæ vaticinium, c. III. 16. *Cum multiplicati fueritis & creveritis in terra,* (hoc est, cum multiplicata fuerit Christi ecclesia) *in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: arca testamenti nobiscum est, neque adscendet super cor eorum, nec recordabuntur quidem illius, nec fiet ultra, non reparabitur, non erit ultra talis arca.* Quas difficultates cum non posset Lyranus tollere in comm. 2 Macc. II. recte fatetur, librum illum a mul-

multis reputari multum apocryphum. In nov. teſt. habemus verum propitiatorium Deum, & ſpiritu ſcribitur lex Dei in corde credentium: periit igitur Dei voluntate typicum propitiatorium, perierunt tabulæ lapideæ, periit antiquati fœderis arca; veniente corpore ceſſarunt umbræ.

Quæ præcepta ad quamque tabulam pertineant.

§. XXXVIII. Quoniam igitur ſapientiſſimo nomothetæ placuit, non uni, ſed duabus diſtinctis tabulis præcepta legis ſuæ inſcribere, age porro conſideremus, quæ & quot præcepta cuique tabulæ fuerint inſcripta. Certum hoc eſt & extra omnem dubitationis aleam poſitum, non plura nec pauciora, quam decem præcepta, tabulis iſtis Dei manu inſculpta fuiſſe; inde enim dicuntur decem verba ſive ſententiæ Exod. XXXIV. 28. &c. Unde non abſurde quidam legem hoc modo deſcribunt, quod ſit Dei ſapientia decem verbis comprehenſa: certum & hoc καὶ ἀναμφισβήλητον, utramque tabulam decalogi in ſe deſcripti fuiſſe δοχεῖον καὶ ταμιεῖον, ſed quæ ac quot præcepta in utraque tabula conſignata fuerint, de eo variant ſcriptorum veterum ac recentiorum ſententiæ. Quidam enim primæ tabulæ adſignant quinque, quidam vero quatuor, quidam tantum tria præcepta. Quinque præcepta primæ tabulæ adſignat Joſephus lib. III. antiq. Jud. c. 4. *Profert Moſes duas tabulas continentes decem præcepta inſcripta in ſingulis quina*; lib. ejusd. c. 6. addit, *in ſingulis paginis, id eſt, in ſingulis cujusque tabulæ faciebus exſtitiſſe δύο καὶ ἥμισυ, duo integra præcepta cum dimidio.* Eadem eſt ſententia Philonis lib. de decalogo p. 477. *Decem cum ſint, in quina dividuntur* (præcepta) *inſcripta duabus tabulis, prior quinarius habetur potior, ſecundus inferior.* Lyranus in c. XXXII. Exodi dicit, *Joſephum & Philonem ſequi doctores Hebræos*, ubi etiam ſchema hujus diviſionis proponit. Quid quod Irenæus ea, quæ numero quinario comprehenduntur, colligens, manifeſte dicit lib. II. c. 42. p. 142. *Unaquæque tabula, quam Moſes accepit a Deo, præcepta habebat quinque, qua in parte Judæorum traditionem ſequitur*, ut recte monet Galaſius in annot. Sed hac ratione præceptum de honorandis parentibus adſignabitur primæ tabulæ, cum tamen pertineat ad dilectionem proximi, ac proinde ad ſecundam tabulam, quod manifeſte oſtendit Chriſtus, quando Matth. XXII. 37 & 39. *primum præceptum eſſe*, ait, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. ſecundum vero: diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Quod Moſes vocat primam tabulam, id Chriſto dicitur primum præceptum de dilectione Dei; ex quo colligimus, docente Chriſto in prima tabula fuiſſe ſcripta illa præcepta, quibus immediate cum Deo agimus: quod Moſes vocat ſecundam tabulam, id Chriſto dicitur ſecundum præceptum de dilectione proximi; ex quo colligimus, in ſecunda tabula conſignata exſtitiſſe ea præcepta, quibus immediate cum proximo agimus. Adde, quod apoſtolus Eph. VI. v. 2. ſcribit, *præceptum de honorandis parentibus eſſe primum in promiſſione*, quod neceſſario hoc ſenſu accipiendum eſt, præceptum illud de honore parentum eſſe primum in ſecunda tabula, ſiquidem primæ tabulæ præceptis manifeſte addita eſt promiſſio: *Ego ſum Deus, faciens miſericordiam in mille generationes, his, qui diligunt me, &c.*

An quinque præcepta ad primam tabulam pertineant.

§. XXXIX. Convenit igitur inter plerosque chriſtianos ſcriptores, quod primæ tabulæ adſignanda ſint præcepta de dilectione Dei, ſecundæ vero præcepta de dilectione proximi; *& vel ex eo colligi poteſt*, (ait doctiſſ. & incomparabilis theologus Chemnitius loc. de lege c. VII. p. 73.) *quam miſere exſtincta fuerit lux doctrinæ apud Judæos etiam in parvis rebus.* Inconſiderate autem quidam recentiores ſcriptores Joſepho ac Philoni accenſent illos ex veteribus, qui præceptum de Sabbatho quartum eſſe volunt; quamvis enim hac in parte Joſepho ac Philoni adſentiantur, primæ tamen tabulæ neutiquam quinque præcepta tribuunt, qua in re manifeſte a Rabbinis diſſentiunt.

tiunt. Quidni vero dissentiant, cum divisionis illius, qua primæ tabulæ ea solum adsignantur præcepta, quæ de dilectione Dei agunt, secundæ tantum ea, quæ de dilectione proximi, sint manifesta in nov. test. fundamenta & usus ejus longe maximus? Oportet Deo magis obedire, quam hominibus, dicunt apostoli, Act. V. 29. Si quis non odit patrem, uxorem, filios & animam suam, non potest esse meus discipulus, dicit Christus, Luc. XIV. 26. ex quibus dictis exstructæ sunt regulæ theologicæ. Obedientia primæ tabulæ derogat secundæ, quando utrique simul non potest obsequium exhiberi. Primum mandatum majus est secundo. Obedientia secundæ tabulæ non habet locum sine obedientia primæ tabulæ, hoc est, non placet Deo qualiscunque externa obedientia præceptis secundæ tabulæ exhibita, sine interiori cultu, sine vera agnitione, timore ac dilectione Dei, quæ in prima tabula requiruntur. Hæ regulæ nec intelliguntur, nec locum amplius habent, si primæ tabulæ adsignetur præceptum de honore parentum.

An præfatio decalogi constituat peculiare præceptum?

§. XL. Eorum, qui præcepta primæ tabulæ debita quaternario numero complectuntur, duæ possunt constitui classes. *Prima* est eorum, quibus præfatio decalogi, *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. est præceptum primum; de non habendis diis alienis, secundum; de non adsumendo Dei nomine in vanum, tertium; de sabbatho sanctificando, quartum. Hanc divisionem amplectitur Philo lib. antiq. bibl. fol. 12. ita enim decalogum ibi recitat: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti. Deos sculptiles non facies tibi, nec facies omne abominamentum solis & lunæ, nec omnium, quæ sunt supra terram, nec eorum, quæ repunt in aquis, Ego sum Dominus Deus tuus zelotes, &c. Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum. Conserva diem sabbathi, &c.* Hæc Philoni quatuor sunt præcepta, qui deos alienos & sculptiles uno, videlicet secundo, prohiberi præcepto autumat. Observa autem, Philonis sententiam hic allegari, non quod hæc quatuor tantum præcepta primæ tabulæ adsignet, (quod faciunt christiani, qui hanc divisionem amplectuntur) siquidem, uti dictum, quinque præcepta primæ tabulæ cum reliquis Judæis tribuit, sed quia præfationem decalogi pro peculiari præcepto agnoscit. Philonem hac in parte sequi videtur Athanasius in synopsi script. tom. II. edit. Commel. p. 64. περιέχει τῦτο τὸ βιβλίον (Exodus) τὰς ἐν πλαξὶ δεκα ἐντολὰς ταύτας. πρώτην, ἐγω εἰμὶ κύριος ὁ Θεός σε. δευτέραν, ὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἰδωλον, ὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα. τρίτην, ὐ λήψῃ τὸ ὄνομα κυρίου τῦ Θεῦ σε ἐπὶ ματαίῳ. τετάρτην, μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων. Temporibus Cyrilli eandem distinctionem fuisse usitatam, adparet ex V. ipsius libro contra Julianum, ubi Julianus sic loquitur: *Scribantur suis verbis singula mandata, quæ ab ipso Deo Moses conscripta dicit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Secundum post hoc: Non erunt tibi dii alieni præter me, non facies tibi simulacrum, &c. Non adsumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Quamvis vero hæc sint Juliani verba, tamen Cyrillus hanc divisionem diserte non rejicit. Enumerationem istam sequuntur etiam Hieronymus in c. X. Oseæ, ac Hesychius in c. XXVI. Lev. referente Thoma 1. 2. q 100. Ex recentioribus hanc divisionem amplectitur Petrus Martyr class. II. locor. comm. c. 17. fol. 376. *Ego utrumque puto ad idem pertinere præceptum, quod non sint habendi dii alieni, & quod non sit faciendum sculptile. Primum autem mandatum esse arbitror, quod quasi proœmii loco ceteris præponitur*: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. *Nam his verbis sancitur, ut illum pro vero Deo habeamus; ne autem eum putaremus una cum aliis diis colendum esse, statim adjunctum est secundum præceptum, quo deos alienos & sculptilia & imagines colere prohibemur.* Martyrem sequitur Sohnius in disp. de primo & secundo præcepto in opere thesium fol. 167. *Primo præcepto adfirmatur, Deum Israëlitarum, id est, qui se ipsi populo patefecerat, verum*

Deum

Deum agnoscendum & habendum esse. Secundo præcepto prohibetur tum fictio, tum adoratio alienorum deorum, id est, idololatria.

§. XLI. Improbat hanc præceptorum divinorum enumerationem Paulus Burgensis in additionibus ad Lyram in c. XX. Exodi addit. 1. *Attendenda* (ait) *sunt hoc loco duo: primum est, quod plenus sensus literæ concordat manifestæ opinioni doctorum nostrorum.* (qui proœmium decalogi non habent pro peculiari præcepto.) *Secundum, quod motiva Hebræorum contrarium adserentium non valent. Primum patet, nam in hoc, quod dicitur,* Ego sum Dominus Deus tuus, *&c. nullum verbum præceptivum seu imperativum ponitur, sed solum sunt quædam dicta denunciativa, quibus Deus denunciat populo, quod ipse, qui loquitur, est Deus, qui eos eduxit de captivitate, nihil in hoc eis præcipiendo, ut patet manifeste intuenti, in ceteris vero decalogi præceptis manifeste ponuntur verba mandativa tum adfirmativa tum negativa. Secundum patet, nam motiva Hebræorum sunt duo. Unum est, quod ad omnia præcepta divina observanda oportet præsupponere, quod credatur absque dubitatione, quod ille, qui loquebatur seu præcipiebat, erat Deus suus, quæ quidem credulitas seu fides erat potissima ratio obligandi eos ad servanda ejus præcepta, hanc rationem ponit Abenezra in sua glossa. Alii dicunt, quod in hoc, quod dicitur,* Ego sum Dominus Deus tuus, *præcipitur adfirmative, quod ille Deus, qui loquebatur, haberetur ab eis in Deum, ita, ut mandata ejus tenerentur observare, quod quidem præceptum dicunt debere necessario præcedere omnia alia præcepta, idque declarant similitudine regis, qui in nova provincia non potest ferre leges, antequam in regem accipiatur, hæc est ratio R. Mosis Gerundensis in glossa. Sed hæ rationes,* ait Burgensis, *non concludunt, nam filii Israël, antequam ad recipiendam legem venirent, credidерunt in Deum, proinde nec requirebatur, ut daretur eis aliud expressum præceptum, cum hoc præsupponatur ad præcepta decalogi tanquam per se notum ei, qui habet fidem. Similiter etiam jugum obedientiæ manifeste acceperant filii Israël, ergo non requirebatur alia receptio generalis ad obedientiam præceptorum.* Hæc Burgensis, cujus responsiones quamvis sint frigidiores, cum de illis etiam data sint præcepta, quæ ex lege naturæ quodammodo erant notae tamen recte disputat, proœmium illud decalogi haud satis commode pro peculiari præcepto haberi. 1) Est enim oratio *indicativa*, non *imperativa*; quis sit, qui mandet, non autem quid mandet, proprie ostendens. 2) Paulo post iterum novum constituendum esset præceptum, ubi dicitur: *Ego sum Deus fortis zelotes* &c.

An præceptum de sculptilibus a primo separandum.

§. XLII. *Posterior* classis eorum, qui primæ tabulæ præcepta quatuor adsignant, primum præceptum facit de non habendis diis alienis, secundum de sculptilibus, tertium de profanatione nominis divini, quartum de sabbatho, cujus enumerationis auctores sunt complures. Chaldæus interp. in c. XX. Exodi, Josephus lib. III. antiq. c. 4. *Primum præceptum, Deum esse unum & hunc solum colendum. Secundum, nullius animalis simulacrum adorandum.* Origenes lib. III. in Exod. hom. 8. *Primum mandatum est, non erunt tibi dii alii præter me; secundum, non facies tibi idolum neque ullam similitudinem.* Nazianzenus in carm. Hieronymus & Ambrosius in cap. VI. Eph. Chrysostomus in Matth. hom. XLIX. tom. II. fol. 110. auctor quæstionum vet. & nov. test. (quæ in operibus Augustini tom. IV. habentur, sed eas Augustini non esse Erasmus censet) quæst. 7. *Non sint tibi dii alii præter me, primum hoc verbum est. Et subjecit secundum: Non facies tibi ullam similitudinem eorum, quæ sunt in cælo sursum & in terra deorsum.* Sulpitius Severus lib. I. hist. Zonaras tom I. histor. Byzant. Ex recentioribus plerique omnes, qui Calvini doctrinam amplectuntur, hanc præceptorum divinorum enumerationem adprobant. Calvinus lib. II. inst. c. VIII. sect. XIII. & seq. catechismus Heidelb. q. XCIII Zach. Ursinus in explic. catech. part. III. p. 684. Chas-

sanio in locis lib. I. c. XX. §. II. &c. Interim tamen observandum, quod quidam Calviniani ita amplectantur hanc divisionem, ut alteram illam, de qua paulo post agetur, non omnino damnent. Ita Calvinus lib. II. inst. c. 8. sect. 12. *In divisionem præceptorum noscendam non male studium impenditur, modo ejus generis rem esse memineris, in qua liberum cuique judicium esse debeat, ob quam non sit contentiose cum dissentiente pugnandum.* Zacharias Ursinus in catech. p. 686. *Observandum* (ait) *si modo doctrina & sententia decalogi de vero Deo & vero cultu Dei integra retineatur, de verborum numeratione non esse odiose pugnandum.* Musculus in locis p. 43. *Scio, parum ad pietatis studium facere, si præcepta Dei recte quidem numeres, male vero custodias ac serves. Nec improbarim, si populo absque divisione, modo integre, omni mutilatione rejecta, proponantur.* Hi sequuntur modestiam veterum. Sic Hieronymus in c. VI. ad Eph. secundum præceptum de non faciendis idolis dicit, sed alibi præceptum de profanatione nominis divini secundum esse agnoscit. Origenes in Exodum dicit, *a quibusdam conjungi præcepta de non habendis diis alienis & de sculptilibus.* Beda in c. XX. Exod. exposita distinctione ea, qua præceptum de sculptilibus conjungitur cum primo, subjungit, *posse etiam aliter præcepta distingui, ut sit primum:* Non habebis deos alienos, *secundum:* Non facies tibi sculptile. Quidam vero Calvinianorum sententiam illam, quod præceptum de sculptilibus sit secundum, & a primo distinctum, tam mordicus amplectuntur, ut contrarium sentientes, nescio cujus, sacrilegii accusent. Ita Gentil. Apollinaris pro Christ. Gall. cap. de imag. omissionem hujus præcepti vocat *nefarium sacrilegium & immane facinus.* Anhaldini in apol. contra quosd. nobiles fol. 28. huc referunt dictum Christi: *Qui solverit unum ex mandatis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum:* Neo-Marpurgenses vocant redintegrationem decalogi & in resp. suo apolog. fol. 111. 112. 143. tremendam judicii extremi sententiam minantur iis, qui ad partes suas non accedant, *propterea quod tales horribiliter contradicant ori altissimi, mutilate & semiplene decalogum doceant, ecclesiam seducant & sanctum Israëlis exacerbent, excipiendi olim non mitius ac servus ille infidelis.* Qua de re quid sentiendum sit, paulo post dicetur, ubi prius illam decalogi distributionem, quæ in nostris ecclesiis recepta est, proposuerimus.

Tria præcepta ad primam tabulam pertinere & præceptum de sculptilibus pertinere ad primum.

§. XLIII. Tria primæ tabulæ accensere præcepta, ac mandatum de sculptilibus referre ad primum de non habendis diis alienis: in secundam tabulam septem referre præcepta, & mandatum de non concupiscendo in duo distincta præcepta dividere, usitatum est in ecclesiis illis fere omnibus, quæ Augustanam confessionem & Lutheri catechesin sincere amplectuntur. Hæc divisio non est noviter a Luthero excogitata, & in ecclesiam introducta, sed itidem habet assertores ex antiquitate. (Falsum enim est, quod scribit Wolffg. Musculus in locis sub tit. de divisione decalogi p. 42. *Neminem ex veteribus divisionem illam, qua primæ tabulæ tria, secundæ septem præcepta tribuuntur, posuisse.*) Clemens Alexandrinus lib. VI. στρωματ. fol. 140. edit. Lat. f. 290. in Græc. *Primum decalogi præceptum ostendit, unum solum esse Deum omnipotentem, qui populum transtulit ex Ægypto per solitudinem in terram patriam, ut per divinas quidem operationes comprehenderent, ut poterant, ejus potentiam, ab eorum autem, quæ sunt genita, abstinerent idololatria, omnem spem habentes in Deo, qui est in veritate. Secunda autem oratio significabat, non oportere adsumere neque inferre magnam & omni veneratione dignam ejus potentiam, quæ quidem est nomen, ad res genitas & inanimes. Tertia autem est oratio, quæ significat mundum esse a Deo factum, & dedisse nobis septimum diem ad quiescendum.* Augustinus lib. III. confess. c. 8. *Vivitur male adversus tria & septem, psalterium decem chordarum, decalogum tuum, Deus altissime & dulcissime.* Quæst. LXXI. in Exodum: *Mihi videntur congruentius accipi tria illa & ista septem, quoniam viden-*

dentur Trinitatem illa, quæ ad Deum pertinent, infinuare diligentius intuentibus Et revera quod dictum eſt, non erunt tibi dii alieni, *hoc ipſum perfectius explicatur, cum prohibentur colenda figmenta, &c.* Idem repetit epiſt. CXIX. ad Januarium lib. XV. contra Fauſtum c. VII. de decem chordis c. V & VI. in Pſal. XXXII. ſerm. XCV & CXLVIII. de temp. Auguſtinum ſequitur Beda in c. XX. Exod. in epiſt. Rom. &c. Bernhardus ſerm. ſup. ſalve Regina 4. col. 1361. *Primum præceptum eſt:* Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, *proximum*: Non adſumes nomen Dei tui in vanum. Eodem modo numerat gloſſa ordinaria, Lyranus, Hugo Cardinalis in c. XX. Exodi, Lombardus lib. III. ſent. diſt. XXXVII. & recentiores complures (*).

Quare pro hac diviſione pugnetur.

§. XLIV. Antequam vero argumenta adverſariorum, quibus hanc diviſionem oppugnant, vel firmamenta ejuſdem proponamus, accurate obſerventur ſequentes hypotheſes. 1) Conſtitutio numeri ordinalis, in præceptis decalogi per ſe & ſua natura eſt ἀδιάφορόν τι. Certum quidem eſt, decem eſſe præcepta, hoc eſt, certus quidem eſt cardinalis præceptorum numerus, ſed nuſpiam a Moſe additur, quodnam ſit ſtatuendum ſecundum, quod tertium præceptum. 2) Peccatur igitur contra libertatem chriſtianam, quando ab adverſariis enumeratio illa, qua præceptum de ſculptilibus ſecundum eſſe ſtatuitur, ut neceſſaria obtruditur. 3) Graviſſime etiam contra caritatem & unitatem chriſtianam peccatur, quando intempeſtiva iſtius diviſionis propugnatione eccleſiæ bene conſtitutæ turbantur. 4) Adverſarii, præceptum de ſculptilibus ſecundum eſſe pugnantes, ſimpliciter imagines ipſas, non tantum cultum ac adorationem earum, prohibitas eſſe ſentiunt, quam falſam interpretationem eccleſiæ eadem opera obtrudere ſatagunt. 5) Mutilationem decalogi Lutheri catecheſi tribuentes ex eccleſia eandem eliminare per occultos cuniculos quærunt; quæ cauſæ ſunt ſatis urgentes, propter quas enumeratio illa præceptorum decalogi in eccleſias noſtras neutiquam recipitur.

Argumenta eorum, qui præceptum de ſculptilibus a primo ſejungendum eſſe pugnant 1. Quia ſenſu differunt.

§. XLV. His ita præmiſſis audiamus Urſinum, qui potiora ſuæ confeſſionis ſociorum argumenta in hac quæſtione proponit, quibus reſpondentes eadem opera noſtræ diviſionis firmamenta manifeſta faciemus: 1) Diſtincta ſunt præcepta, quæ diſtinguuntur ſententiis. Cum enim Deus ipſe decalogum in decem verba diſtribuerit, haud dubie præcepta ſenſu inter ſe differre voluit. Ergo diverſa ſunt, quæ ſenſu differunt; non diverſa, ſed unum præceptum ſunt, quæ ſenſu non differunt. Præceptum de non habendis diis alienis, & de non faciendis ſculptilibus ſenſu differunt. Illud enim vetat aliud numen præter ſolum verum Deum coli, hoc vetat ſolum verum Deum aliter coli, quam ipſe præcepit. *Reſp.* 1) Si præcepti de non faciendis ſculptilibus hic ſenſus eſt, quod prohibetur eo Deus verus aliter coli, quam ipſe præcepit, ſequitur non ſimpliciter prohiberi facturam imaginum, ſed quatenus eo fine fiunt, ut per eas Deus colatur, id quod alii Calvinianorum promachi non concedunt, qui ſimpliciter imagines ſecundo præcepto prohiberi tradunt. 2) Omnis idololatria primo præcepto eſt prohibita. Jam vero duplex eſt idololatriæ ſpecies: prior ratione *objecti*, cum illud religioſe colitur, quod non eſt verus Deus; poſterior ratione *cultus*, cum verus Deus colitur, hoc eſt, coli ſtatuitur, ſed non

(*) Eandem noſtram diviſionem adprobant Martyr claſſ. II. loc. com. c. XIV. ſect. III. *Oecolampadius* lib. de conf. auric. f. 116. Hemmingius in enchir. claſſ. II. loco de lege, O. 4. & O. 8. & in catech. p. 26. *Szegedinus* in locis p. 50. Noſtri in explicatione primi præcepti verba de non faciendis ſculptilibus ad adorationem ſimul recitant & explicant, uti videre eſt apud *Lutherum* tom. III. Jen. fol. 38. b. *wider die himmliſche Propheten*; item, *in der Auslegung über die Zehen Gebot*, tom. IV. f. 500. b. catech. Brentii p. 473. Chemnitium loc. part. II. fol. 40. 43. 46. Hemmingium enchirid. pag 152. catech. Hunnii pag. 52. Pflacherum p. 290. GERHARDUS.

non divine, hoc est, eo non modo, quo se coli in verbo præcepit. Ergo utraque idololatriæ species primo præcepto est prohibita, nec propterea præceptum de sculptilibus a primo divellendum. 3) Invertimus igitur argumentum; species includitur suo generi: jam vero primum præceptum deos alienos in genere prohibet, præceptum de sculptilibus certam speciem deorum alienorum exprimit. Ergo sub prohibitione deorum alienorum etiam prohibitio idolorum, ut species sub genere continetur. 4) Hujus loci est observatio illa, quod nusquam absolute & simpliciter vel pictæ, vel sculptæ, vel fusiles imagines prohibentur, sed quatenus sunt ac prostant ad cultum, ut suo loco demonstrabitur, inde est, quod idola, hoc est, omnia illa, quibus cultus divinus tribuitur, cum tamen non sint Deus, sive sint creaturæ naturales, sive res artificiales, omnia, inquam, illa dicuntur dii alieni. Gen. XXXI. 19. Rachel furatur idola patris sui, quæ requirens Laban dicit v. 30. *Cur furatus es deos meos?* Cui respondet Jacobus v. 32. *Is, apud quem inveneris deos tuos, non vivat.* Gen. XXXV. 2. dicit Jacob familiæ suæ: *Auferte deos alienos, qui sunt in medio vestri.* v. 4. *Dant Jacobo omnes deos alienos, qui erant in manu sua, inaures, quæ erant in auribus ipsorum, & abscondit eos Jacob, subter quercum.* Exod. XX. 23. *Ne faciatis mecum deos argenteos, neque deos aureos facietis vobis.* Exod. XXXII. 8. Fabricato vitulo fusili dicunt Israëlitæ, *isti sunt dii tui, Israël, qui eduxerunt te ex terra Ægypti* Levit. XIX 4. *Ne convertatis vos ad idola, neque deos fusiles faciatis vobis, Ego Jehova Deus vester,* Deut. XXVIII. 36. *Coles deos alienos lignum & lapidem.* 1 Sam. VII. 3. Dicit Samuel ad populum: *Si toto corde vestro revertimini ad Jehovam, auferte Deos alienos de medio vestri & Astharoth,* v. 4. *abstulerunt ergo filii Israël Bealim & Astharoth.* 1 Paral. XIV. 12. *dereliquerunt Philistæi deos suos, & præcepit David, & combusti sunt igne.* Ex his & similibus scripturæ locis ita concludimus: Quicquid est deus alienus, prohibetur primo præcepto: idola, hoc est, omnia illa, quibus divinus cultus exhibetur, cum tamen non sint verus Deus, ipsa scriptura interprete, sunt dii alieni. Ergo idola prohibentur primo præcepto, & per consequens pericope de sculptilibus non constituit novum præceptum. 5) Nec ullo fine alio sculptilium factura prohibetur, quam eo, ne cultus divinus tribuatur ei, quod non est verus Deus, & sic habeantur dii alieni; alienum deum non efficit manus hominis, sed cultus & fiducia cordis, sive tribuatur rei naturali sive artificiali. Cuicunque enim tribuitur cultus & gloria soli Deo debita, illud fit deus alienus. Gen. XXX. 2. dicit Jacob ad Rahelem liberos importunius postulantem, *Nunquid pro Deo sum, qui prohibuit a te fructum ventris?* 2 Reg V. 7. dicit rex Israëlis, *Sumne ego Deus, ut curem illum a lepra?* 1 Cor. VIII. 4. *Scimus quod idolum nihil est in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus.* 2 Cor. IV. 4. *Diabolus dicitur deus hujus seculi,* eorum scilicet, qui relicto vero Deo ipsi in mundo serviunt & obediunt. Phil. III. 19. *Venter* dicitur *pseudoapostolorum Deus,* qua ratione ipsa quoque avaritia dicitur idololatria; Col. III. 5. ex quo iterum adparet, quod præceptum de sculptilibus sit adpendix primi de non habendis diis alienis. 6) Denique observandum hoc loco, quod prophetæ imaginum cultum reprehensuri rationem ducunt ex primo præcepto, quo ipso ostendunt, adpendicem illam de imaginibus ad primum præceptum pertinere. Exod. XX. 23. *Non facietis mecum* (coram me) *deos argenteos vel aureos.* Agnoscis verba primi præcepti. Lev. XIX. 4. *Non faciatis vobis deos fusiles, ego Jehovah Deus vester.* Esa. XLII. 8. *Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus;* ergo gloriam Deo debitam dare sculptilibus, est deos alienos habere. 7) Nec obverti poterit, priorem tantum idololatriæ speciem, qua id, quod non est Deus, colitur pro Deo, primo præcepto prohiberi, alterius vero idololatriæ speciei, qua verus Deus colitur non divine: hoc est, juxta adinventiones cordis, non autem juxta præscri-

scriptum verbi, prohibitionem constituere novum ac secundum præceptum, siquidem ἐθελοθρησκείαν prohibitio nominatim ad primum præceptum refertur. Num. XV. 39. *Non sequuntur Israëlitæ cogitationes suas, nec post oculos suos fornicentur*, v. 40. *sed memores sint præceptorum meorum.* v. 41. *Ego Jehovah Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum.* Rom. I. 23. gentiles accusantur & convincuntur idololatriæ, propterea quod, *cum cognoverint Deum, tamen non glorificarint sicut Deum*, hoc est, non coluerunt eum juxta præscriptum verbi, sed vanitatem cogitationum suarum sunt secuti. Addo argumentum evidens. In primo præcepto jubetur Deus super omnia timeri ac honorari. Jam vero qui non colit Deum juxta præscriptum verbi, is nec timet nec honorat Deum super omnia, siquidem adinventiones cordis sui præfert Dei verbo, cœcæ rationis ductum præfert luci cœlestis verbi. Ergo qui non colit Deum juxta præscriptum verbi, is peccat contra primum præceptum. 8) Monemus & hoc: Si præceptum de non habendis diis alienis & de non faciendis sculptilibus sensu differunt, & sensu ea differre Deus ipse voluit, curigitur Martyr ac Sohnius eadem conjungunt, cum hisce suis alioqui adsceiis Ursinus prius transigat (*).

§. XLVI. II) *Alterum* Ursini argumentum tale est: quæ præcepta sensu non differunt, ea non sunt diversa, sed unum tantum præceptum. Præceptum de concupiscentia, quod aliqui in nonum & decimum dividunt, sensu unum sunt, id quod tum ipsimet testantur, quoties in explicationibus suis nonum & decimum conjungunt, tum vero Paulus docet, cum de concupiscentia tanquam de uno præcepto dicit: *Non noviſſem, concupiscentiam esse peccatum, nisi lex dixisset, non concupisces.* Ergo sunt unum tantum præceptum. Si enim propterea in duo dividi deberet, quia distincte domus & uxoris proximi concupiscentiam prohibet, eadem ratione distrahi deberet in plura, & tot præcepta fierent, quot species rerum concupiscendarum enumerantur. *Resp.* 1) Veteres ad diversitatem objectorum plerumque confugiunt, quam ad diversitatem præceptorum constituendam sufficere arbitrantur. Augustinus quæst. LXXI. in Exod. *Concupiscentia uxoris alienæ & concupiscentia domus alienæ tantum in peccando differunt,*

2. *Quia præcepta de non concupiscendo sensu conveniunt.*

(*) Ad hunce §. sequentia ex BAGMEISTERO adnotavit GERHARDVS: 1) *Imagines quæ ad cultum fiunt & usurpantur, in scripturis dicuntur dii alieni.* Gen. XXXI. 30. XXXV. 2. Exod XXXII. 4 Jer. II. 27. 28. 1 Reg XII. 28. Psal. CXXXV. 15 &c. *Ergo fieri nullo modo potest, quin diis alienis prohibitis, imagines simul prohibeantur, & generi tanquam una aliqua, eaque crassior idololatriæ species subjiciantur.* 2) *Quæ præcepta unum eundemque finem proximum habent, ea numero distincta esse non possunt, sed sibi invicem subordinentur necesse est. Jam vero verba de non habendis diis alienis & de non faciendis sculptilibus ad unum communem scopum, qui est prohibere idololatriam & contra præcipere verum Dei cultum immediate collimant.* 3) *Si ut in singulis decalogi præceptis, sic etiam in primo simul interiora & exteriora tum peccata tum bona opera continentur, nulla ratione imaginum idololatrica structura, cum sit species peccatorum primi præcepti, a primo præcepto segregari poterit.* 4) *Perpetuum & utile mandatorum decalogi axioma est, in qualibet negativa affirmativam & rursus in qualibet affirmativa negativam contineri. Cum ergo utrique enunciationi negativæ unum tantum hic respondeat præceptum affirmativum, quod est, Dominum Deum tuum unum & solum agnosces & coles, sequitur, negativas idem denotare & unum numero præceptum constituere.* 5) *Quia promissiones & comminationes textui de imaginibus statim subjunxit Deus, inde adparet, quod ille textus a primo præcepto avelli & peculiare atque in ordine secundum præceptum constitueri prorsus nequeat. Veritati enim maxime consentaneum, promissiones & comminationes, quas generaliter de tota lege & singulis præceptis intelligi voluit non secundo sed primo præcepto adposuisse, cum illæ nec decalogis præmissæ nec postpositæ legantur.* 6) *Quia Dei, qui in personis trinus est, dilectionem in prima tabula requiri constat, tria & non plura aut pauciora præcepta circa illam in prima tabula constituenda fuisse. Augustinus epist. CXIX. Beda & alii statuunt, attendentes non tam concludendi necessitatem quam collocationis concinnitatem, quam in ordine quoque cultus divini observare possumus, ut eum præstemus corde, ore & opere.*

ferunt, ut illi, quo dictum est: Non concupiſces domum proximi tui; *adjuncta fuerint alia, dicente ſcriptura*, neque agrum ejus, neque ſervum ejus, neque ancillam ejus, neque boves ejus &c. *diſcreviſſe autem videretur concupiſcentiam uxoris alienæ a concupiſcentia cujuslibet rei alienæ, quando utrumque ſic cæpit*: non concupiſces uxorem proximi tui; Non concupiſces domum proximi tui, *& huic adjunxit cætera. Non autem cum dixiſſet*: Non concupiſces uxorem proximi tui, *huic connexuit alia, dicens*: neque domum ejus, neque agrum *&c. ſed omnia adparent hæc eſſe conjuncta quaſi uno præcepto contenta & diſcreta ab illo, quo uxor nominata eſt.* Hæc Auguſtinus. Quidam igitur ſecuti ordinem in Deuteronomio obſervatum, dicunt, nono præcepto prohiberi concupiſcentiam, quæ reſpicit ſextum præceptum; decimo eam, quæ attingit objecta ſeptimi præcepti. Quidam vero ſecuti ordinem in Exodo ſervatum, nono præcepto concupiſcentiam domus, decimo uxoris ac reliquorum; in illo totum, in hoc autem partes expreſſas dicunt. Lyranus in cap. XX. Exodi. *Ratio, quare duo præcepta ponantur ad repreſſionem concupiſcentiæ, eſt, quia bonum dividitur per utile & delectabile, alia enim ratio boni utilis & delectabilis, unde contingit, ut aliquis habeat proprietatem ad unum, & non habeat proprietatem ad aliud, ſicut aliquis concupiſcit uxorem alterius, qui tamen non concupiſcit alias res ipſius, ideo ad reprimendam iſtam concupiſcentiam duplicem debuit aſſignari duplex præceptum.* Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 4. *Concupiſcentia uxoris alienæ ad commixtionem pertinet ad concupiſcentiam carnis, concupiſcentia aliarum rerum pertinet ad concupiſcentiam oculorum, ideo duo præcepta de non-concupiſcendo ponuntur.* 2) Quamvis vero hæc ab objectis petita diſtinctio non videatur ſatis firma, tamen non minoris ponderis eſt, quam illa adverſariorum, qua tradunt, in primo præcepto cultum alienorum deorum in univerſum, in ſecundo certum ejuſdem modum eſſe prohibitum. 3) Si vel maxime non poſſet evidens dari ratio, propter quam præceptum de concupiſcentia in duo diſtincta præcepta divideretur, nihilo tamen minus reſponderi poſſet, Deum ideo diſtinctis duobus præceptis concupiſcentiæ malum prohibere voluiſſe, quod tota lex & vera ejus interpretatio pendeat a cognitione genuina hujus præcepti, cum peccati hujus interioris cognitio ſit abſtruſiſſima, teſte apoſtolo, Rom. VII. 7. cum peccatum concupiſcentiæ ſit fons & mater reliquorum omnium. Hæ rationes moderatis ingeniis ſatisfacere poterant, quo minus ſimpliciter binam illam præcepti de non-concupiſcendo repetitionem improbarent. 4) Sed ne quid habeant adverſarii, quod conquerantur, dicimus, geminum concupiſcentiæ genus nono ac decimo præceptis prohiberi; *actualem* ſcilicet & *originalem*; quæ concupiſcentiæ diſtinctio non tam objectorum, quam modi & actus diverſitate nititur. *Actualis* concupiſcentia eſt notabile illud concupiſcentiæ genus, quando ad motum obortum accedit delectatio & deliberata voluntatis conſenſio: *originalis* concupiſcentia eſt arcanum illud concupiſcentiæ genus; quando ipſa natura ſe movet, agit aut patitur, (reſpectu ſcilicet diverſo) ita, ut cor inclinationes, vel mens cogitationes ſaltem concipiat, quæ tamen a προαιρέσει perficiendi ſunt adhuc remotæ. Fundamentum hujus diviſionis petimus ex ipſis legis promulgatæ verbis & ex interpretatione ejusdem ab apoſtolis tradita. Exod. XX. 17. bis repetitur concupiſcendi verbum חָמַד, *Non concupiſces domum proximi tui. Non concupiſces uxorem ejus.* Latinus interpres in poſteriori parte mutavit vocem concupiſcendi in vocem deſiderandi; ſed in Hebræo eſt idem utrobique vocabulum. Bina autem atque emphatica illa verbi repetitione Spiritus ſanctus ſubinnuit geminum concupiſcentiæ genus hic damnari, & quod hoc loco ſubinnuitur, illud in ſolenni legis repetitione Deut. V. 21. clarius exprimitur. Ibi enim duo diſtincta habentur vocabula, חָמַד & תִּתְאַוֶּה, ubi Latinus interpres verbi repetitionem plane omiſit. חָמַד, ſignificat *ex animo* aliquid *deſideravit* cum conſenſu & opere in rem

rem ferventi, adpetivit vehementer, cognationem enim habet cum radice חָמַם, *æstuavit, incaluit.* הִתְאַוֶּה, significat *se ipsum fecit concupiscere*, se ipsum irritavit ad concupiscendum *originaliter*, vox enim אַוָּן, usurpatur de corruptione naturæ, de cupiditate & concupiscentia, conatu & studio carnali, quo quis adfectus est, & aliis dolorem & vim adfert aut ipse adficitur, monente Forstero in lexico p. 13. cujus significationis exempla passim sunt obvia Psalm. CXIX. 133. Prov. VI. 18. &c. Voce igitur הִתְאַוֶּה, taxavit Moses ipsam radicem, quæ gignit confusionem adpetitionum, ipsam originalem concupiscentiam, quæ gignit pravos adfectus, etiamsi nondum accedat consensus. In lingua germanica discrimen hoc vix poterit exprimi, conabimur tamen aliqua ex parte illud exponere: לֹא־תַחְמֹד, reddi poterit, *du sollt nicht begehren.* לֹא הִתְאַוֶּה, *lass dich nicht gelüsten*, quamvis Deut. V. Lutherus videatur hoc invertere. Porro discrimen hoc inter originalem & actualem concupiscentiam pertractat etiam Jacobus c. I. 14 & 15. ubi illam vocat ἐξελκόμενον καὶ δελεαζόμενον, hanc vero συλλαβόντα. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus, concupiscentia autem, ubi conceperit, parit peccatum;* quando concupiscentiæ accedit consensus, tunc fit prima quasi actualis delicti conceptio, quando actuale delictum perpetratur, fit quasi partus, sed vere viperinus, peccatum enim animæ mors est, & sic filia devorat matrem. Quidam per συλλαβόντα concupiscentiam intelligunt *originalem*, per τίκτουσαν *actualem*, sed accurata textus consideratio diversum ostendit; δελεάζειν καὶ ἐξέλκειν proprium est originalis concupiscentiæ, sed prohibenda est, ne per consensum accedentem ac per delectationem fiat συλλαβόντα, alias proxime sequitur partus scilicet externi delicti. De *originali* concupiscentia loquitur apostolus Rom. VII, 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Certe non erat apostolo ignotum, concupiscentiam cum προαιρέσει & delectatione conjunctam peccatum esse, cum ex lumine naturæ saniores ethnici eam adcusaverint; intelligit igitur absconditum illud *originalis* concupiscentiæ malum, primam & profundam illam concupiscentiæ luem, προπάθειαν a quibusdam dictam, quæ in schola Spiritus sancti tantum peccatum esse agnoscitur. Ex quibus omnibus colligimus, *actualem* concupiscentiam, utpote notiorem, præcepto nono, *originalem* vero decimo præcepto prohiberi. 5) Quamvis igitur in explicationibus catecheticis præceptum de concupiscentia conjungatur, interim non negatur, duplex esse concupiscentiæ genus, quorum utrumque voce legis divinæ adcusatur. Paulus Rom. VII. proprie de *originali* concupiscentia agit, cujus agnitio ex lege, *actualis* concupiscentiæ cognitio ex lumine naturæ quadantenus obvia. Ac si vel maxime apostolus hæc duo præcepta ibidem conjunxisset, (quod facit Rom. XIII. 9.) nihilo tamen minus duo distincta de non-concupiscendo præcepta constitui posse non negasset. Christus totius secundæ tabulæ præcepta uno comprehendit verbo. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* Matth. XXII. 39. nec tamen distinctam præceptorum enumerationem improbat. 6) Nemini vero mirum videatur, peculiari præcepto *actualem* concupiscentiam prohiberi, cum in superioribus præceptis jam ante fuerit prohibita, unde Christus Matth. V. 28. sexti præcepti talem tradit interpretationem: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam in corde suo, jamtum mœchatus est cum ea.* Præterquam enim quod carnali Judæorum populo spiritualis hic legis sensus non erat in reliquorum præceptorum verbis obvius, ideoque novo ac peculiari præcepto evolvendus, distinguendum insuper inter *sedem* propriam alicujus interdicti, & inter *expositionem* aliunde translatam: inter *objectum certum* & inter *causam agentem*; inter prohibitionem *universalem* & *specialem.* Ipse actus secundus concupiscentiæ proprie & in genere sine certo aliquo objecto prohibetur in nono præcepto, sicque efficiens & formale ipsius concupiscentiæ damnatur; quando vero Christus in reliquis præceptis interdictam dicit con-

concupiscentiam certi alicujus objecti, tunc magis ad materiale, hoc est, certam speciem objecti, puta, cædis, adulterii, furti, respicit, & declarationem ex nono præcepto mutuatur.

3. Quia præceptum de sculptilibus versiculo distinguitur a primo.

§. XLVII. III) Ursini argumentum videamus. Haud dubie præcepta sunt diversa, non eadem, quæ diversis periodis & versibus: non diversa, sed unum præceptum sunt, quæ uno versu a Mose ponuntur. Præceptum de non habendis diis alienis, & de non faciendis idolis Moses versiculis distinxit. Distincta igitur sunt præcepta. Contra, præceptum de concupiscentia domus & uxoris alienæ periodis non distinxit, sed uno versiculo comprehendit. Unum igitur est de concupiscentia præceptum. *Resp.* 1) Quidam punctorum additionem ac versiculorum distinctionem negant ab ipso Mose ortum ducere, sed a Masoretis, quorum tamen sententiæ, præsertim quod puncta attinet, non subscribo. Alia igitur responsione utimur, nimirum fundamentum esse admodum lubricum, quod distincta sint præcepta, quæ diversis periodis ac versiculis ponuntur; contra vero unum, quod uno versu ponitur. Nam Exod. XX. 2. dicitur: *Ego Jehovah Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* v. 3. additur, *Non erunt tibi dii alieni coram me.* Hæc a quibusdam habentur pro primo præcepto, licet alii velint priora verba esse totius decalogi proœmium. v. 4. *Non facies tibi sculptile nec ullam similitudinem* &c. & v. 5. *Non incurvabis te eis, nec coles ea*, &c. Hæc nec ipse Ursinus pro duobus præceptis habet. v. 8. *Recordare diei sabbathi, ut sanctifices illum.* v. 9. *Sex diebus operaberis & facies omne opus*; v. 10. *At die septimo sabbathum erit Jehovæ Deo tuo.* Nec hæc ab Ursino pro distinctis præceptis haberi possunt. 3) Guaris linguæ Hebrææ notum est, sæpius distingui versiculis, quæ necessario sunt conjungenda, & contra, versiculo conjungi, quæ necessario sunt distinguenda. Genes. XIV. 18. *Melchisedecus rex Salem protulit panem & vinum, & ipse* (cum esset) *sacerdos Deo altissimo* v. 19. *benedixit ei.* Non ideo protulit Melchisedecus panem & vinum, quia sacerdos altissimi, ut volunt patroni missæ, sed ideo benedixit Abrahæ, quia erat sacerdos. Hebr. VII. 3. 4) Quamvis vero præcepta de non-concupiscendo uno comprehendantur versiculo, tamen in Deuteronomio additur litera ס, nota interstitii, quam Rabbini vocant סְתוּמָה, quale signum inter præceptum de non habendis diis alienis, & inter præceptum de non faciendis idolis nullibi ponitur; in Exodo ac Deuteronomio additur accentus athnachta, ex quibus hæc præcepta distincta esse, non insecte colligitur.

4. Quia præcepta de non concupiscendo permutantur.

§. XLVIII. IV) Urget Ursinus quarto loco permutationem præceptorum de non-concupiscendo. Moses haud dubie eundem præceptorum ordinem in Exodo & Deuteronomio retinuit. Jam vero verba decimi præcepti de concupiscentia domus & uxoris inverso ordine posuit. Nam in Exodo præcedunt hæc verba: *Non concupisces domum proximi tui;* sequuntur hæc: *Non concupisces uxorem proximi tui.* In Deuteronomio præcedunt hæc: *Non concupisces uxorem proximi tui;* sequuntur illa: *Non concupisces domum proximi tui.* Sunt igitur hæ unius præcepti partes, alioquin non poterit dari novum præceptum, & dicendum erit, Mosen in altero loco nonum præceptum cum decimo confudisse, & partem decimi in locum noni substituisse. *Resp.* 1) Permutatio illa objectorum nihil aliud infert, nisi πρώτως primario atque unice ex illis non posse peti concupiscentiæ ac præceptorum distinctionem; manet interim, quod respectu ad ipsum concupiscentiæ actum habito diversæ concupiscentiæ species ac distincta præcepta statui possint. 2) Nec transpositio illa præceptorum ullius absurditatis adcusanda. Matthæus XIX. 18. 19. itemque Lucas XVIII. 20. ex ore Christi præcepta legis hoc ordine enumerant: *Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non dices falsum testimonium, Honora patrem tuum & matrem tuam;*

tuam; ubi videmus præceptum de honorandis parentibus posposui illis, quibus apud Mosen præponitur. Marcus X. 19. hunc observat ordinem: *Non mœchaberis. Non occides. Non furtum facies. Non dices falsum testimonium. Ne fraudem feceris. Honora patrem & matrem;* ubi videmus præceptum de non occidendo posposui præcepto de non mœchando, cum tamen in decalogo præponatur. Rom. XIII. 9. itidem talis μετάθεσις occurrit, quæ præceptorum integritati nihil quicquam detrahit, nec Mosis auctoritati quicquam derogat.

5. Ab auctoritate veterum.

§. XLIX. V) Tandem provocatur ad veterum auctoritatem, ubi referuntur testimonia Josephi, Philonis, Athanasii, Origenis, Nazianzeni, Chrysostomi, Zonaræ, Hieronymi, Ambrosii & Augustini. *Resp.* 1) Nec nos divisionem ipsis usitatam, qua nonum & decimum præceptum conjunguntur, simpliciter repudiamus. 2) Veteres ita amplectuntur hanc præceptorum divisionem, ut alteram ecclesiis nostris usitatam non improbent. Adversarii eam urgent ut necessariam. 3) Nec sibi ipsis auctores adducti per omnia consentiunt; Philo & Josephus quinque præcepta primæ tabulæ adsignant, reliqui tantum quatuor. 4) Quis ergo a Josepho & Philone veram præceptorum divisionem exspectet, cum præceptum de honorandis parentibus admodum insolite ad primam tabulam referant? Et quis a Josepho exspectet, ut duo de concupiscentia mandata agnoscat, aut geminum concupiscentiæ genus distinguere sciat, cum in peccati istius tam crassa hæserit ignorantia, ut scribat, lib. XII. antiq. c. 13. *voluisse sacrilegium, ac non etiam perfecisse, non videri sibi rem dignam supplicio, ne divino quidem.* Sed & veterum patrum quosdam de inhærentis peccati natura & concupiscentiæ malo frigidius sensisse negari nequit. 5) Augustinus in scriptis γνησίοις nostram sequitur enumerationem. Hyperius part. II. opusc. theol. p. 662. adducit locum ex Augustini lib. III. contra duas epistolas Pelagianorum, quem acriter urget, ac reliquis locis præferendum judicat: sed recitantur ibi tantum decalogi præcepta, ordinis nulla mentione facta, de quo ordine aliis in locis quamplurimis Augustinus ex professo tractat. 6) Ac præter Augustinum etiam alii ex veteribus nostræ divisioni suffragantur, ut vidimus superius.

§. L. Primariæ igitur ac principales causæ, quare enumerationem illam, quam adversarii tanto conatu urgent, non recipiamus, expositæ sunt §. 43. nimirum quia mutatio illa, in re sua natura adiaphora & indifferente ab adversariis veritatis suscepta, libertatem christianam servili jugo implicat, usum imaginum simpliciter prohibitum statuit, & catecheseos nostræ mutilationis crimen intentat. Secundaria causa ea est, quod distributio præceptorum in nostris ecclesiis usitata nititur rationibus non contemnendis, utpote 1) sub prohibitione deorum alienorum etiam prohibitio idolorum, ut species sub genere, in primo præcepto continetur. 2) Promissio & comminatio illa: *Ego Dominus Deus tuus fortis zelotes* &c. præcepto de sculptilibus subjuncta, est adpendix communis, ad omnia decalogi præcepta ex æquo pertinens, quod plurale מִצְוֹתַי, *præcepta mea*, manifeste ostendit: quia vero ante præceptum de non profanando Dei nomine collocatur, eo ipso ostenditur, omnia illa, quæ immediate præcedunt, ad primum pertinere præceptum. Ut enim primum præceptum est fons ac matrix reliquorum omnium, seque ad reliqua omnia ac singula extendit: ita quoque communis illa promissio & comminatio ad omnia ac singula præcepta se diffundit. 3) Quia per legem est peccati cognitio, & vero duplex genus concupiscentiæ in scriptura alibi adcusatur, ideo verisimile est, duo distincta præcepta de hoc malo, cujus cognitio in corruptione ista naturæ nostræ admodum obscura est, ipsius Dei voce tradi. 4) Divisio illa non a Luthero primum excogitata, sed multis omnino seculis usurpata, cujus mutatio rudioribus exhibet molestiam, infirmis vero scandalum.

An decalogus in catecheſi Lutheri ſit mutilatus?

§. LI. Frivolum eſt, quod catecheſis Lutheri, præclarum illud κειμήλιον, mutilationis cujusdam adcuſatur, propterea quod præceptum de non faciendis idolis in ea omittitur. Nam 1) Lutherus e codice biblico nihil quicquam, ne jota quidem vel apicem unum, expunxit, ſed integram decalogi enumerationem in Exodo ac Deuteronomio ſartam tectam reliquit. 2) In catecheſi propter captum rudiorum συντομῆ quadam uſus eſt, quo nomine cujuſdam καταλύσεως vel mutilationis reus peragi nequit. 3) Quædam enim in decalogo proprie & primario ad Judæos ſpectant, quædam vero moralia ſunt, & ad Chriſtianos etiam in nov. teſt. pertinent. Adpendix illa de non fabricandis ſculptilibus, quamvis ratione ſui generis ſit moralis, tamen propter Judæos potiſſimum fuit addita, vivebant illi in medio gentilium, qui per idola ſua maxime peccabant contra hoc præceptum. Nobis in nov. teſt. ſufficit ſcire, quod in genere prohibita ſit idololatria in primo præcepto. 4) Ita quoque beneficium eductionis ex Ægypto proprium eſt eccleſiæ Iſraëliticæ, Jer. XVI. 14. *Non dicetur ultra, vivit Jehovah, qui adſcendere fecit filios Iſraël ex Ægypto* &c. Sanctificatio ſabbathi, hoc eſt, diei ſeptimæ, auctoritate apoſtolica in nov. teſt. abrogata, licet genus maneat; Apoc. I. 9. &c. unde adpendix illa præcepto de ſanctificatione ſabbathi itidem propter captum rudiorum συντομῆς ἕνεκα in catecheſi omittitur. 5) Chriſtus Matth. XXII. 37. & ſeqq. univerſa legis præcepta complectitur duobus hiſce mandatis: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde*, &c. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Apoſtolus Rom. XIII. 9. præceptum de non-concupiſcendo recitat, ſpeciebus minime recenſitis, quæ Exod. XX. 16 & 17. ac Deut. V. 21. diſerte ſunt additæ. Eodem igitur jure in recitatione primi præcepti catecheſis noſtra utitur, nimirum ut genus ponatur prætermiſſa idololatriæ ſpecie, quæ per ſculptilia exercetur. Eph. VI. 2 & 3. recitat apoſtolus præceptum de honorandis parentibus, ſed adpendicem illam de promiſſione vitæ in terra Canaan Judæis promiſſa prorogandæ non addit, nimirum quia promiſſio illa terræ Canaan fuit Judæorum propria. At num apoſtolo propterea mutilationis accuſationem intentabimus?

Alluſiones veterum ad numerum ternarium præceptorum primæ tabulæ.

§. LII. Atque hæc dicta ſint de enumeratione præceptorum decalogi, in noſtris eccleſiis uſitata, juxta quam primæ tabulæ tria, ſecundæ ſeptem adſignantur præcepta. Ternarium hunc præceptorum in prima tabula numerum alluſione quadam non contemnenda ad SS. Trinitatis myſterium Auguſtinus q. LXXI. in Exod. & alibi paſſim refert. *Trinitatem* (ait) *videntur illa, quæ ad Deum pertinent, inſinuare, diligentius intuentibus.* Gloſſa. ord. in c. V. Deut. ex Auguſtini epiſt. CXIX. ad Jan. c. II. *Primum mandatum ad Patrem pertinet.* Dominus Deus tuus Deus unus eſt, *ut hoc audiens unum Deum Patrem colas, non multos deos ſuſcipias. Secundum pertinet ad Filium, de quo hic dicitur*: Non adſumes nomen Dei tui in vanum, *id eſt, non æſtimes, creaturam eſſe Dei Filium, omnis enim creatura vanitati ſubjecta eſt, ſed credas eum æqualem Patri. Tertium ad Spiritum, cujus dono requies æterna promittitur; quia enim Spiritus ſanctus dicitur ſeptiformis, ideo ſeptimum diem ſanctificavit Deus, recte ergo hoc mandatum pertinet ad Spiritum ſanctum, tum propter ſanctificationis nomen, tum propter æternam requiem, ad donum Spiritus ſancti pertinentem.* Auguſtinus ſup. Pſ. XXXII. conc. 1. *Tria* (primæ tabulæ) *præcepta pertinent ad dilectionem Dei, cujus cogita unitatem, veritatem & voluntatem. Eſt enim quædam voluntas in Domino, ubi verum ſabbathum, vera requies.* Lyranus in c. XX. Exodi. *Doctores noſtri ponunt tria præcepta tantum ad Deum ordinantia, cujus ratio ſumitur, quia homo debet fidelitatem Deo, reverentiam & debitum famulatum ad recognitionem dominii ſui. Infidelitas autem prohibetur primo præcepto, irreverentia ſecundo, & per iſtas negationes intelliguntur oppoſitæ adfirmationes, ſcilicet colere unum Deum, & ei reverentiam exhibere. Debitus autem famulatus*

Ad septenarium in tabula secunda.

latus præcipitur tertio. Septenarius præceptorum in secunda tabula numerus ab Augustino serm. CXLVIII. de temp. ita explicatur, quod per eum innuatur, neminem suis viribus legem implere posse, nisi adjuvetur Spiritus sancti gratia, qui est septiformis munere. Sunt, qui septenario numero denotatum existimant, quod vita nostra, quæ per septem dies multoties repetitos consumitur, in sancto erga hæc præcepta obsequio transigenda sit. Glossa ord. in c. XX. Exodi: *Bene septem mandata sunt, quæ ad proximum pertinent. Septenarius enim ex ternario constat & quaternario. Ternarius vero animæ congruit, quæ est irascibilis, concupiscibilis, rationalis: quaternarius corpori.*

Regulæ generales ad veram decalogi explicationem ducentes.

§. LIII. Antequam ad specialem præceptorum decalogi explicationem descendamus, generales quasdam regulas ad certam atque integram cujusque præcepti sententiam pernoscendam adprime utiles præmittemus. 1) Decalogus intelligendus est juxta interpretationem prophetarum, Christi, & apostolorum. Quemadmodum enim etiam ante solennem legis promulgationem sonuit ejus vox in ecclesia patriarcharum, ut ostendimus superius: ita quoque post promulgationem illam Deus per prophetas & apostolos, quin & per Christum ipsum, subsequentibus temporibus legem suam expositit ac declaravit. 2) Non manui tantum aliisve externis membris, sed cordi ac toti homini Deus in lege præcipit, hoc est, in omnibus decalogi præceptis non externa tantum, sed etiam interna obedientia requiritur, Rom. VII. 14. *lex spiritualis est.* 3) Non externa tantum, sed & interiora cordis peccata, adeoque intima illa naturæ corruptio a lege adcusantur: nam inter causas alias etiam hoc fine post lapsum tradita ac solenniter repetita est vox legis, ut patefaciat illa præcepta, quorum cognitio in lege naturæ per peccatum exstincta est. Rom. VII. 7. *Concupiscentiam non cognovi, nisi per legem.* 4) Non interior solum qualiscunque obedientia, sed perfecta ac numeris gradibusve omnibus absoluta, in lege requiritur. Deut. VI. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* 5) In præceptis adfirmativis negativa & in negativis adfirmativa continentur. Neque enim bonum a lege præscriptum præstari potest, nisi malum contrarium caveatur, nec malum a lege prohibitum caveri potest, nisi oppositum bonum præstetur. 6) In genere semper comprehenduntur species, in specie præcipua species cognatæ, adeoque totum genus. Sic in prohibitione adulterii omnes illicitæ libidines prohiberi intelliguntur. 7) In effectu causa prohiberi intelligitur, sic in prohibitione adulterii prohibetur luxus, scortationis mater. Vicissim qui castitatem requirit, is etiam media castitatis, temperantiam & abstinentiam requirit. 8) In relato semper intelligitur correlatum. Sic quando filii jubentur suos parentes honorare, ex correlato intelligitur, quod parentes jubeantur filios suos in disciplina & νουθεσία Κυρίου educare, Eph. VI. 4. 9) Ad veram cujusque præcepti sententiam investigandam valde prodest, finem ac scopum ejusdem considerare; ex fine enim de mediis facile potest fieri judicium. *Totus legis finis est caritas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta.* 1 Tim. I. 5. 10) Lex adcusat non solum opera mala, sed etiam illud malum, quod bonis operibus renatorum adhæret. Rom. VII. 18. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio, miser ego, &c.* 11) In decalogo adpellatione crassioris delicti minora prohibentur, ut magnitudinem & gravitatem eorum coram Dei judicio vere agnoscamus: cum enim ira quinto præcepto juxta Christi explicationem prohibeatur, manifestum est, iram coram Deo haberi pro homicidio. 12) Ad plenam legis explicationem requiritur non solum enumerare virtutes & vitia in quolibet præcepto, sed oportet discrtam fieri mentionem promissionum & comminationum, quas Deus vel toti legi in genere, vel singulis præceptis in specie addidit. 13) Quin & colligenda

genda sunt exempla; præcipue ea, quæ Spiritus sanctus in scripturis adnotavit, quibus Deus suis promissionibus ac comminationibus fidem fecit. 14) Propter diversos fines & respectus idem opus in diversis præceptis mandatum vel prohibitum dici potest, ac proinde non nimis anxii ac scrupulosi esse debemus in cujusque præcepti virtutibus ac vitiis enumerandis. 15) In explicatione legis adcurate tenendum discrimen inter peccata *mortalia* & *venialia*. Quamvis enim ex se & sua natura juxta legis rigorem omnia peccata sint mortalia, tamen quando renatis lex proponitur, ostendendum est discrimen inter peccata illa, quæ sauciant conscientiam, excutiunt fidem & Spiritum sanctum, per quæ renati amittunt hæreditatem vitæ æternæ: & inter adhærentes sordes, infirmitates atque imperfectiones, quæ itidem ex lege sunt agnoscendæ, deplorandæ, earumque remissio per Christum petenda. 16) Præceptum primum includitur reliquis omnibus, ideo obedientia reliquorum præceptorum ortum ac scaturiginem ducat ex obedientia primi præcepti, unde singulari consilio Lutherus in singulis præceptis repetit: *Debemus Deum timere & diligere.* Ex quo etiam intelligitur illud apostolicum Rom. XIV. 23. *Quicquid non fit ex fide, peccatum est.* 17) Præceptum ultimum de concupiscentia per superiora omnia ducendum, ut intelligatur, non exteriores tantum actus, sed interiores etiam pravos motus in illis prohiberi. 18) In decalogo moralia, quæ ad omnes homines pertinent, diligenter discernenda sunt ab involucris Mosaicis, quæ ad Israëlitas in vet. test. tantum pertinebant, quomodo vero hæc agnoscenda ac discernenda sint, erudite ostendit Chemnitius loc. de lege cap. VII. reg. 10. 19) Obedientia primæ tabulæ derogat secundæ, quando scilicet utraque simul locum habere nequit. Luc. XIV. 26. *Qui non odit patrem, uxorem, filios & animam suam, non potest esse meus discipulus.* 20) Ceremonialia cedunt moralibus etiam in secunda tabula. Os. VI. 7. Matth. IX. 13. *Euntes discite quid sit, misericordiam volo & non sacrificium.* 21) Mandatum secundum de dilectione proximi simile est primo juxta dictum Christi, Matth. XXII. 39. quod non intelligendum est ἁπλῶς & absolute, quasi Deus non sit magis diligendus, quam proximus, sed similitudo illa consistit *primo* in necessaria connexione, neque enim minus necessaria est obedientia secundæ tabulæ, quam primæ. 1 Joh. IV. 20. *Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Deinde* in eodem genere cultus; opponit enim Christus hanc regulam Pharisæis, qui, quando sacrificabant, in templa donarium offerebant, & alia ceremonialia præstabant, existimabant, Deum non curare, si vel maxime parentes negligerent. *Tertio* in causa finali, quia opera secundæ tabulæ procedere debent ex dilectione Dei, ut fiant cultus Deo grati. *Denique* in eodem genere pœnæ, transgressio enim mandatorum secundæ tabulæ itidem meretur pœnas temporales ac æternas, &c. Est qui observari jubet, secundum præceptum non dici par aut æquale primo, sed simile, sui scilicet qualitate & conditione. Qualitate, quia utrobique dilectio pura ac sincera præcipitur, velut si dicas, hominem homini similem esse, natura scilicet & qualitate, quamvis alius alium excellat magnitudine; ordine, dignitate & conditione, propterea quod ut dilectio Dei caput est & summa omnium reliquorum præceptorum, quæ Deum: ita dilectio proximi summa & caput eorum est, quæ homines concernunt.

§. LIV. Magnum vero divinæ sapientiæ argumentum concinnus ille præceptorum decalogi ordo. Primæ tabulæ præcepta agunt de cultu Dei *immediato*; præcepta secundæ tabulæ de cultu Dei *mediato*, siquidem officia proximo præstanda proficisci debent ex vera Dei dilectione ac timore, qua ratione fiunt cultus Deo gratus & acceptus. Primum præceptum orditur a nobilissimo objecto, videlicet vero Deo, ac vendicat sibi nobilissimum subjectum, videlicet ipsum cor hominis, quod vero timore, fiducia ac dilectione Deo adhærere jubet. Secundum præceptum linguam hominis format, quæ

Ordo præceptorum decalogi.

quæ Deum ex verbo recte agnitum debet confiteri, invocare, celebrare, ipsique gratias agere. Si a corde discesseris, nobilissimum hominis membrum est lingua, articulatæ vocis, per quam a brutis homo secernitur, instrumentum; hæc nola ita debet tinnire, ut a fune cordis trahitur. Tertium præceptum instituit sanctificationem sabbathi, hoc est, cultum Dei publicum per ministerium verbi, hoc enim medio veram sui agnitionem atque invocationem Deus in homine vult accendere. Secunda tabula de officiis proximo debitis agens orditur a prima illa naturali societate, quæ est inter parentes & liberos. Oeconomica societas fundamentum est ac seminarium reipublicæ: convenienti igitur ordine quartum præceptum, quod est secundæ tabulæ primum, de honore parentum tractat. Quintum præceptum vitam hominis tuetur, eamque ab omnibus injuriis defendit. Sextum conjugii honestatem inviolatam conservat; septimum facultates. Octavum famam hominis valido quodam muro atque septo circumvallat. Nonum requirit interiorem adfectionum erga proximum rectitudinem. Decimum generalem legis declarationem continet, quod videlicet in ea requiratur interior omnium virium cum Deo conformitas tam perfecta, ut ne minima quidem pravæ concupiscentiæ labecula sit contaminata. Thomas 1. 2. q. 100. art. 5. procedit hoc modo: *Sicut præcepta legis humanæ ordinant hominem ad communitatem quandam observandam, ita præcepta legis divinæ ordinant hominem ad communitatem sive rempublicam sub Deo. Ad hoc autem, quod homo bene conversetur in communitate humana, duo requiruntur, scilicet ut se bene habeat ad eum, qui præest communitati, secundo ut se bene habeat ad alios consocios communitatis. Tria prima præcepta explicant præceptum de dilectione Dei, & ordinant hominem ad Deum secundum tria, quæ subditus debet Domino suo, quæ sunt fidelitas, reverentia, famulatus. Fidelitas consistit in eo, ut principatus ad alium non transferatur. Reverentia requirit, ut nihil injuriosum in eum committatur. Famulatus debetur Deo in compensationem beneficiorum, quæ ab ipso percipiunt subditi. Præcepta reliqua ordinant ad proximum. Sunt autem quidam proximi, a quibus specialiter beneficia recipimus, quibus specialiter ad gratitudinem obligamur, unde datur præceptum quartum de parentibus, sub quibus omnes benefactores intelliguntur. Generaliter homo nulli proximo nocere debet nec opere, nec ore, nec corde. Contingit autem opere tripliciter nocere proximo, scilicet vel in persona propria, ipsum occidendo, vel in persona conjuncta, præsertim quantum ad prolis procreationem, vel in bonis fortunæ, in rebus exterioribus. Ore infertur nocumentum per detractionem. Nocumentum cordis fit per illicitam concupiscentiam carnis & oculorum, quarum illa nono, hæc ultimo prohibetur præcepto.* Hæc Thomas.

Explicatio primi præcepti.

§. LV. Præceptum primum, juxta descriptionem Exod. XX. traditam, quadripartitum est. Primo enim ponitur præfatio: *Ego Jehovah Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis*: secundo præceptum ipsum: *Non habebis deos alienos coram me.* Tertio adpendix εἰδικὴ: *Non facies tibi sculptile, nec omnem imaginem, quæ est in cælo sursum, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis nec coles ea.* Quarto generalis promissio & comminatio ad totam legem pertinens: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

Præfatio primi præcepti: Ego sum Dominus Deus tuus.

§. LVI. Quare verba ista, *Ego sum Dominus Deus tuus* &c. statuamus esse generalem præfationem, ejus rei causas exposuimus superius §. XLI. neque tamen litem illis movemus, qui statuunt, hæc verba esse partem primi præcepti, quod bifariam proponatur, primum quidem *adfirmative*, quis sit pro vero Deo a nobis agnoscendus ac colendus;

deinde *negative*, quod nulli alii extra & præter hunc verum Deum divinus honor ac cultus sit tribuendus: qua ratione Deus ipse exemplo primi præcepti ostenderet, quod in explicatione reliquorum præceptorum in adfirmativis negativa & in negativis adfirmativa præcepta contineri sit docendum. Porro præfatio illa trimembris. Legislator enim *primo* se nominat Jehovam, quæ est adpellatio veri Dei propria, qua se ab omnibus aliis fictitiis numinibus & creaturis secernit. Ostendimus autem suo loco in tract. de natura Dei §. XXI. nomen Jehovah deduci ab *essendo*, ac tribuitu uni ac soli vero Deo: 1) quia per se existit, nullius indigens conservatione vel sustentatione: 2) quia omnibus entibus dat *esse*, est essentia omnium essentiarum, ac proinde absolutum in omnia habet imperium: 3) quia promissis suis dat *esse*, ac re ipsa eadem complet. Quando igitur verus Deus hoc loco se nominat Jehovam, se solum pro vero Deo agnosci, ac præceptis suis obediri jubet, cum sit αὐτοκράτωρ, cum sit noster creator & conservator, cum promissiones suas obedientibus datas re ipsa compleat. *Deinde* vocat se Deum nostrum. Ego Jehovah, אֱלֹהֶיךָ, Deus autem proprie illorum Deus est, quos peculiari dilectione complectitur. Gen. XVII. 7. *Ego sum Deus tuus, & Deus seminis tui.* Ps. XXXIII 12. *Beatus populus, cujus est Deus Jehovah, populus, quem elegit in hæreditatem sibi*; conjungatur autem explicatio hujus phraseos tradita Lev. XXVI. 12. Jer. XXXI. 1. Matth. XXII. 32. 2 Cor. VI. 18. Quare cum Deus illorum tantum Deus sit, qui eum agnoscunt talem, qualem se in verbo nobis patefecit, ideo jubet his verbis, ut juxta patefactionem in verbo traditam ipsum agnoscamus & colamus: vicissim cum Deus peculiari dilectione & gratia illos complectatur, quorum se Deum profitetur; ideo promittit his verbis suam gratiam omnibus ex verbo ipsum recte agnoscentibus. Ratione creationis, conservationis & gubernationis Deus est *Deus omnis carnis* Jer. XXXII. 7. sed ratione patefactionis & dilectionis peculiaris est tantum ecclesiæ Deus. Porro cum hæc peculiaris Dei gratia non nisi in Christo & per Christum nobis obtingat, ideo non incommode dicitur, אֱלֹהֶיךָ *plurale* cum adfixo singulari denotare mysterium Trinitatis & unitatis in natura divina. *Qui non honorat filium, is nec Patrem honorat*, Joh. V. 23. *Qui negat Filium, is nec Patrem habet*, 1 Joh. II. 23. Ut ergo verus Deus sit Deus noster, ex verbo discendum, quod Pater sit in Filio, ac Filius in Patre: Joh. XIV. 11. quod Pater, Filius, ac Spiritus sanctus sint unum, hoc est, unus verus Deus, 1 Joh. V, 7 & quod per Filium ἱκέτην καὶ μεσίτην cœlestis Patris gratia nobis obtingat, &c. Denique revocat Deus Israëlitas ad recens & insigne illud beneficium liberationis ex Ægypto, quam vocat domum servitutum singulari emphasi. Ego in mirando illo opere divinam meam potentiam, majestatem, ac bonitatem evidenter declaravi: æquum igitur est, ut me verum Deum agnoscas, mihique soli servias. Observandum autem, quod hæc particula proprie ac tantum ad Israëlitas pertineat, qui vel per se, vel per suos majores in servitute Ægyptiaca fuerunt: nobis in nov. test. longe majus beneficium Deus per Filium præstitit, qui sua passione & morte ex regno satanæ nos liberavit, cujus typus fuit corporalis illa liberatio Israëlitis præstita. Jer. XXIII. 7. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicent ultra: vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Ægypti.*

§. LVII. Verba primi præcepti: *Non habebis deos alienos coram me*, nervose expositit Chemnitius in cap. de primo præcepto, ubi ostendit deos novos, deos alienos, deos posteros, deos spurios, & in genere omnem idololatriam non exteriorem tantum, sed etiam interiorem prohiberi, cum diserte addat Dominus: *Non habebis deos alienos coram me*, coram facie mea: jam vero Deus corda & renes scrutatur, oculi ejus sole lucidiores abscondita nostrum intuentur, quando idola in corde erigimus. Ezech. XIV. 7. Quæ virtutes in hoc primo præcepto mandentur, id ex verbis: *Ego sum Jehovah Deus tuus*, & ex antithesi, *non sint*

Virtutes, primo præcepto mandatæ.

sint tibi dii alieni coram me, abunde cognosci potest, præsertim si conjungatur explicatio prophetarum ac apostolorum. 1) Si non habendi sunt dii alieni, sed unus solus verus Deus habendus, utique ex verbo suo recte erit agnoscendus, ac proinde prima primi præcepti virtus est Dei agnitio. Jer. IX. 24. *Ego sum Dominus, faciens misericordiam & judicium, qui gloriatur, in hoc glorietur, scire & nosse me.* 2) Si Deus est noster Deus, & quidem fortis zelotes, utique ergo timendus, ac proinde pertinet ad primum præceptum timor Dei. Mal. I. 6. *Si Pater vester sum, ubi est honor meus? Si Dominus, ubi est timor meus?* 3) Si Deus est noster Deus, hoc est, qui non solum nos creavit & conservat, sed etiam peculiaribus beneficiis ecclesiæ propriis nos sibi adstringit, utique erit diligendus, ac proinde ad primum præceptum pertinet dilectio Dei, Deut. X. 20. *Dominum Deum tuum timebis, illique adhærebis*, v. 21. *ipse est Deus tuus.* 4) Si Deus est noster Deus, hoc est, qui peculiari gratia nos complectitur, utique fiducia cordis in ipsum collocanda: pertinet igitur ad primum præceptum fides, Esa. XLV. 22. *Confugite ad me & salvi eritis, quia ego sum Deus, & non est alius.* 5) Si Deus est noster Deus, hoc est, qui bonitatem suam manifestis indiciis declaravit, utique in eum sperandum, ac proinde etiam spes pertinet ad primum præceptum. Ps. VII. 1. *Domine, Deus meus, in te sperabo.* 6) Ex fide, spe & dilectione oritur patientia, quæ præstat Deo obedientiam in calamitatibus cum tranquillitate animi conjunctam. Si enim vere credimus, paterno animo crucem imponi, ac tandem auxilium Dei nobis adfulsurum, cur detrectemus jugum crucis suscipere? 7) Ex agnitione divinæ majestatis & timore Dei oritur humilitas, quæ omnia bona a Deo descendere agnoscit, reverenter se Deo subjicit, ipsi soli omnem gloriam tribuit, infirmitatem contra humanam agnoscit & deplorat, nec majora viribus vel vocatione sua adpetit, sed intra metas vocationis sese continet; nec alios despicit, sed suum illis locum ac honorem tribuit &c. 1 Petr. V. 6. *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Porro ea, quæ in primo præcepto sibi deberi Deus ostendit, duplicis potissimum sunt generis. *Quædam* enim ita competunt soli Deo, ut si vel minimum quidpiam decerpas, & cum re creata quacunque communices, illico in hoc præceptum impingas, verbi gratia, fides & spes salutis, cultus adorationis, &c. *quædam*, licet soli Deo non conveniant, in summo tamen gradu ad Deum unice referenda, ut dilectio, obedientia, timor, &c. Bernhardus serm. LXXXIII. in Cant. *Exigit Deus timeri ut Dominus, honorari ut pater, amari ut sponsus.*

§. LVIII. Hic vero latissimus sese adperiret campus de singulis hisce virtutibus dicendi, nimirum: 1) quid singulæ virtutes complectantur: 2) quæ causæ nos ad singulas impellere debeant: 3) quæ promissiones singulis adnexæ: 4) quibus exemplis veritas promissionum divinarum demonstrata, quæ omnia ex concionibus prophetarum, Christi & apostolorum abunde peti possunt, & ab industrio scripturæ interprete huc referri debent; sed instituti nostri ratio hoc in loco id agendum suscipere non permittit, sufficit digitum ad fontes intendisse. Exempli gratia: dilectio Dei complectitur considerationem bonitatis & misericordiæ divinæ, memoriam beneficiorum corporalium & spiritualium, considerationem promissionum futuræ vitæ, obedientiam Deo debitam, &c. Diligendus ergo Deus, a) quia est summum bonum: b) quia est bonum αὐτοτελὲς, summa pulchritudo, summus thesaurus, summa sapientia: c) quia prior nos dilexit: d) quia per dilectionem Deo sociamur: e) quia proxima via ad salutarem & practicam Dei cognitionem est ipsius amor: f) quia solus Deus animæ desiderium explere potest: g) quia Deus diligentes & dilectos beatos facit: h) quia Deus se profitetur sponsum nostrum, &c. Hæc omnia dictis & exemplis scripturæ illustranda, & quid in concionibus prophetarum, Christi & apostolorum de singulis virtutibus exstet, diligenter adnotandum est. Tanta certe in decalo-

go

go comprehensa est sapientia, quæ in hac vita exhauriri nunquam poterit.

§. LIX. Peccata contra primum præceptum pugnantia breviter comprehenduntur nomine alienorum deorum ac idololatriæ. *Non habebis Deos alienos coram me; non facies tibi sculptile, non adorabis, nec coles ea*; sed illa brevitas evolvenda est. Ostendimus superius §.XLV. membro 5. ex immotis scripturæ dictis, quandocunque alicui rei vel *naturali* vel *artificiali* tribuitur gloria, quæ soli Deo debetur, inde fieri deum alienum; jam vero hæc est gloria soli Deo debita, quod super omnia timendus ac diligendus; quod omnis in ipsum collocanda cordis fiducia; quod ab ipso omnia ad nos descendunt bona; quod ipse solus noster salvator & liberator. Ergo quæcunque creatura magis timetur ac diligitur, quam Deus, efficitur deus alienus; quandocunque ita confiditur ac obeditur alicui rei, ut propterea violetur mandatum Dei, fit inde deus alienus: quando beneficia accepta referimus non Deo, sed creaturis, quando quærimus alios salvatores & liberatores, quam verum Deum, facimus nobis deos alienos. Sic 2 Cor. IV. 4. *satan* dicitur *deus hujus seculi*, nimirum quia homines hujus seculi ipsius suggestionibus magis obediunt, quam Dei mandatis. Phil. III. 19. *Venter* vocatur *deus pseudoapostolorum*, quia non quærunt Christi gloriam, sed ventris commoda. Ita avaro pecunia est deus alienus, *qui ponit aurum spem suam, & auro dicit, fiducia mea es*; Job. XXXI. 24. non timet Deum, quo minus in corradendis pecuniis mandata Dei violet, non confidit Deo, ut curam ventris ei committat.

Peccata contra primum præceptum.

§. LX. Idololatriæ *species* constitui possunt variæ. Est enim idololatria quædam *crassa*, quædam vero *subtilis*. Ad illam referendum, si lapides, ligna ac metalla aliquid divinitatis habere statuuntur; ad hanc, si interius quoddam idolum in corde erigitur, cui divinus honor tribuitur. Alii hac utuntur distinctione. *Prima* species idololatriæ est, cum divine colitur id, quod non est verus Deus, sive sit res naturalis, ut sol, luna &c. sive manu hominum facta, ut sculptilia, &c. *Altera* species est, cum verus Deus colitur non divine, hoc est, cum verus Deus aliter colitur, quam se in verbo coli præcepit. Sic Israëlitæ erant idololatræ, cum fabricarent aureum vitulum, cui tribuebant nomen veri Dei, non quod statuerent, illum vitulum esse æternam & infinitam illam essentiam divinam, rerum omnium conditricem, sed quia meminerant, Ægyptios tali ritu deos suos colere, & omnibus bonis circumfluere, ideo voluerunt etiam verum Deum, qui ex Ægypto ipsos eduxerat, hoc cultus genere honorare. Hoc sensu omnes ἐθελοθρησκείαι sunt species idololatriæ, quicunque enim verum Deum aliter colit, quam se in verbo coli præcepit, is cogitationes cordis sui verbo Dei & sic Deo ipsi præfert. Denique ut duæ sunt idolorum species, quædam sunt interiora, quædam exteriora: ita quoque duæ sunt cultus religiosi partes: una *interior*, qua in corde statuitur, aliquid divinitatis idolis inesse, reverentiam quandam religiosam illis deberi: altera *exterior*, qua animus iste prosternendo corpus, genua flectendo, caput aperiendo, &c. declaratur. Observandum hoc loco, quod idolum sit vocabulum relativum, *materiale* ejus sunt lapides, ligna, metalla, imo & creaturæ Dei, sol, stellæ, &c. hoc respectu *idola gentium* dicuntur *aurum & argentum*; Psal. CXV. 4. *formale* idoli est conceptus mentis, tribuens vel creaturæ Dei, vel facturæ manuum hominis aliquid divini honoris, quæ notio & conceptus mentis cum sit vanissimus, ideo hoc respectu dicitur *idolum nihil esse in mundo*: 1 Cor. VIII. 4. hoc est, nihil per se subsistens: ratione finis *dii gentium* dicuntur *dæmonia*, Psal. XCVI. 5. quando enim divinus honor tribuitur idolis, tum non ligno aut lapidi, vel soli, sed diabolo, cultus istius auctori, honor defertur. Psal. CVI. 37.

Species idololatriæ.

§. LXI. Possunt etiam peccata contra primum præceptum ex ἀντιθέσει virtutum superius enumeratarum colligi. Cum vera Dei agnitione pugnant ignorantia veri Dei & voluntatis ejus, eaque vel *innata* vel *adfectata*, falsæ opi-

opiniones de Dei essentia ac voluntate, ἐθελοθρησκείαι, dubitationes de Deo, abnegatio veri Dei, idololatria, &c. Cum timore Dei pugnant securitas carnalis, vanus hominum timor, &c. Cum dilectione Dei pugnant odium Dei, inobedientia erga Deum, inordinatus amor sui & creaturarum, hypocritica dilectio, &c. Cum fide pugnant ἀπιστία, ὀλιγοπιστία, fides hypocritica, fides temporaria, diffidentia, tentatio Dei, qua ex fiducia propriæ sapientiæ discreditur a verbo & obedientia Dei, &c. Cum spe pugnant desperatio, quæ honorem veritatis & misericordiæ Deo denegat, dubitatio de liberatione & perseverantia finali. Cum patientia pugnat impatientia; murmuratio adversus Deum in calamitatibus, quæ denegat Deo honorem sapientiæ ac justitiæ, inquietudo cordis Deo se subjicere detrectantis, temeritas accersens sibi sponte mala. Cum humilitate pugnat superbia, cujus species variæ, hypocritica humilitas &c.

§. LXII. Appendix sive pars εἰδικὴ primi præcepti de non faciendis sculptilibus ad cultum tractat, ac proinde peculiarem deorum alienorum speciem exprimit. Vivebant Israëlitæ in medio gentilium, ante menses duos Ægypto exierant, cujus incolis usitatissima fuit ratio exprimendi & colendi Deum sub specie imaginum, quid quod ritibus Ægyptiorum sese conformare cœperant Jos. XXIV. 14. ideo peculiariter hanc idololatriæ speciem in solenni illa legis suæ promulgatione Deus prohibere voluit. Sed enim cum non solum superioribus seculis, sed etiam nostro tempore disputatio de imaginibus magnas ecclesiæ turbas dederit, aliis quidem imagines simpliciter hoc præcepto prohibitas esse contendentibus, aliis e diverso cultum imaginum eodem prohibitum adhuc propugnantibus, aliis media via insistentibus, & imagines ad habendum quidem, non tamen ad colendum Christianis populo concessas esse demonstrantibus (*), ideo

Appendix primi præcepti.

*) Beza in coll. Mompelg. p. 416. *Imagines in sacris locis non judico collocandas, nisi valde circumspecte caveatur, ne occasionem idololatriæ dent.* (ergo illa circumspectione adhibita etiam in templis collocari possunt) p. 420. *Pictura antiqui dierum in Daniele non ideo proposita est, ut pingatur: quamvis non negem, ejusmodi pingere non esse peccatum, sed adiaphoron.* Zach. Ursinus in explic. catech. part. IV. p. 118. *Non simpliciter hic prohibetur a Deo facere vel fieri imagines, quia sic damnaretur ars pictoria, sculptoria, fusoria, textoria, quam inter eximia & vitæ humanæ utilia Dei dona scriptura numerat; Exod. XXXI. 3. XXXV. 31. Sir. XXXVIII. 28. damnaretur etiam proprium opus artis. Et Salomon in solio suo leones & in templo palmas & cherubim jussu Dei sculpi curavit.* Witakerus contra Rainold. cap. XI. pag. 291. *Non pictura, sed cultus, idolum facit. Picturæ Jovis & Martis secundum receptum hujus verbi usum idola non erant, nisi eos homines adorassent: ita etiam sanctorum imagines, si ad sacrum cultum transferantur, qua ratione* (Pontificii) *eas sacras imagines adpellatis, non aliud sunt, quam profana, impia & abominanda idola.* Vorstius in causis deserti papatus disp. V. thesi. 10. *Omnium rerum creatarum, licet invisibilium, imagines omnino per se licitæ sunt, nec nisi per accidens in Dei verbo prohibentur, id est, propter accidentem idololatricum cultum, item obscœnitatem ac turpitudinem, aut similem aliquem cultum. Vide Exod. XXV. & XXXI. & XXXV. Item Num. XXI. & 1 Reg. VI. & VII. ubi Deus ipse cherubinos & alias id genus imagines exprimi curavit. Vide etiam Exod XX. Lev. XXVI. Esa. XLII. ubi tales imagines non nisi respectu idololatriæ & similis alicujus abusus prohibitæ dicuntur.* Idem in coroll. illius disputationis: *Imagines in templis noxiæ sunt, si vel opinio necessitatis, vel evidens idololatriæ periculum, aut certum infirmorum offendiculum, aut similis abusus accedat. Si tamen nihil horum vere sit, ac ne futurum quidem esse juste metuatur, tum non minus in templis, quam in ædibus privatis, illæ haberi aut saltem tolerari possunt, quippe quæ per se sunt adiaphoræ.* Et paulo post. *In auferendis imaginibus duo præcipue spectanda: 1) ut publica Christiani magistratus aut totius ecclesiæ auctoritas accedat, neque per vim aut seditionem popularem, neque exprivata paucorum voluntate aliquid hic fiat; 2) ut magistratu procurante ecclesia ipsa sufficienter ex Dei verbo eruditur, quid de re tota sentiendum sit, priusquam ad exsecutionem veniatur, atque ita idola prius ex animis, quam ex oculis hominum auferantur.* Martyr in locis class. II. cap. V. §. X. in 1 Reg. VII. f. 53. *Christus, quatenus homo est, & fingi & pingi potest. Non enim id pugnat cum rei natura, cum homo vere fuerit, neque cum arte pingendi, quæ corpora imitari potest.* Et paulo post: *Parum mihi synodi 7. proba-*

ideo operæ pretium erit, exactius in genuinam hujus præcepti sententiam inquirere, ubi merito commendamus eruditissimum tractatum Jo. Schroederi de imaginibus an. 1606. editum, qui totam hanc de imaginibus controversiam copiosissime & perfectissime exposuit.

§. LXIII. Sententia nostra est, in hac primi præcepti appendice, quatenus est moralis, non *simpliciter* & *absolute* sculptilium ac imaginum facturam prohibitam esse, sed tantum *secundum quid*, hoc est, ratione cultus. Id quidem sic exprimunt, εἰδωλοποιΐαν, non autem εἰκονοποιΐαν hoc præcepto prohibitam, cum non omnis imago sit idolum, sed tum demum fiat idolum, quando adorari & coli incipit. Auctor librorum de imaginibus, qui sub nomine Caroli magni circumferuntur, lib IV. pag. 18. *Nos imagines in basilicis positas idola non nuncupamus, sed ne idola nuncupentur, adorare & colere eas recusamus.* Ursinus in catech. p. 718. distinctionem inter *imaginem* & *idolum* dicit ineptam esse, cum εἴδωλον ratione etymi idem sit, quod forma, species, imago; ac proinde non posse discrimen tale statui, quod simulacrum significet imaginem rei vere existentis, idolum autem imaginem rei fictitiæ. *Resp.* Concedimus sane ratione etymi εἴδωλον idem esse, quod Latinis est *imago*, interim tamen usu scripturæ & ecclesiæ nullum est idolum, nisi quod ad cultum prostat, quod potest esse rei vel *existentis* vel *fictitiæ*; si sol, luna, stellæ adorentur, si ligna, lapides colantur, fiunt idola; si fingitur peculiaris modus Deum colendi extra verbi divini limites, itidem in corde idolum erigitur.

An imagines simpliciter sint prohibitæ.

§. LXIV. Notanter autem addimus, in hac primi præcepti appendice non prohiberi simpliciter εἰκονοποιΐαν, quatenus scilicet appendix illa est moralis. Disputat Chemnitius in locis cap. de imaginib. pag. 203. omnino Judæis interdictum fuisse, imagines & sculptilia in templo ponere, quod ex Josepho lib. XVIII. cap. 5. colligi posse arbitratur, sed notanter addit, hanc prohibitionem fuisse ceremonialem. Ergo si vel maxime obtineretur, facturam imaginum simpliciter hoc præcepto prohibitam esse, nondum tamen evictum foret, eadem prohibitione etiam nos Christianos in novo testamento obligatos teneri, cum apostolus 1 Cor. VIII. 4. *idolum nihil esse* pronunciet. (sublata scilicet opinione cultus & adorationis) *Quem ad modum circumcisio, quæ in vet. testam. necessaria fuit, in nov. testam. nihil est, hoc est, res indifferens est Gal. V. 6. ita quoque idolum nihil est, non est aliquid, quod possit vel sanctificare vel contaminare.* Hæc Chemnitius.

§. LXV.

tur ratio, quæ si vera esset, non liceret ullum hominem pingere, quod anima, quæ spiritus est, nequeat exprimi. Ibid. *Angelos licet interdum pingere, prout se hominibus patefecerunt. Neque Dei præceptum id vetat, nisi fierent eorum signa, ut religiose ac sancte colerentur.* Hemmingius comm. in Joh. laudat eos, qui in templum imaginem Christi crucifixi collocant. Ludov. Crocius in adsert. Aug. conf. p. 486. *Picturas revelationum divinarum, extra casum offendiculi & periculum idololatriæ, ut indifferentes cum Beza concedimus.* Zwinglius de vera & falsa relig. cap. ult. pag. 428. 429. edit. Tigur. ann. 1525 *Statuas, imagines & simulacra, nemo tam stolidus est, qui patet abolendas esse, ubi nullus eis cultus exhibetur. Quem enim moveant cherubim, sive mysterii, sive ornatus gratia cum in propitiatorio, tum in cortinis opere phrygio volantes, aut palmæ, leones, boves, mala punica & id genus ornamenta in templo Salomonis artificiose fabrefacta? Rursus ubi coluntur, quis tam excors est, ne dicam perfidus, ut ferri debere putet? sed certa scandali habita ratione.* Calvinus in catech. E. ij. *Non quamlibet simpliciter picturam vel sculpturam his verbis damnari intelligendum est, sed tantum imagines prohibemur facere in hunc finem, ut in illis Deum vel quæramus vel colamus, sive, quod idem est, eas colamus in honorem Dei, aut quoquo modo illis ad superstitionem & idololatriam abutamur.* Bened. Aretius probl. theol. part. ult. cap. de idolol. p. 210. *In templis etiam picturæ interdum visuntur citra religionem tamen, ut nostrum templum foris habet in porticu maximo incisum novissimum judicium, sculptas quoque imagines virginum stultarum, & e contra adstant sculptæ & pictæ virgines quinque sapientes expressis gestibus mira arte, nemo tamen religionem illis tribuit, sed singuli artem & ingenium hic admiratur.* GERHARDVS.

Argumenta pro parte quæstionem negante.

§. LXV. Simplicissimum autem ac verbis legis maxime congruum est statuere, quod non contineatur in hoc præcepto absoluta εἰκονοποΐας prohibitio, sed tantum ea, qua ad cultum imagines fiunt, quam proprie vocant εἰδωλοποΐαν, quod sequentibus confirmamus argumentis. I) Ex genere judicium fieri potest de specie. Jam vero generale membrum primi præcepti hoc requirit, *ne habeantur dii alieni*. Ergo pars hæc εἰδική de non faciendis sculptilibus itidem intelligenda est hoc modo, ne per sculptilia faciamus deos alienos, quod fit cultu atque adoratione. II) vers. 5. immediate sequitur: *Non adorabis, nec coles ea*, quæ verba limitationem addunt prioribus, quatenus scilicet & quo fine sculptilia fieri prohibeantur. Quamvis vero ista verba: *non adorabis, nec coles ea*, per distinctionem *silluk* sive *sophpasuk* ab antecedentibus distinguantur, ex eo tamen non potest inferri, quod distinctum a priore constituant præceptum, alias toties constituenda forent nova præcepta, quoties in Exod. XX. & Deut. V. distinctio illa occurrit. Nec desunt exempla, in quibus versus sequens limitationem atque explicationem præcedentis continet, si vel maxime per *sophpasuk*, ab eo distinguatur; Deut. IV. 15. & seqq. idemque hic locum habere ostendit punctum *rebia*, quod ante *sophpasuk* ultimæ dictioni præcedentis versus incumbit, ac monet sententiam de imaginibus nondum finiri, sed ejus declarationem in sequentibus expectandam esse, ideo LXX. interpretes intra unius periodi contextum verba, quæ in Hebræo per *silluk* divisa videntur, contraxerunt. ὐ ποιησεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὑδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς, ὐ προσκυνήσεις, οὐδὲ μὴ λατρέυσεις αὐτοῖς. III) Generalis prohibitio & comminatio subjuncta ostendit omnia præcedentia ad unum, videlicet primum de non habendis diis alienis pertinere præceptum. Zelotypia enim illa Dei huc spectat, quod non possit ferre deos alienos, sicut maritus zelotypus non potest domi suæ ferre rivalem. Quod si præceptum de sculptilibus est appendix sive pars primi præcepti, evidenter ex eo colligitur, eatenus tantum imagines prohibitas esse, quatenus ex illis fiunt dii alieni. IV) vers. 23. subjungitur: *Non faciatis mecum deos argenteos, neque deos aureos facietis vobis.* Lev. XIX. 4. *Non convertatis vos ad idola, neque deos fusiles faciatis vobis, ego Jehovah Deus vester;* ubi adparet, argenteas aureasve imagines eo solum respectu fieri prohibitas, ne sint dii, hoc est, ne prostent ad idololatriam. V) Neve ulla restet dubitatio, conjungimus explicationem hujus præcepti traditam Lev. XXVI. 1. *Non faciatis vobis idola* (אֱלִילִם *deunculos*, alii deducunt a *vanitate* seu *stultitia*, alii volunt dictum quasi אַל אֵל, *non Deus*) *& sculptile, & statuam non erigetis vobis, neque lapidem pictum ponetis in terra vestra, ut incurvetis vos ei, ego enim Jehovah Deus vester.* Quæ per *sophpasuk* Exod. XX. diremta videntur, ea hoc in loco ita contexuntur, ut unam eandemque sententiam constituant. Quod in Exodo dicitur לֹא תַעֲשֶׂה לְךָ פֶּסֶל: לֹא תִשְׁתַּחֲוֶה *non facies tibi sculptile, non incurvabis te*, in hoc loco sic exprimitur: לֹא תַעֲשׂוּ לָכֶם אֱלִילִם וּפֶסֶל לְהִשְׁתַּחוֹת עָלֶיהָ *Non facietis vobis idola & sculptile*, &c. *ad incurvandum*, vel *ut incurvetis vos ei*, qui locus vel unicus totam hanc terminare deberet controversiam, cum evidentissime ostendat, certo respectu, videlicet adorationis & incurvationis causa, imagines fieri, prohibitum esse. Petimus etiam ex hoc loco tale argumentum: Quo modo prohibitum est erigere statuam, & ponere lapidem, eo etiam modo prohibetur facere sculptile. Jam vero non quævis, sed idololatrica lapidis ac statuæ erectio ibi prohibetur. Ergo non quævis, sed idololatrica sculptilium factura prohibetur. Adsumtum confirmant exempla eorum, qui tum ante legis promulgationem, tum post eam statuas erexerunt ac lapides posuerunt. Gen. XXVIII. 18. XXXI. 45. XXXV. 14. Jos. XXIV. 26. 1 Sam. VII. 12. VI) Denique Deut. IV. 15. & seqq. repetitur hoc præceptum: *Cavete diligenter animabus vestris, (non enim vidistis ullam imaginem die,*

quo locutus est Jehovah ad vos) ne forte corrumpatis vias vestras, & faciatis vobis sculptile aut imaginem ullius simulacri, effigiem masculi aut fœminæ, effigiem cujuscunque animalis, quod in terra, effigiem cujuscunque alatæ, quæ volet per cœlum, effigiem cujuscunque repentis in terra, effigiem cujuscunque piscis, qui in aqua, sub terra, neve attollas oculos tuos in cœlum, & videas solem & lunam, & incurves te illis, colasque ea, &c. Hic locus, præterquam quod diserte exprimit, eo fine prohibitam esse sculptilium facturam, ne incurvemus nos eis, suppeditat duplex sententiæ nostræ argumentum: aut imaginum illæ species enumeratæ omnes sunt simpliciter prohibitæ, aut tantum ratione finis, scilicet cultus; si prius, nec hominis, nec volucris, nec piscis, nec ullius animalis imago habenda erit: & quia præceptum generale est, ne quidem in privatis ædibus, in libris medicorum, in monetis, in insignibus eas habere licebit, quod absurdum. Si posterius, evicta est nostra sententia. Vicissim: quo modo prohibitum, attollere oculos in cœlum, & videre solem & lunam & stellas, omnem militiam cœli, eo etiam modo prohibitum, facere sculptile; (de paribus enim idem est judicium.) Atqui non nisi ratione finis vitiosi, scilicet cultus idololatrici, prohibitum est, oculos attollere in cœlum, & videre solem & lunam & stellas. Ergo etiam non nisi idololatrica sculptilium factura præcepto Dei prohibetur.

§. LXVI. Atque hæc nostræ interpretationis fundamenta ex ipsis textus visceribus sunt petita, quibus addi possunt sequentia ex aliis scripturæ locis & ex ipsa re depromta. I) Quicquid a Deo ipso factum ac fieri præceptum, id moraliter in lege non est prohibitum. (Lex est norma voluntatis divinæ, & ea quidem immota, dici ergo nequit, Deum ea facere aut præcipere, quæ cum norma legis suæ pugnant) Jam vero Deus ipse fecit, & præcepit fieri imagines: Exod. XXV. 40. ostendit Mosi in monte imaginem tabernaculi; Num. XXI. 9. jubet erigere serpentem æneum, quem cum percussi ab ignitis serpentibus adspicerent, sanabantur. Exod XXXV, 30. & seqq. Bezaleel & Ohaliabus implentur Spiritu Dei, sapientia, intelligentia & scientia in omni opere ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento, &c. quo pertinent visiones propheticæ vet. ac nov. test. II) Quod natura ipsa facit, id Deo non est simpliciter exosum, loquor autem de natura instituta, non autem per peccatum in homine corrupta. Definientibus philosophis natura est potentia Dei ordinaria. Proinde quod natura, qua talis, facit, illud Deus odio non habet. Jam vero tota rerum universitas figuris & imaginibus plena est. Imago e corpore emanans recipitur in aqua, in speculo &c. in superiore aëris regione varia formantur φαινόμενα, ut irides, trabes, conflgentes exercitus, cruces, parelii, parasselenæ &c. Socrates lib. II. cap. XXIV. refert, signum servatoris in oriente adparuisse, cum columna crucis effigiem exprimens in cœlo visa maximam intuentibus excitaret admirationem Hemmingius annotat, eandem Christi imaginem cum corona spinea anno 1561. in cœlo visam. Similia ostenta anno 1549. 1554. 1559 visa esse testatur Fincelius. Cognitio nostra fit per species, quas vocant intelligibiles, quæ nihil aliud sunt, quam interiores, spirituales atque ἄνυλοι imagines. III) Quicquid ut pars levitici cultus a Deo ipso institutum, illud lege morali non est prohibitum, alias lex moralis & ceremonialis invicem pugnarent. Jam vero imagines in tabernaculo fieri, a Deo ipso est institutum, ut cherubin Exod. XXV. 18. mala punica, c. XXVIII. 33. &c. quo pertinent variæ illæ imagines in templo Salomonis 1 Reg. VI & VII. 2. Paral. III & IV. quas Deo haud quaquam displicuisse ex eo patet, quod gloria Domini templum illud miraculose implebat. 1 Reg. VIII. 11. IV) Quicquid Israëlitis fuit liberum, id non est lege aliqua morali simpliciter prohibitum. Atqui usus imaginum fuit Israëlitis liber, quod non solum ex variis illis imaginibus in templo Salomonis adparet, sed cumprimis ex historia Jos. XXII. Rubenitæ, Gaditæ & dimidia tribus Manasse exstruunt altare e regione terræ Canaan in confinibus Jordanis v. 11. hoc nomine accusantur ab aliis popu-

populi Israëlitici tribubus, ac si essent legis divinæ prævaricatores, v. 16. cum vero instituti sui rationes exponerent, quod non cultus alicujus idololatrici, sed memorialis cujusdam gratia id fecerint, v. 27. placuit hæc res in oculis filiorum Israël v. 33. Arca Domini poterat secum tolerare mures aureos & quinque anus aureas, cum non prostarent ad cultum idololatricum, sed idolum Dagon concidit a facie arcæ, quippe quæ statua erat idololatrica, 1 Sam. V & VI. Tempore Salomonis potuit Deus boves fusiles in templo tolerare, sed vitulos in Bethel & Dan odio habebat, quippe qui prostabant ad idololatriam, figuris certe non distabant, sed tantum fine. De sicto templi Israëlitis usitato refertur, quod ab una parte habuerit imaginem virgæ Aaronis, ab altera calículum thuris. V) Quicquid in primitiva nov. test. ecclesia est libere usurpatum, id non est voce legis moralis prohibitum, quia lex moralis non minus in nov. test. Christianos obligat, quam in vet. test. Israëlitas. Atqui imaginum usus in primitiva nov. test. ecclesia liber fuit habitus. 1 Cor. VIII. 4. *Idolum nihil est in mundo.* Docet apostolus idolothytorum esum per se non contaminare Christianum, cum idolum nihil sit in mundo, ita, ut sine conscientiæ labe tolerari possit ab iis, qui pro idolo non habent. Si idolum hoc modo tolerari poterit a Christianis, multo magis tolerari, imo haberi possunt sanctorum imagines in nostris templis. Act. XXVII. & XXVIII. *Paulus vehitur in navi Alexandrina, cujus insigne erat imago Castoris & Pollucis.*

Exceptiones adversariorum. 1. In templo prohibitas esse imagines.

§. LXVII. Excipit Ursinus in catech. part. III. p. 718. I) hanc non esse suam ac suorum hominum sententiam, quod simpliciter lege Dei prohibitum sit simulacra, statuas, imagines fieri vel habere, sed illas tantum imagines ac statuas prohibitas esse, a) quæ ad repræsentandum aut colendum Deum effinguntur: b) quæ in templis, in compitis, vel alibi ad cultum Dei vel ad ornatum periculosum ponuntur: licitas contra imagines creaturarum esse, quæ extra templum citra periculum & speciem idololatriæ, superstitionis aut scandali, ad usum politicum, hoc est historicum, aut symbolum vel ad honestum ornatum fiunt. Ita quoque Cassellani in antiq. fide Cattorum p. 89. domi privatim licet habere imagines apostolorum, quamprimum autem constituuntur in templo, exerces per illas idololatriam. *Resp.* 1) Deus, cum sit spiritus, adeoque essentia invisibilis & infinita, per se & quoad essentiam pingi non potest: cumque nulli rei creatæ sit similis, ideo non debet rei alicujus creatæ imago pingi, qua Deus repræsentetur, maxime cum diserto præcepto id sit prohibitum; Deut. IV. 15. qua in parte Ursino nemo nostrum contradicit. Sed secures, bipennes, vectes & mallei adversariorum εἰκονομάχων testantur, quod statuant, illas etiam picturas esse prohibitas, quibus historiæ manifestationes, in quibus sancta Trias sese revelavit, depinguntur, quod ex verbis legis Mosaicæ demonstrare nunquam poterunt. Neque enim restrictio illa additur; non facies tibi sculptile aut imaginem, qua repræsentes manifestationem Dei sive tales res, quibus se Deus manifestavit, neque potest ex antecedentibus vel consequentibus ista restrictio probari; sed in genere prohibentur omnes imagines κατὰ τὶ, videlicet certo respectu & fine, ne adorentur & colantur. Ac si vel maxime nunquam pingatur, nunquam fingatur, nunquam oculis hominis objiciatur talis imago, tamen quando manifestationes illas Dei, quibus Pater in forma antiqui dierum: Dan. VII. 13. Filius in adsumta carne: 1 Tim. III. 16. Spiritus sanctus in specie columbæ Matth. III. 16. sese revelavit, & oculis hominum olim quasi conspiciendum præbuit; quando, inquam, manifestationes illas recitari audimus, vel easdem in scripturis legimus, statim mens nostra sibi interius tales imagines format; neque enim species intelligibiles quicquam aliud sunt, quam spiritales &

internæ rerum imagines (*). Nullum igitur a pictura illarum manifestationum proprie & per se imminet periculum, cum non cultus, sed memoriæ & ornatus causa depinguntur. Viderint autem adversarii, annon ipsimet idolum in cordibus auditorum erigant, Ezech. XIV. 7. quando aliam Dei imaginem ipsis imprimunt, quam in verbo se ipsum manifestavit, dum docent, ipsum absoluto quodam decreto maximam hominum partem æterno exitio devovisse, ipsum multis offerre verbum, quos tamen converti serio non velit; nunquam fuisse tempus, quo voluerit omnium misereri &c. Ac si historica illa manifestationum divinarum pictura simpliciter est Dei lege prohibita, quo jure concedit Martyr in comment. 1 Reg. VII. class. II. locor. commun. c. V. §. 10. *Christum quoad humanam naturam pingi posse?* cui tamen hostiliter contradicit Beza, quando in colloq. Mompelg. p. 418. *se ex animo detestari imaginem crucifixi*, publice fatetur. Idem tamen in coll. Momp. pag. 420. fatetur, non esse peccatum, sed ἀδιάφορον, manifestationem illam Patris in forma antiqui dierum depingere. 2) Ubi vero additur restrictio illa, quod imagines domi habere liceat, in templo non liceat, verba legis generalia sunt, *non facies tibi sculptile, nec ullam similitudinem.* Annon in ipso templo ex Dei institutione fuerunt cherubin aliæque imagines complures? Ac si vel maxime Judæis non licuit ullas templo Hierosolymitano inferre imagines, quod statuisse videntur ex Josepho lib. XVIII. c. XV. illud tamen in nov. test. jamdudum tanquam ceremoniale fuisset antiquatum & abrogatum. Ratio templorum, quibus utimur, tota est ceremonialis, quicquid igitur extra templa nobis Christianis est concessum, idem intra templa morali aliqua lege non est prohibitum. Salomon fecit boves fusiles in templo 1 Reg. VII. 25. Jeroboamus vitulos suos aureos extra templum in Dan & Bethel erexit 1 Reg. XII. 28. 29. nihilo tamen minus boves fusiles Salomonis a Deo adprobantur, vituli aurei Jeroboami damnantur.

LXVIII. II) Excipit Ursinus ulterius pag. 720. Deo quidem licuit, se manifestare, quocunque modo ipsi placet, nulli autem creaturæ licet Deum signo, quo ipse non jussit, repræsentare. Deinde species illæ habebant promissionem præsentiæ & exauditionis Dei ad illas, quod de simulacris illas imitantibus dici nequit. Denique species illæ erant transitoriæ, tantisper manebant, donec illis Deus ad patefactionem sui uti volebat, ideoque ad idololatriam rapi non poterant: statuæ vero & picturæ, quas homines ad patefactiones divinas repræsentandas faciunt, neque ad patefactiones Dei, neque ad repræsentationem patefactionum sunt a Deo ordinatæ, proinde sunt objectum & occasio idololatriæ. *Resp.* 1) Quamvis Deus non jusserit, manifestationes illas depingere, tamen nec pingi prohibuit, adiaphorum igitur est & in christiana libertate relictum. 2) Picturis illis non dicimus Deum ipsum, sive ipsam Dei essentiam repræsentari, quod fieri nec potest nec debet, unde in concil. Eliberitano (**) can. XXXVI. recte prohibitum,

2. Manifestationes Dei non licere depingere.

(*) *Quæcunque verbis pie describuntur, & juxta descriptionis illius tenorem animo tanquam speculo imprimuntur, & secundum illum animi conceptum efferuntur ad alios, ut & ipsi percipiant, illa non minus pie etiam penicillo & coloribus depingi, & ob oculos poni possunt, ut eadem plane imago & non diversa animo concipiatur sive per oculos ex pictura, sive per aures per expressa verba, quo accommodari potest phrasis Paulina* Gal. III. 1. οἷς κατ' ὀφθαλμὸς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος. Hæc ex MENZERI disput. II. contra Pierium coroll. 2. adnotavit GERHARDVS.

(**) Concilium hocce in Hispania fuit habitum anno CCCIII. quo tempore de cultu imaginum nemo adhuc cogitabat. Proinde verba *canonis XXXVI.* non possunt de adoratione sanctorum, vel imaginum exponi, prout ex ecclesiæ Romanæ doctoribus canonem hunc explicare annisi sunt ALBASPINÆVS, & MENDOZA, itemque JO. BONA, pater purpuratus, *libr. I. rerum liturg. cap. XVI. §. 2. fol. 236.* edit. Antverp. sed prohibentur hic speciatim imagines divinitatis. Vid. de hoc canone b. cancell. PFAFFII *strictiuras Anti Riberianas §. XXVII. p. 16.*

tum, *ne id, quod adoratur & colitur, in parietibus depingatur*, sed res illæ, in quibus Deus sese manifestavit, & conspiciendum quasi præbuit, depinguntur. 3) Quamvis species illæ habuerint testimonium præsentiæ Dei peculiaris ad illos, quo pictura illarum specierum destituitur; ex eo tamen nondum inferri potest, simpliciter & absolute prohibitum esse, manifestationes illas exprimere. Martyr quoad humanam naturam Christum pingi posse concedit, qui procul dubio in illa pictura personalem τῆ λόγε ἑνοίκησιν non agnoscit, quam tamen adsumtæ carni, in qua λόγ@ sese manifestavit, necessario tribuere cogitur. 4) Nec directa fuit vel etiam dirigi debuit adoratio ad species illas, in quibus se Deus manifestavit, sed ad Deum, qui in illis se patefecit, (ubi tamen excipitur adsumta Christi caro, quippe quæ cum λόγῳ personaliter unita, ideoque una adoratione Christus ut Deus & homo glorificandus est.) 5) Historicæ illæ picturæ *per se & exse* non sunt objectum & occasio idololatriæ, alias in nostris etiam ecclesiis religiose colerentur, quod enim alicui rei per se convenit, id semper & omni convenit. Ex his facile responderi poterit ad reliquas Ursini exceptiones, quæ nituntur omnes hoc fundamento, quod imagines sint simpliciter prohibitæ, & quod per se sint causa idololatriæ.

3. Mandatum de fabricandis imaginibus fuisse speciale.

§. LXIX. III) Contra fundamenta nostræ sententiæ superius allata, hoc modo insurgit Ursinus pag. 728. 1) *Mandatum Dei datum Mosi de fabricandis cherubin, & exemplum Salomonis templum Dei variis imaginibus exornantis fuerunt specialia.* Resp. Non dicimus, necessarias esse imagines in templis, quemadmodum fuerunt necessariæ Mosi, qui mandatum peculiare de illis accepit; dicimus autem, eas tolerari posse, idque ex testimoniis illis recte colligimus; quæ enim simpliciter lege morali sunt prohibita, ea Deus nec præcipit, nec permittit. 2) *Imagines illæ non facile potuerunt trahi ad idololatriam.* Addunt alii, *cherubin fuisse in sancto sanctorum, sicque a conspectu populi remotas.* Resp. An non serpens æneus successu temporis fuit occasio idololatriæ? 2 Reg. XVIII. 4. *Ezechias sustulit æneum serpentem, quem fecerat Mose, quia usque ad dies illos filii Israëlis sufficbant ei*; an non aliæ imagines in tabernaculo Mosis & templo Salomonis in totius populi conspectu fuerunt prohibitæ? Puritas ac sinceritas verbi unicum ac certissimum est idololatriæ præcavendæ remedium, stante verbi puritate nullum erit ab imaginibus periculum; collapsa verbi sinceritate proclivis est ad idololatriam lapsus, si vel maxime nullæ exstent statuæ vel imagines. Sol, luna, stellæ & omnis militia cœli occasio fuit idololatriæ, deturbent igitur illas Dei creaturas e cœlo. Adde, quod non defendamus illas statuas, quæ facile dant occasionem idololatriæ, sed hoc ab adversariis obtinere cupimus, imagines non esse simpliciter & absolute lege divina prohibitas.

4. Imagines illas non potuisse facile trahi ad idololatriam.

5. Imagines vet. test. fuisse typicas.

3) *Imagines illæ in vet. test. fuerunt typicæ, jam vero per Christi adventum omnes typi sublati.* Resp. Sane imagines illæ fuerunt pars cultus levitici, ideoque necessariæ, quod de nostris imaginibus historicis non dicimus. Quamvis imagines in novo testam. non sint typi futurorum, tamen possunt esse memorialia præteritorum.

§. LXX. Maneat ergo firmum fixum, non omnem εἰκονοποιΐαν absolute & simpliciter lege Dei prohiberi, ac proinde non omnem imaginum usum esse interdictum. Quod utinam exactius perpendissent 338. patres synodi Constantinopolitanæ VII. sub Constantino Copronymo anno Christi 753. vel ut alii volunt 754. habitæ, qui non solum imaginum cultum, sed etiam ipsas imagines damnarunt, ac ne fierent, prohibuerunt. Verba decreti sic habent: *Qui ab hoc die imaginem ausus fuerit sibi parare aut adorare, aut in ecclesia, aut in privata domo constituere, aut clam habere, si episcopus fuerit, aut diaconus, deponitor: si vero solitarius aut laicus, anathemate percellitor, imperialibusque constitutionibus subjicitor, ut qui divinis decretis repugnet, & dogmata non observet.* Horum

bi ad idololatriam.

rum exemplum superiori seculo imitandum sibi propositit Andreas Carolstadius (de quo Philippus in epist. ad Frid. Myconium præfixa libello de eucharist. scribit, quod fuerit *homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, in quo exstiterint manifesta signa impietatis* &c.) is bellum εἰκονοκλαστικὸν anno 1522. cum b. Lutherus in Pathmo suo lateret, Witebergæ redintegravit, & imagines ex templis serrata manu exturbare non fuit veritus. (*) Videatur Sleidanus lib. III. hist. b. Lutherus tom. II. Jen. Germ. fol. 68. & seqq. (**) Quantos tumultus εἰκονοκλασίας in Gallia, Belgio, quin & in Germaniæ quibusdam locis superioribus annis excitaverit, non ignotum est. Monet quidem Ursinus in catech. p. 726. in abolitione imaginum & statuarum duo diligenter observanda esse: 1) ut præmittatur doctrina de vero Dei cultu ante idolorum abolitionem: *Præcedat doctrina*, (ait) *& idola sponte corruent.* 2) *Statuæ non debent tolli a privatis, sed auctoritate publica sive magistratuum, sive populi, si penes eum sit potestas publica, & in iis locis, in quibus ecclesia tenet imperium.* At num hæc ubique & semper fuerint a suæ fidei hominibus diligenter observata, ipse viderit. Beza in colloq. Mompelg. f. 398. fateri cogitur, hujusmodi in Gallia in exortis tumultibus & civilibus bellis facta esse aliquo zelo, sed non secundum scientiam, quoniam modum excesserint.

Variæ species imaginum.

§. LXXI. Antequam vero nostram de imaginibus sententiam exponamus, distinguendum erit inter imagines. (***) 1) Quædam sunt idololatricæ. 2) Quædam inhonestæ & obscœnæ. Scribit Ambr. Catharinus, *in excelsis templis ac sacellis Italiæ offendi picturas tantæ lasciviæ, ut quicquid natura occuluit turpe, ibi liceat contemplari ad excitandam non devotionem, sed cujusvis demortuæ carnis libidinem.* 3) Quædam superstitiosæ ac fabulosæ. 4) Quædam typicæ. 5) Quædam historicæ. 6) Quædam ornatus causa efformatæ. Idololatricas & inhonestas picturas sive statuas per magistratum politicum abolendas esse dicimus. Superstitiosæ ac

(*) Constat, quantum b. LVTHERVS improbaverit inconsultum CAROLSTADII in imagines impetum, cum ex arce Wartburgensi Wittebergam rediisset. Constat quoque, eundem tum in libello *contra cœlestes prophetas*, tum alibi in scriptis suis sententiam eorum, qui imagines sacras proscribendas esse censent, confutasse. Constat denique, ecclesiæ Reformatæ doctores, ad unum fere omnes, in hoc argumento a b. LVTHERO ejusque sectatoribus plurimum dissentire, nullasque admittere imagines sacras. Sufficiat, ex iis heic adlegasse JO. CALVINVM *libr. I. instit. christ. relig. cap. II.* DAN. CHAMIERVM, in *panstrat. cathol. tom. II. libr. XXI. cap. II & III.* ANDR. RIVETVM, *oper. tom. I. p. 275. seqq.* & *p. 1253.* PETR. MOLINÆVM, in *thes. theolog. de imagin. & idolis, part. I. §. 16. seqq.* in *thesauro disp. theol. Sedanens. part. I. p. 266.* JO. DALLÆVM *libr. II. de imagin.* MOSEN AMYRALDVM, in *thesib. theol. de imaginibus*, quæ insertæ sunt *syntagmati thes. theolog. Salmurien. part. III. p. 777. seqq.* CHRISTOPH. MASSONVM, sive, qui fictum hocce nomen adsumsit, CHRISTIAN. BECMANNVM, in *anatomia universali triumphante, tom. III. p. 251 seqq.* JO. DALLÆVM, *de imaginibus*, FRID. SPANHEMIVM, in *historia imagin. restituta*, & JACOB. BASNAGIVM, in *histoire de l'église, libr. XXII. p. 1311. seqq.* Eandem amplexi sunt sententiam JO. ARMINII adsectæ, vulgo *Remonstrantes* adpellati, specintim SIM. EPISCOPIVS, *libr. III. instit. theol. sect. III. cap. I. opp. tom. I. p. 130.* & *libr. IV. sect. II. cap. X. p. 289. seqq.* JO. LIMBORCHIVS, in *theolog. christian. libr. V. cap. XXXIII. §. V. p. 492.* atque ADRIANVS CATENBVRGIVS, in *spicileg. theol. christian. libr. IV. cap. XXX. §. 2 seqq. p. 707. seqq.*

(**) QVIRIN. REVTERVS in aphor. theol. Heidelb. ann. 1601. editis part. III. th. 29. *Seculum integrum ad has evellendas spinas istis diligentibus pastoribus* (Lutheranis) *nondum suffecit? imo removeantur ex oculis, ut illorum memoria deleatur ex animis. Denique semel potius tollatur lapis offendiculi, quam de periculo ruinæ viatores usque moneantur.* Hæc REVTERI verba, in editione Hamburgensi textui GERHARDI inserta, instar notæ cujusdam heic adponere voluimus.

(***) *Imagines quædam sunt licitæ, aliæ illicitæ. Illicitæ sunt vel inhonestæ vel superstitiosæ. Inhonestæ aut sunt impudicæ, ut Veneris, Bacchi; aut mendaces, ut Christophori, Catharinæ. Licitarum aliæ sunt symbolicæ, aliæ historicæ, quæ rursus sunt vel politicæ, ut picturæ ac cælaturæ εἰς κόσμησιν καὶ ἀνάμνησιν ubivis obviæ, vel sacræ ex historiis sacrarum literarum depromtæ, ut sunt typi & adparitiones.* Hæc ex BAVMEISTERO adnotavit GERHARDVS,

ac fabulosæ itidem in templis ferendæ non sunt, nisi forte de idolomania superiorum temporum ex illis petere velimus testimonium, quo fine privatim adservari possent. Typicæ imagines vet. test. propriæ sunt. Historicas atque illas, quæ ornatus causa formantur, libertas Christiana non repudiat; ubi tamen observare jubemus sequentia theoremata. I) Prudentia christiana, ut alibi, ita hic vel maxime requiritur, ne intempestivo rerum adiaphorarum usu scandalum præbeamus infirmis, *nec tamen vel ad horam cedamus illis, qui subintroëunt ad tentandam libertatem christianam.* Gal. II. 4. Sic apostolus præscribit christianis, *ne in simulacris Deum provocent sua scientia.* 1 Cor. X. 22. idem tamen idolum nihil esse pronunciat, 1 Cor. VIII. 4. II) Chemnitius graviter scribit p. II. locor. p. 105. *In imaginibus caveantur omnes occasiones idololatriæ, quæ inde posset institui. Experientia omnium temporum in vet. & nov. test ostendit, imagines & statuas præbuisse idololatriæ occasiones ac seminaria, & semper ex indifferenti imaginum usu progressu temporis ortas fuisse corruptelas verbi divini.* III) Nimia copia imaginum sumtuosarum vitanda, ne accidat id, de quo conqueritur Bernhardus in apolog. ad Guilielmum abbatem col. 1134. *ut splendide fulgeat ecclesia in parietibus, & egeat in pauperibus, lapides suos auro induat, & filios suos nudos deserat, neve de sumtibus egenorum serviatur oculis divitum.* IV) Sedulo præcavendum, ne pars divini cultus in illis consistere judicetur, aut sanctitatem quandam loco conciliare existimentur; ne fingatur, Deum ita alligatum esse ad imagines, ut ibi magis exaudiat & efficax sit, quam alibi. V) Ponatur imaginum usus inter exercitia corporalia, quæ Paulus dicit ad modicum utilia esse. 1 Tim. IV. 8. *Deus enim dedit scripturam, ut esset medium ad institutionem, commonefactionem & excitandam devotionem, huic medio nullo modo comparandæ sunt mutæ imagines*, ut iterum scribit Chemnitius c. II. de imagin. p. 108. VI) Magis probandæ picturæ & sculpturæ historicæ, quam prægrandes illæ statuæ ac colossi.

Quibus conditionibus imagines haberi possint.

§. LXXII. His & similibus conditionibus observatis, licitus ac indifferens est imaginum usus, quem dum contra εἰκονοκλάστας defendimus, non tam de imaginibus, quam de libertate christiana soliciti sumus. Cum enim nulla lex moralis imagines haberi vetet, utique abolitionem earum tanquam necessariam urgere, christianam libertatem captivat. Quamvis enim quædam statuæ ac imagines ex papatu adhuc superstites olim fuerint idololatricæ, nondum tamen ex eo sequitur, quod simpliciter necessarium sit, eas removeri, cum remota idololatria memoriæ vel ornatus causa libere retineri possint. Sol, luna & stellæ fuerunt olim ethnicis idololatriæ materia, quæ nihilominus sunt ac manent bonæ Dei creaturæ. Acriter quidem urgetur ab adversariis præceptum Dei Deut. VII. 5. *Sculptilia Cananæorum igni comburenda esse*, sed fuit hoc peculiare quoddam mandatum, quale & illud, quod v. 24. jubentur Cananæi ad internecionem usque percuti. Paulus Act. XVII 23. aram Athiensium *ignoto Deo* inscriptam haudquaquam diruit, nec vela navis, cujus insigne erat imago Castoris ac Pollucis, vi ac ferro avellit Act. XXVIII. 11. Leviusculum est, quod quidam verba legis urgent: *non adorabis coram eis*, Lev. XXVI. 1. ex quo evincere conantur, non solum non ado-

(*) Usus imaginum est duplex: *illicitus* & *licitus*. Illicitus vel superstitiosus, quando imagines cum impietate sunt conjunctæ, idque dupliciter: a) *formaliter*, quando in ipsa imagine vel pictura est aliquid impietatis, ut quæ exprimit Dei naturam & essentiam: b) *finaliter*, quæ prostat ad adorationem ita, ut ea adoretur, vel Deus in eo. Licitus usus duplex est: *politicus* vel *ecclesiasticus*. Usus *politicus* alias symbolicus est, qui commonefacit nos de re, quæ imagine illa repræsentatur ob finem politicum, ut imago Cæsaris in moneta. Hunc usum adprobat Christus Matth. XXII. Usus *ecclesiasticus* vel est *typicus* vel *historicus*. Usus *typicus* viguit in vet. test. & jam desit: talis fuit serpens æneus &c. *Historicus* est, quando vel propter monumentum rerum gestarum vel propter ornatum imagines adhibentur. GERHARDVS.

adorandas esse imagines, sed nec coram eis adorandum. Etenim cum in omni loco adorandum sit, 1 Tim. II. 8. sequeretur, etiam in privatis ædibus non esse tolerandas imagines, ne forte coram eis adoremus, ac præceptum Dei violemus. *Coram imaginibus adorare* phrasis est scripturæ, significans, vel orationem ad imagines dirigi, vel una cum facie etiam cor ad eas conferri, vel opinari, preces magis exaudiri coram imaginibus fusas, quam in loco alio, id vero a nobis ac nostris ecclesiis alienum est. Vehebatur apostolus in navi, cujus insigne erat Castor & Pollux, Act. XXVIII. 11. num existimabimus, Paulum in illa navi non orasse? quid quod 1 Cor. VIII. 4. concedit christianis (modo absit offendiculum infirmorum) ut comedant de idolothytis, quæ in ipsis ethnicorum templis, quæ refertissima erant idolis, consumebantur, quanto minus prohibitum erit, adorare eo in loco, in quo imagines Christi & sanctorum habentur, ita tamen, ut ad ipsas imagines oratio haudquaquam dirigatur.

Causæ propter quas imaginum usus defenditur.

§. LXXIII. Primaria, uti diximus, causa, propter quam Imaginum usum defendimus, est christiana libertas: accedunt causæ secundariæ complures, utpote quod in templis utilitatem habere possint non contemnendam: 1) in commonefaciendo, 2) in ciendo adfectu, 3) in exornando, &c. ut late ostendit Schröderus tractatu de imaginibus q. I. thesi 86. & seqq. Gregorius Nyssenus in Cant. *Vidi non infrequenter passionis historiam, nec sine lachrymis ejusmodi scripturam transii.* Gregorius, cognomine *magnus*, lib. IX. epist. 9. ad Serenum: *Quod sanctorum imagines adorari vetuisti, omnino laudamus, fregisse vero reprehendimus. Dic frater, a quo factum esse sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? aliud enim est picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, discere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura, quia in ipsa ignorantes vident, quid sequi debeant: in ipsa legunt, qui literas nesciunt.* Cyrillus Alexandrinus, lib. VI. contra Julianum, recitatis beneficiis a Christo in cruce nobis exhibitis, subjungit: *Hæc omnia recordari nos facit salutare lignum, & suadet, ut cogitemus, quod, sicut unus pro omnibus mortuus est & resurrexit, ita viventes non ultra sibi ipsis vivant.* Basilius *magnus* homil. in sanctos quadraginta martyres: *In ecclesia ad spectandum me alliciunt flores, contemplor fortitudinem martyris, coronarum præmia considero, & tanquam igne incendor æmulandi cupiditate.* Scholastici dicunt, imagines haberi ad institutionem rudium, ad commonefaciendam memoriam, ad excitandam meditationem ac devotionem. Unde a primitiva ecclesia libere sunt usurpatæ, non in privatis tantum ædibus, sed etiam in templis, qua de re itidem prolixe tractat Schröderus thesi LXXVII. & seqq. Augustinus lib. I. de consens. evangelist. cap. X. *Imagines Christi inter Petrum & Paulum depicti passim inveniri* commemorat. Idem refert Eusebius lib. VII. hist. cap. 14. Tertullianus lib. de pudicit. meminit *picturæ Christi in calicibus eucharisticis cum ove perdita & revecta ab eo in humeris.* De imagine Meletii dicit Chrysostomus orat. in Melet. *quod in annulis, in poculis, in parietibus, & ubique eam pinxerint.* De imagine crucis omnes veteres loquuntur. Refert supplementum Naucleri, quod templum Sophiæ Constantinopolitanum sub christianis imperatoribus picturis totius historiæ passionis dominicæ fuerit exornatum, illud cum anno 1509. Turcæ in templum Muhamedicum converterent, picturas illas omnes injecto cæmento oblinierant, sed in magno quodam terræ motu cæmentum illud omne dejectum, ita quidem, ut passionis historia iterum clarissime adpareret. (Pontificii tamen usum imaginum longius extendunt, *laicorum libros eas constituendo.* Guilielmus Peraldus (*), natione Gallus, ordinis præ-

(*) De GVIL. PERALDO vid. POSSEVINVM, in *adparatu sacro, tom. I. p. 710.* LVD. ELL. DV PIN, *dans la nouvelle bibliotheque des Autheurs ecclesiastiques, tom. X, p. 77.* edit. Paris. & FABRICIVM,

prædicatorum; seculo XIII. clarus, in libro, quem *summam virtutum & vitiorum* vocat, tom. I. cap. 3. *Ut scripturæ literæ sunt clericorum, sic picturæ & sculpturæ sunt laicorum.* Lælius Zecchius (**) in volumine casuum conscientiæ tom. II. cap. 90. art. 18. p. 609. *Picturas poni in ecclesiis utile est, ad caritatem erga Deum & sanctos fovendam & augendam, ad fidem conservandam, cum imagines habeantur pro libris his, qui literas ignorant, ex quibus ducuntur in cognitionem, memoriam & imitationem divinorum.* Feuardentius (***), Franciscanus, in lib. homiliarum pag. 16. *Ex imaginum contemplatione simplices ac idiotæ illa divina miracula & opera facile & breviter discunt, quæ ex sacris libris aut vix aut nunquam percipere valent.*)

Imagines coli prohibitum.

§. LXXIV. Hactenus ostendimus, adpendicem illam primi præcepti *de non faciendis sculptilibus* nequaquam omnem imaginum usum præsertim in nov. testam. simpliciter abrogare, sed certam quandam idololatriæ speciem, quæ per imagines committitur, prohibere. Habere igitur imagines licet, sed easdem colere non licet, diserte enim prohibentur sculptilia adorari ac coli; Exod. XX. 4. ubi non agitur de *civili* aliquo cultu, de externa quadam honorificentia, quali templa ac vasa seu utensilia ejus ἐυσχημόνως haberi seu tractari solent; sed de cultu *religioso*, qui ad primam decalogi tabulam pertinet, atque exercetur adorando, venerando, salutando, sacrificando. &c. Chemnitius in exam. conc. Trid. p. 4. cap. de imag. erudite ostendit, cultum simulacrorum voce legis divinæ ita prohiberi, ut nullus elusioni aut exceptioni pateat locus: 1) numeratur sculptile & fusile, statua posita, erectus lapis; & generali vocabulo תְּמוּנָה similitudo seu imago, exprimens & repræsentans qualicunque effigie speciem aliquam, quocunque modo & ex quacunque materia factam. 2) Res, quarum similitudo seu imago ad cultum proponi & usurpari prohibetur, ita numerantur, ut iterum nullus exceptioni pateat locus: dicit enim: *eorum, quæ vel in cælis supra, vel in terra deorsum, vel quæ sub aquis, vel quæ sub terra sunt.* In *cælo* sunt Deus, angeli, spiritus beatorum: *sub terra* dæmones, *in terra* animalia & homines, *sub aquis* pisces, &c. 3) Duobus vocabulis prohibetur omne genus cultuum religiosorum: *non adorabis nec coles ea*, quorum altero, quod incurvationem significat, omnes externi gestus & ritus cultuum, altero interiores adfectiones & devotiones cultuum exprimuntur. 4) Scriptura addit hanc explicationem, quod adpelletur cultus deorum alienorum, si vel maxime cultus illi imaginum ad prototypum, sive ad res per imagines significatas, sive ad Deum ipsum referantur. Utinam vero contra manifestum Dei interdictum religiosus iste imaginum cultus in ecclesiam non fuisset receptus, nec adhuc in ea toleraretur! sed videmus, idem hac in parte contigisse, quod agricolis evenire solet, (qua similitudine utitur Basilius ep. XLI.) *Quando illi incurvum tenellæ arboris ramum corrigere student, nimia attractione in alteram partem peccant*; ita quoque superioribus seculis disputationes contra iconoclastas abierunt tandem in εἰκονολατρείαν.

CIVM, in *biblioth. med. & infimæ latinit. vol. III. p. 475.* Ejus *summa virtutum ac vitiorum* passim laudatur a scriptoribus ecclesiasticis, speciatim JO. GERSONIO, cancellario Parisiensi seculo XV. claro.

(**) LÆLIVS ZECCHIVS sive DE ZANCHIS, canonicus quondam Brixiensis, inter alia edidit *summam moralis theologiæ & casuum conscientiæ*, quæ Brix. *MDXCIX.* in 4. prodiit, atque Venetiis *MDCXIII.* fuit recusa. Vid. de eo GHILINI *theatro d' Uomini letterati.*

(***) De FRANC. FEVARDENTIO, scriptore Gallo haud incelebri, vid. præter DV PINIVM, quem modo laudavimus, PETR. BÆLIVM in *dict. hist. & crit. tom. II. p. m. 408. seqq.*

Propugnatores cultus imaginum.

§. LXXV. Anno 788. (aliis anno 787.) cum Irene imperatrix juxta consilia legatorum Romani pontificis eos, qui cultum imaginum superiori anno in synodo Constantinopolitana oppugnaverant, in exilium expulisset, seque exercitu muniisset, indixit synodum Niceæ, ad quam circiter 350. episcopi, abbates & monachi convenerant, referente *Paulo diacono* lib. XXIII. rer. Romanarum, ac *Sigeberto* in chron. in qua recitatæ sunt literæ Adriani pontificis ad Tarasium patriarcham Constantinopolitanum, quibus eum hortatur, ut deinceps etiam venerandas imagines primum juxta humanam figurationem Christi Dei & nostri, secundum nos & pro nobis & per nos incarnati, deinde inviolatæ & veræ deiparæ, postremo omnium sanctorum suorum colere & adorare pergat; hanc Adriani sententiam sese probare, omnes istius concilii patres testati sunt. Hanc synodum Nicenam II. Græci vocant œcumenicam VII. sed paulo post, anno scilicet 794. Carolus magnus synodum Francofurtanam propter hæresin Felicis (quod Christus sit Filius Dei adoptivus secundum humanam naturam) convocavit, in ea pontifex Adrianus petiit confirmari acta synodi Nicenæ, quod patres istius (Francofurtanæ) synodi absque legitimo examine facere recusarunt. Inflituta igitur disquisitione & facta collatione decretorum utriusque synodi tum illius, quæ sub Constantino Copronymo prorsus damnaverat ac rejecerat imagines, quasi nec pingere nec habere eas liceret: tum hujus, quæ sub Irene imperatrice non modo habendas, sed etiam adorandas & colendas adseveraverat, mediam sententiam amplectuntur, ac statuunt, quod imagines habere in templis & privatis locis per se non sit impium vel illicitum, sed eas adorare & venerari sit a fide christiana alienum, & cum superstitione gentilium congruat. (*) Reprobant igitur Adriani pontificis, & Græcorum de cultu imaginum decreta. In hac synodo convenerunt episcopi, sacerdotes, abbates & monachi ex Gallia, Italia & Germania. Aventinus lib. IV.. annal. Regino lib. II. Blondus lib. I. decadis 2. Sed hæc moderatio pontificibus Romanis non probatur, ideo in synodo Tridentina confirmant acta secundæ Nicenæ synodi, & tale decretum faciunt: *Mandat sacrosancta synodus, imagines Christi, deiparæ virginis, & aliorum sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas esse, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentilibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita, ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id quod conciliorum, præsertim vero secundæ Nicenæ synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.*

§. LXXVI.

(*) Eandem sententiam, quæ in synodo Francofurtana fuit stabilita, deprehendimus quoque in libris Carolinis *de imaginibus*, paullo ante synodum istam compositis. Scripti ii sunt vel ab ipso CAROLO M. vel saltim (quod quidem probabilius) ejus jussu atque auctoritate, ab ALCVINO, ejus quondam magistro, vel alio quopiam seculi octavi viro erudito. Prima horum librorum editio Parisiis MDXLIX. lucem adspexit publicam, editore ELI PHILI, uti habet inscriptio præfationis hisce libris præmissæ, sub quibus vero vocibus latet JO. TILIVS, episcopus quondam Meldensis. Vid. JO. MABILLONIVM *annal. benedict. tom. II. libr XXVI.* §. *XXX. p. 312.* Recusi postea sunt libri isti Carolini Coloniæ *MDLV.* itemque a GOLDASTO in *constitut. imp. tom. I. p. 23. seqq.* ac denique, cum rariora evaderent horum librorum exempla, a CHRISTOPH. AVG. HEVMANNO, qui eruditam novæ huic editioni præfationem præmisit. Prodiit ea Hannov. *MDCCXXXI.* in 8. Auctoritatem horum librorum contra nonnullos ecclesiæ Romanæ scriptores vindicavit JO. DALLÆVS *libr. IV. de imaginibus cap. III. p. 380. seqq.* ostenditque, eos aut ab ipso CAROLO, aut certe ejus jussu scriptos esse. Conferri quoque heic meretur GVIL. FORBESIVS, *instruct. hist. theolog. libr. VII. cap. XI p. m. 356. seqq.* & FRID. SPANHEMIVS, in *hist. imag. restituta sect. VII.* Nec desunt ex cœtus Romani doctoribus, qui, veritatis vi adacti, libros hosce ad CAROLVM M. vel tandem referunt.

Argumenta contra religiosum cultum imaginum.

§. LXXVI. Utimur contra Pontificios hoc argumento: omnis idololatria pugnat cum primo præcepto. Cultus religiosus imaginum in ecclesiis pontificiis est idololatria. Ergo cultus religiosus imaginum in ecclesiis pontificiis pugnat cum primo præcepto. *Majoris* veritas comprobata est superius. *Minorem* adversarii præfracte negant, atque omnem idololatriæ suspicionem a se amoliri conantur. Pistorius in hodeg. p. 292. (*catholica Romana) ecclesia nunquam ex imaginibus fecit idolu, aut ullam eis divinitatem tribuit, imo vero ab idololatria potius filios suos magna solicitudine retraxit.* Nimirum hoc vult, quod Bellarminus lib. II. de imag. sanct. c. 5. inter imaginem ac idolum distinguendum esse monet hoc modo: *Imago dicitur vera rei similitudo, ut cum pingimus hominem, equum, &c. Idolum autem falsa similitudo, quæ repræsentat id, quod revera non est, ut cum gentiles proponebant statuas Veneris aut Minervæ, quæ signa idola erant, quia repræsentabant deos generis fœminini, quales dii nec sint nec esse possint, ideoque nec vere repræsentabant, sed erant falsæ imagines, siquidem id, quod non est, repræsentari non potest.* Ex quo colligit, imagines Christi & sanctorum non esse idola, ac proinde per cultum istarum imaginum non committi idololatriam. Quid huic distinctioni tribuendum sit, postea exponemus, ubi argumentum nostrum prius confirmavimus.

An per cultum imaginum committatur idololatria.

§. LXXVII. *Minorem* igitur syllogismi nostri confirmamus 1) ex disputationibus Pontificiorum de imaginum cultu: 2) ex ipsa praxi in ecclesiis ipsorum usitata. Concilium Tridentinum statuit, imagines Christi, b. Mariæ & sanctorum in templis habendas ac retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, sed cum non exprimatur, quis ille sit honor, quæve veneratio imaginibus debita; (quod enim additur, *per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, nos ipsum Christum adorare & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, nos venerari*, id adhuc ambiguum est) ideo quærenda est latior declaratio hujus cultus 1) ex actis synodi Nicenæ: 2) ex scholasticis: 3) ex Pontificiorum scriptis. Ad decreta secundæ Nicenæ synodi patres Tridentini provocant, ejusque sententiæ se stare profitentur, utique ergo recte fit, quod, de cultu imaginum quid statuant, ex actis istius synodi cognoscamus. Dicunt, imagines esse venerandas & adorandas, sed addunt, id non intelligi debere de cultu latriæ, sed de honoraria quadam adoratione, quomodo vero eam explicant? Theodosius actione I. inquit: *Saluto & veneror Mariæ imaginem, cujus etiam auxilium, protectionem & intercessionem nocte dieque, ut peccatori mihi subveniat, invoco, ut quæ eam potestatem habet a Christo. Sanctorum etiam imagines veneror, non ut deos, sed mentis meæ adfectum & desiderium, quo in illos adfectus sum, hoc modo indicans, ex toto animo omnes obtestor, ut ad Deum pro me intercedant &c.* act. II. citatur hæc Basilii sententia supposititia: *Deiparam virginem, sanctos, prophetas, apostolos & martyres suscipio, qui pro me apud Deum supplicant, quo per istorum mediationem propitius mihi fit Deus, & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur, quam ob causam & historias imaginum illarum honoro, & palam adoro.* Docet igitur synodus, imagines propter hanc causam adorandas, ut per sanctorum, quorum sunt imagines, mediationem, Deus nobis sit propitius, & peccatorum remissionem condonet: recitantur etiam in actis istius synodi varia miracula, quomodo pictæ imagines sint locutæ, morbos sanaverint, sui contemtum vindicaverint, candelas inextinctas servaverint, &c. Adriani epistola dicit: *Israëlitæ per inspectionem ænei serpentis a peste servati sunt, nos vero Christi & sanctorum imagines contemplantes & venerantes absit ut dubitemus nos servari.* Commendatur in eadem sententia Tarasii, patriarchæ Constantinopolitani, & jubetur, ut deinceps etiam venerandas imagines Christi deiparæ virginis & sanctorum colere ac adorare pergat. Videantur acta hujus synodi in tomis conciliorum prolixe descripta,

pta, ut adpareat, quales opiniones & quem cultum imaginum Tridentina synodus stabilire, & ecclesiæ Dei obtrudere conetur, quando ad septimam synodum se refert.

§. LXXVIII. Scholasticorum disputationes de cultu imaginum variæ sunt. Robertus Holkotus (*) in lib. Sap. lect. LIII. fatetur, *magnam cum idololatria adfinitatem habere, quod homines coram idolis prosternuntur, ideoque cavendum monet, ne doceantur homines coram lapidibus & lignis Deum adorare.* Durandus in sent. dist. 9. q. 2. & Biel in canonem Missæ lect. XLIX. aperte negant, *imagines adorandas esse adoratione latriæ, sive considerentur in se, secundum quod sunt lignum, lapis aut metallum, sive secundum rationem signi & imaginis.* Sed hæc moderatio ab aliis improbatur. Thomas p. III. p. 25. artic. 3. Alexander Alensis p. III. q. 3. membr. artic. 3. Bonaventura III. sentent. dist. 9. art. 1. q. 2. Albertus Richardus, Capreolus, Marsilius, Almainus aliique complures eadem dist. statuunt, *eundem honorem deberi imagini & exemplari, ac proinde imagines S. Trinitatis, Christi & crucis cultu latriæ adorandas esse.* Thomas utitur hoc argumento: *Illi exhibemus cultum latriæ, in quo ponimus spem salutis, sed in cruce Christi ponimus spem salutis. Cantat enim ecclesia:*

O crux, spes unica ave,
Hoc passionis tempore,
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam.

Ergo crux Christi adoranda est adoratione latriæ. Item philosophus dicit, quod idem sit motus in imaginem & in rem, cujus est imago. Item mensura adorationis unius cujusque rei est ratio sive excellentia, propter quam adoratur, sed ratio, cur adoretur imago, non est alia, quam excellentia exemplaris. Ergo idem omnino honor debetur imagini, qui debetur exemplari. Bonaventura ait: *Quia imago Christi introducta est ad repræsentandum eum, qui pro nobis crucifixus est, nec offert se nobis pro se, sed pro illo, ideo omnis reverentia, quæ ei offertur, Christo offertur, & propterea imagini Christi debet cultus latriæ exhiberi.* Imagini Mariæ dicunt deberi *cultum hyperduliæ*, sanctorum aliorum *cultum duliæ*. Heinricus quodlibet. X. q. 6. idem statuit cum reliquis, sed addit, nullam imaginem esse adorandam *cultu latriæ*, cum imago Christi non sit ipsius imago ut Deus, sed ut homo est.

§. LXXIX. Quid hac de re scriptores pontificii recentiores statuant, inquirendum restat. Cajetanus in Thomam p. III. q. 25. art. 3. amplexatur & defendit eandem sententiam, quod imagini & exemplari idem honor debeatur. Catharinus in lib. de imaginibus. *Verum de ipsarum imaginum cultu ac veneratione, etiam inter Catholicos disputatio est, utrum præter utilitates prædictas & solatia spiritualia, quæ de imaginibus capiuntur, etiam ad hoc sculpantur vel pingantur imagines, ut ipsæ adorentur, & aliquis eis cultus reddatur. Sunt enim, qui hoc omnino negent & clament, esse idololatricam. Videntur autem non futilibus argumentis moveri, nec absque majorum imo & scripturarum auctoritate.* Azorius lib. IX. instit. cap. 6. art. 3 & 6. *Constans est theologorum sententia, imaginem eodem honore & cultu honorari & coli, quo colitur id, cujus est imago, atque hæc sententia non tantum unius Thomæ, sed communi est theologorum consensu recepta*; ad cujus sententiæ probationem adducit concilium Tridentinum, cujus vocem Bellarminus lib I. de just. cap. 12. dicit *esse vocem ecclesiæ catholicæ, quam omnes Catholici ut magistram sequantur.* Gregorius de Valent. tom. III. disput. 6. q. 11. punct. 6. *Verissimum est*, (ait) *quod adfirmari solet, eodem*

(*) ROB. HOLKOTVS, gente Anglus, ordinis Dominicani monachus, seculo XIV. clarus, doctrinam sanctiorem in academia Oxoniensi olim docuit, ac præter alia ingenii sui monimenta, *lectiones CCXIII. in librum sapientiæ Salomonis* reliquit, ex quibus locum supra adductum desumsit GERHARDVS. Variæ hujus libri prostant editiones, ex quibus ultima Coloniæ *MDCLXXXIX.* lucem adspexit publicam. Vid. HENRIC. WAHRTONVM, in *adpend. ad hist. litterar.* GVIL. CAVEI, *p. 40.* edit. Lond. recentiss. & JAC. QVETIF de *scriptor. Dominic. tom. I. p. 621.*

dem officii atque honoris genere, eodem animi motu, hoc est, eadem voluntate excitandi opinionem excellentem, honorari prototypum ipsum, ejusque imaginem. Nam imaginem honorare est coram ipsa tanquam prototypi secundum repræsentationem vicaria, velle de prototypo commovere excellentem opinionem. Itaque idem venerationis motus ad utrumque spectat, sed tamen diversa ratione. Nam ad prototypum pertinet, ut illi secundum se existimationem conciliet: ad imaginem autem, ut coram ipsa & in ipsa, tanquam in vicaria existimatio ejusmodi concilietur prototypo, perinde ac si esset illud præsens, sicut imago ipsa, &c. Neve quis inde colligat, prototypum eo modo tantum honorari, non autem imaginem, subjungit: *Dicet forte aliquis, si venerari imaginem, est prototypum ipsum venerari: igitur honor nequaquam imagini exhibetur; nec vere dicitur ipsa honorari, sed prototypum tantummodo coram illa. Resp. minime inde sequi, quod non etiam honoretur vere ipsa imago, (nam ipsa quoque eo ipso verissime honoratur suo modo, scilicet relative) sed solum inde sequitur, quod ante docuimus, videlicet non eadem ratione nos honorare imaginem, quam ipsum prototypum, in quo uno animum figimus, cujus præstantiam ac dignitatem veneratione protestamur: at honoratur vere imago nihilominus suo modo, eo videlicet, quo honorari censentur eæ res, quæ non nisi propter aliud honorantur.* Id postea declarat exemplo legati regii, qui regis loco honoratur & concludit: *Quapropter non solum hæretici errant, qui venerationem imaginum insectantur, sed etiam illi minus circumspecte loquuntur, qui etsi probent ecclesiæ usum in venerandis imaginibus, tamen negant, ipsas proprie honorari.* Idem: *Eodem prototypi honore honorari debent imagines, modo illo suo, quo honorari debent, videlicet quatenus sunt imagines, & consequenter imagines Christi coli debent latria.* Ubi etiam provocat ad fundamentum Thomæ, quod unus & idem motus sit in imaginem & in rem, cujus est imago. Idem Greg. de Valentia tom. IV. disp. I. q. 24. punct. 2. p. 467. *Sic quidem sunt venerandæ imagines, ut ipsæ quoque proprie suo quodam modo sint terminus venerationis, licet non per se, quatenus tali materia & figura contineantur, sed per aliud, scilicet ratione prototypi. Hoc autem modo eodem honore, quo prototypus, imagines sunt honorandæ, atque adeo hominis Christi imagines latria sunt venerandæ, per aliud.* Costerus in enchirid. pag. 438 & 439. *Non alius in imagine honoratur, quam ipsum prototypum, ex quo non obscure consequitur, omnem honorem, qui prototypo debetur, etiam exhiberi posse imagini.* Hoc Costeri enchiridion adprobatum a Colonienſibus, Trevirenſibus & Moguntinenſibus Jesuitis (*).

§. LXXX. Quidam videri volunt modestiores. *Alphonsus de Castro* in verbo *imago*, sequitur Durandum, quod imago non sit ullo modo in se colenda, sed tantum exemplar coram imagine. *Martinus Peresius* in libro de traditionibus tract. de imag. *Catharinus* in tract. de imag. *Sanderus* lib. II. de imag. cap. ult. statuunt, ipsas imagines in se & proprie honorari debere, sed honore minori, quam ipsum exemplar, & proinde nullam imaginem adorandam esse cultu latriæ. *Bellarminus* lib. II. de imag. sanctorum, cap. 21. & seqq. format aliquot propo-

(*) Quanto cum adplausu FRANCISCI COSTERI, societatis Jesu theologi, *enchiridion controversiarum* in ecclesia romana fuerit exceptum, testantur non non tantum repetitæ ejusdem editiones, sed & versiones in linguam belgicam, germanicam, gallicam, italicam. Confutarunt vero huncce librum ex cœtus Reformati doctoribus FRANCISCUS GOMARUS, ex nostris autem theologis PHIL. MARBACHIUS, LUC. OSIANDER, ALBERT. GRAVERUS, ac JO. MATTH. MEYFARTHUS. Cæterum scriptoribus ecclesiæ romanæ de *cultu imaginum*, ex recentioribus jungi meretur JO CHRISTOPH. HUNOLDUS, in *pietate ecclesiæ christianæ romano-catholicæ erga angelos aliosque beatos, nec non venerandas eorum imagines*, Erfurt. *MDCCXLIX.* quem vero depexum dedit JO. HENR. BOHNIUS, qui ibidem eodem anno librum edidit hac inscriptione insignitum: *veritas & innocentia ecclesiæ evangelicæ ejusque doctrinæ, præsertim de cultu beatorum & imaginum adserta & vindicata, 4.*

positiones, quibus suam de imaginum cultu sententiam exponit, quarum summa est, cultum istum, qui per se & proprie debetur imaginibus, esse cultum quendam imperfectum, qui *analogice & reductive* pertineat ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari, qua de re paulo post plenius disseremus.

Praxis papatus in colendis imaginibus.

§. LXXXI. Intueamur praxin, qualis honor, quisve cultus in ecclesiis pontificiis imaginibus exhibeatur, quam Schröderus quæst. II. de imagin. thes. 115. & seqq. ad hæc capita revocat. Pontificii honorant imagines suas 1) *Dedicando.* In Pontificali habentur certæ & præscriptæ benedictionum formulæ, quibus imagines consecrantur. Lignum crucis his verbis benedicitur: *Rogamus te sempiterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum crucis, ut omnibus, hic genu flectentibus & majestati tuæ supplicantibus, cordis compunctio & admissorum concedatur remissio.* Item: *Sanctificetur illud lignum crucis, ut orantes inclinantesque se propter Deum ante istam crucem inveniant corporis & animæ sanitatem.* Item: *Digneris benedicere hoc lignum Crucis, ut sit remedium salutare generi humano, sit solidior fidei bonorumque operum profectus & redemtio animarum, tutela contra sæva jacula inimicorum.* Imago b. Mariæ consecratur his verbis: *Sanctifica Deus hanc formulam b. virginis, ut tuis fidelibus salutaris auxilii opem ferat, tonitrua aut fulmina, si invaluerint nocentia, celerius expellantur, pluviarum quoque inundatio aut civilium bellorum commotio, seu paganorum devastatio ad præsentiam ejus comprimantur.* In benedictione imaginis Johannis: *Sit hæc imago dæmonum sancta expulsio, angelorum advocatio, fidelium protectio, ejusque in hoc loco potenter vigeat intercessio.* 2) *Nomen prototypi illis imponendo.* Sacrar. cerem. eccles. Rom. lib. I. tit. 7. in consecratione cereæ imagunculæ, quam vocant agnum Dei, orant, *ut isti agni immaculati eandem virtutem accipiant, contra omnes diabolicas versutias & fraudes maligni spiritus, qua agnus innocens Filius ejus Jesus Christus in ara crucis immolatus protoplastum nostrum de diabolica potestate eripuit.* Urbanus V. pontifex quinque ejusmodi imagunculas dono misit imperatori orientali, additis his versiculis:

Balsamus & cera munda cum chrismatis unda,
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum.
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit & omne malignum,
Peccatum frangit ut Christi sanguis, & angit.
Prægnans servatur simul & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus munde de fluctibus eruit unde.

Ubi non solum nomen prototypi Christi, sed etiam beneficia ejus imagunculæ tribuuntur, & quidem imagini imaginis, ut ita loquar, cum tales cereæ figuræ non sint imago ipsius Christi, sed agni, in cujus imagine Christus depingitur. 3) *Singularem numinis præsentiam illis adfingendo.* Negant quidem Tridentini patres credendum, aliquam in imaginibus divinitatem esse, interim tamen adprobant peregrinationes ad imaginem quandam, quandoque satis longinquas, adprobant vota de peregrinationibus ad certas sanctorum statuas suscipiendis, adprobant indulgentias datas precantibus coram imagine crucis vel Mariæ. Bellarminus lib. II. de imagin. c. 18. dicit, *Unam imaginem magis frequentari, quam aliam, propter varias causas, primo, quia Deus per unam operatur miracula, & non per aliam, secundo quia quædam imagines factæ sunt a sanctis viris, quæ peculiarem merentur devotionem propter artificem, tertio quia aliquæ magis excitant ad pietatem.* Polydorus Vergilius lib. VI. de rer. invent. cap. 13. *Bene multi sunt rudiores stupidioresque, qui saxeas, vel ligneas, marmoreas, æneas seu in parietibus pictas variisque coloribus litas imagines colant, non ut figuras, sed perinde quasi ipsæ sensum aliquem habeant, & iis magis fidant, quam Christo vel aliis diis, quibus dicatæ sint.* 4) *Certorum beneficiorum largitiones ab ipsis exspectando. Certa experientia novimus,* ait Gregorius de Valent. disp. VI. q. 11. punct. 6. *singulariter, quibusdam in locis, quasdam imagines venerantibus solitum esse Deum præclara impertiri beneficia.* Sylvius lib. II. comm.

In

In ecclesia S. Mariæ Prunetanæ agri Florentini est imago virginis, quam mira religione venerantur populi, tanquam pluviæ serenitatisque donatricem, cum necessitas ingruit. Lucius Marinæus Siculus Caroli V. historicus lib. V. de reb. Hispanicis: *In urbe Burgensi adoravimus salvatoris imaginem crucifixam, quæ a Nicodemo facta perhibetur, cujus invocato nomine multos infirmos convaluisse nobis affirmarunt.* 5) *Sertis & coronis ornando.* 6) *Vestimentis induendo.* 7) *Circumgestando pro avertenda lue pestifera, pro avertendis frugum incommodis.* Vide Bonfinius lib. V. rer. Hungar. decad. 1. Baronius in martyr. Roman. Sleidanus lib. IX. hist. p. 250. 8) *In loco sublimi constituendo.* 9) *Altaria eis erigendo.* 10) *Templa & delubra exstruendo.* 11) *Sacrificulos præficiendo.* 12) *Ferias sacras instituendo.* 13) *Cantando.* 14) *Epulando.* 15) *Osculando.* 16) *Supplicando.* 17) *Alloquendo.* 18) *Obsecrando.* Sic referente Thoma p. III. q. 25. art. 3. canit ecclesia de ligno crucis:

O crux, spes unica, ave,
Hoc passionis tempore,
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam.
Salve sancta facies impressa pannicula.
Nos ab omni macula purga vitiorum,
Atque nos consortio junge beatorum.
Nos perduc ad patriam, o felix figura!
Ad videndum faciem, quæ est Christi pura.
Esto nobis, quæsumus, tutum adjuvamen
Dulce refrigerium atque consolamen,
Ut nobis non noceat hostile gravamen,
Sed fruamur requie, omnes dicant: Amen!

19) *Sacrificando.* Nam & thus adolent nonnullis imaginibus, ut adparet ex praxi & missali Romano sub tit. de ritu serv. in celeb. missæ. 20) *Cereos accendendo.* 21) *Vovendo.* 22) *Jurando*, quæ omnia ex praxi sunt notissima.

An per cultum imaginum committatur idololatria.

§. LXXXII. Ex his omnibus tale deducimus argumentum. Omnis cultus, quo honor soli Deo debitus transfertur ad id, quod est extra Deum, est idololatria. Per cultum imaginum in templis pontificiis honor soli Deo debitus transfertur ad id, quod est extra Deum. Ergo per cultum imaginum in templis pontificiis committitur idololatria. Excipit Bellarminus Lib. II. de imagin. cap. XIII. *Illum cultum imaginum esse idolatricum, quando imagines habentur pro Diis, vel quando per imagines coluntur tanquam dii illi, qui vere non sunt. Aliam idololatriæ speciem in dictis illis scripturæ* Exod. XX. Deuter. V. Rom. I. &c. *non prohiberi.* cap. V. distinguit inter *imaginem* & *idolum*: illam definit, quod sit *vera rei similitudo;* hoc vero, quod sit *falsa similitudo*, hoc est, quod repræsentet id, quod revera non est, ex quo colligit, *imagines Christi & sanctorum non esse idola, & per consequens per cultum earum non committi idololatriam.* Gregorius de Valent. disputat. VI. q. 2. de idololatr. punct. 1. idololatriam definit, *quod sit cultus, quo honor divinus tribuitur alicui creaturæ sicut Deo*, hanc definitionem exponit puncto 3. *Eum divinos honores creaturæ conferre, ut Deo, qui eam divino cultu sic prosequitur, ut eo, quantum in se est, velit illi opinionem conciliare talem, qualis revera in solam Dei majestatem competit.* Ex quo colligit puncto 6. *Catholicos* (Romanenses) *idololatras non esse, cum sic honorent imagines, ut minime tamen creaturæ adhibeant divinum honorem sicut Deo, cum venerentur tum Christi tum sanctorum imagines, & in cultu imaginum Christi, atque adeo etiam crucis, honorem quidem usurpent divinum, sed non deferant illum ipsis imaginibus, sicut Deo ac Domino nostro.* Pistorius in hodeg. p. 303. *Prima falsitas est, quod pontificii adorent ligna & lapides, & ex iis faciant idola, cum ecclesia catholica* (Romana) *nunquam ex imaginibus fecerit idola, aut ullam eis divinitatem attribuerit* pag. 292.

mittatur idololatria.

§. LXXXIII. Sane est quædam idololatriæ species, atque ea quidem satis crassa, qua simulacra, manu hominum facta, pro diis habentur, & divinis honoribus ut dii coluntur, sed ex eo nondum deduci potest, nullam præter hanc idololatriæ speciem primo præcepto prohiberi

hiberi ac damnari. Jubemur in primo præcepto unum verum Deum venerari & colere, ipsi soli divinos honores ac religiosum cultum deferre, juxta præscriptum verbi ipsi servire; contra vero, alienos deos non habere, sculptilia non adorare nec colere, ex quo manifeste colligitur, etiam hanc esse idololatriæ speciem, si honor & cultus Deo debitus transfertur ad id, quod est extra Deum, si verus Deus colitur non divine, hoc est, non eo modo, quo se in verbo coli præcepit. Quemadmodum enim in vera invocatione utrumque conjungendum, tum *objectum*, nempe verus Deus, unus in essentia, trinus in personis: tum *ratio* & modus invocandi, secundum scilicet præscriptum verbi, nempe vera fide in Christum, in Spiritu & veritate; alias audire cogimur, *Vos adoratis quod nescitis*: Joh. IV. 22. ita quoque e contrario sensu colligitur, quod idololatria committatur tum in *objecto*, tum in *modo* cultus, ac proinde non illos solum idololatras esse, qui statuas & ligna habent pro veris diis, sed etiam qui verum Deum colere volunt in statuis, ac per statuas, qui juxta adinventiones cordis sui, non autem juxta præscriptum verbi, Deum colunt, ut erudite scribit D. Mentzerus disp. VII. anti Pistor. th. XXXVI.

§. LXXXIV. Cuicunque igitur rei divinus honor defertur, cum tamen non sit verus Deus, illa res sit idolum, sive sit naturalis, sive artificialis, ac proinde tali religioso cultu istius rei, quæ non est verus Deus, committitur idololatria. Ex quo intelligitur, quam nugatoria sit distinctio illa Bellarminiana inter imaginem & idolum, quasi imago sit similitudo rei vera: idolum vero falsa. Nam I) hac ratione sol, luna & stellæ si adorarentur, non essent idola (cum non sint falsa alicujus rei similitudo) & per consequens qui militiam illam cœli adorarent, non essent idololatræ. Atqui Israëlitæ suffitu & libaminibus reginam cœli honorantes dicuntur (in vulgata versione) *sacrificasse idolis* Jer. XLIV. 23. Similitudines illæ reptilium & animalium, quas colebant Israëlitæ, dicuntur *idola*: Ezech. VIII. 10. & in genere ex primo præcepto damnatur idololatriæ nomine, quando *homines oculos tollunt in cælum, & vident solem, & lunam & stellas, omnem militiam cœli, & incurvant se illis, coluntque ea.* Deut. IV. 19. quo respiciens Epiphanius in compendio veræ doctrinæ, de Persicis magis recte scribit, quod *idola quidem abominentur*, (simulacra manu hominum facta) *idola tamen adorent, ignem, lunam & solem.* Vicissim pater mœrens acerbo filii præmature erepti luctu, effecta imagine jam ante, mortuum nunc ut Deum colere incipiens, idololatra non esset, cum talis imago sit vera similitudo, at contrarium pronunciatur Sap. XIV. 15. II) Hac ratione imagines historicæ, quæ prototypum exacte non exprimunt, statim forent idola. At quotusquisque pictorum eadem figura apostolos depingit, quam in vivis habuerunt, hi ergo omnes forent εἰδωλοποιοί: quinimo pingitur imago magni illius Christophori, qui tamen nunquam vixit, hæc certe ex definitione Bellarmini foret idolum, si vel maxime tantum commonefactionis ergo in templis depingeretur. III) Quot vero in ipsis Pontificiorum templis idola forent juxta hanc Bellarmini definitionem? Georgius eques conculcans draconem, Moses cornutus, aliæque imagines complures non sunt veræ similitudines, neque enim unquam talis quidam Georgius draconem conculcans, vel cornutus Moses exstitit. IV) Ubicunque idololatria, ibi etiam idolum ex natura relatorum. Atqui Ælius Lampridius imagines Christi & Abrahæ una cum reliquis idolis colens erat idololatra juxta Bellarminum lib. II. de imag. c. 11. & in genere ex ipsius sententia idololatra est, qui imaginibus Christi defert cultum latriæ propter se, lib. II. de imag. cap. XXIV. Ergo imagines Christi sunt aliquando idola. Et qua veritatis specie negari potest, eum vere committere idololatriam, etiam juxta Pontificios, qui imaginem Petri cultu λατρείας honoraret, si vel maxime imago illa esset vera Petri similitudo. V) Voces *idoli*, *imaginis* & *simulacri* sæpissime indifferenter usurpantur non tantum apud profanos auctores, sed etiam in scriptura sacra & apud ecclesiasti-

De discrimine inter imaginem & idolum.

siasticos scriptores, quin imo apud ipsos Pontificios. 2 Reg. XI. 18. populus sub Jojada confringit omnes imagines Baal. Vide etiam Es. XLIV. 13. Ezech. VII. 20. XVI. 17. XXIII. 14. Am. V. 26. Tertullianum in apol. c. XII. Cyprianum ad Demet. Athanasium contra gentes, Chrysostomum tom. I. hom. 87. &c. qui idola gentilium vocant imagines, Cajetanus, Fonseca, Pererius, Onuphrius, Peresius, Valentianus, adeoque ipse Bellarminus discrimen illud non ubique observant. Valentianus lib. III. de idolol. cap. 8. §. Quod autem. *Idolum græce imaginem sive simulacrum significat.* Ibid. *Innuit b. Petrus aliquem esse licitum simulacrorum & idolorum cultum.* Bellarminus lib. II. de imag. cap. 7. *Sine dubio non prohibetur in decalogo omnis imago, sed solum illa, quæ dici potest idolum, id est, imago, quæ habetur pro Deo, vel quæ repræsentat tanquam Deum eam rem, quæ non est Deus*; ejusdem lib. cap. 24. *Vel imagini exhibetur cultus latriæ propter se & hæc est idololatria* &c. Quo pertinet illud Erasmi in 1 Corinth. VIII. p. 335. *Certe Ambrosius nullum novit discrimen inter idolum & simulacrum, nec ego ullum video.* VI) Vanum ergo & ineptum est discrimen illud, quod inter *idolum* & *imaginem* constituit Bellarminus, verum contra & perpetuum illud, quod constituimus superius, quo *idolum* dicitur omne id, cui divinus cultus exhibetur, eum tamen non sit Deus, sive sit imago hominum manibus efformata, sive res naturalis, sive interius cordis figmentum: *imago* autem, quæ citra sui cultum memoriæ vel ornatus causa formatur.

§. LXXXV. Nec ullius assis æstimanda appendix illa Valentiani, quando disserit, *hanc esse veram idololatriæ definitionem, creaturæ habere divinum honorem sicut Deo.* 1) Hoc enim perinde est, ac si quis definire velit adulterium concubitum cum altero, qui non sit conjux tanquam cum conjuge, ac proinde adulteram non esse, quæ commisceatur ei, quam non habeat pro conjuge, sed eam tantum, quæ alteri ceu conjugi sese prostituat. 2) Quando creaturæ alicui divinus honor exhibetur, eo ipso creatura ista in Dei locum evehitur, ac pro Deo habetur, siquidem divinus honor non est, nisi is, qui Deo debetur, ac proinde oblato tali honore, ipsa divinitas revera attribuitur, vel certe ex immota consequentia attribui intelligitur, nulla enim relatio est extra suum fundamentum. 3) Si non est idololatra, nisi qui divinum honorem tribuit creaturæ ut Deo, nec Israëlitæ colentes Deum in vitulis, nec ethnici, colentes eundem in simulacris, idololatræ erunt: nec Ariani & Nestoriani idololatriæ a priscis ecclesiæ doctoribus accusari potuissent, illis enim nihil minus erat propositum, quam Christo ut Deo divinum honorem deferre, qua de re postea plenius. Quam vero exiguus fuerit idololatrarum manipulus juxta hanc Valentiani definitionem! pauciissimi certe idololatræ eo amentiæ progrediuntur, ut simulacra sua deos esse revera sentiant. 4) Adde, quod ipse Valentianus hoc definitionis suæ membrum non ubique observet. Disp. VI. de idolol. q. II. punct. 3. disputat de idololatria exteriori, quam committi docet, cum veneratio non procedit ab infidelitate interiori, qua creatura putetur esse Deus, aut etiam ab expressa & directa voluntate conciliandi creaturæ divinam existimationem, ac per hanc idololatriam exteriorem plus peccari, quam per interiorem ex ignorantia ortam, puncto 2. concludit.

Definitio idololatriæ.

§. LXXXVI. Remoto igitur peregrino isto assumento, plena & perfecta idololatriæ definitio est, quod sit *cultus, quo honor soli Deo debitus transfertur ad id, quod est extra Deum.* (Est vero extra Deum omne id, quod vel per essentiam non est Deus, vel per unionem hypostaticam non est unitum Deo, quo modo adsumta humana natura est λόγῳ unita, ac proinde eodem λατρείας cultu adoranda, qua λόγῳ, juxta definitionem concilii Ephes. anath. VIII. cont. Nest.) Quam definitionem Schröderus tract. de imag. q. II. th. 28. & seqq. probat 1) ex *fine* & scopo primi præcepti, quod requirit non solum, ut unum ac solum verum Deum religiose colamus, sed etiam, ne præter illum ac extra verum Deum quicquam aliud religiose colamus. 2) ex genuino ac proprio

idoli *formali*, in eo consistente, quod colitur aliquid divino honore, cum tamen non sit Deus. Porro in eo proprium idoli formale consistere patet ex eo, quod res quædam, quæ non erat idolum, tunc demum evadat idolum, quando religiose coli incipit, & contra quæ erat idolum, desinat esse idolum, quando religiose coli desinit. Æneus serpens quamdiu non colebatur, idolum non erat, at ubi populus cœpit ei adolere incensum, abiit in idolum, ideoque a rege Ezechia est abolitus, 2 Reg. XVIII. 4. Sol, luna, & omnis cœli militia erant idola, quando Israëlitæ ipsis sacrificabant, 2 Reg. XXIII. 5. nobis non amplius sunt idola, sed bonæ Dei creaturæ. 3) *exemplis* eorum, qui idololatriæ accusantur hoc nomine, quod cultum Deo debitum tribuerunt ei, quod est extra Deum. Deut. XVII. 3. dicuntur alienos deos colere, qui se incurvant soli, lunæ, vel omni militiæ cœli. Ezech. VIII. 10. Israëlitæ dicuntur idololatræ, propterea quod similitudines reptilium ac animalium coluerunt. Rom. I. 23. ethnici peraguntur idololatrias rei, quia mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & serpentium. Carpocratem idololatriæ accusant Irenæus lib. I. c. 24. p. 81. Epiphanius hær. XXIX. Augustinus ad Quod vult deum hær. 7. quod imagines Christi & Pauli, quas habebat, coleret, iisque sacrificaret. Ἀγγελολάτραι idololatrias accusantur in synodo Laodicena (*) can. XXXV. *Arianis* idololatria tribuitur ab Athanasio (**) orat. I. contra Arianos in synodo Nicena art. 6. quod cultum divinum Dei Filio exhiberent, quem Deum verum esse negabant. *Nestoriani* dicti sunt *anthropolatræ* (***) a synodo Ephes. epist. ad Theodos. & Valent. imperatores, Cyrillo de recta fide ad regin. Justiniano consit. VI. cap. de summ. Trinitat. & fide cathol. & *idololatræ* a synodo Nicena II. action. 7. eo quod carnem Christi adorare volebant, quam tamen intra λογικὴ ὑπόστασιν subsistere negabant. Christiano-categori dicuntur *idololatræ* a Damascено lib. de hæres. circa finem & Bellarmino lib. II. de imagin. sanct. cap. 11. eo quod imaginibus divinos honores decernebant, ac christianos tanquam idolorum cultores accusari faciebant. 4) *descriptionibus* idololatriæ, quas tradunt auctores Tertullianus lib. de idolol. cap. 1. *Idololatria fraudem Deo facit, honores illi suos denegans & aliis conferens, ut fraudi etiam contume-*

(*) Synodus Laodicena anno *CCCLXVII.* celebrata canone supra citato, disertis verbis pronunciat, angelorum cultores *occultæ idololatriæ vacare & Christum derelinquere.* Provocare quoque poterat GERHARDVS ad testimonium TERTVLLIANI, qui libr. *de præscript. hæret. cap. XXXIII.* ait, *Simoniacæ magiæ disciplinam angelis servientem inter idololatrias collocatam, & a Petro apostolo* in *ipso Simone damnatam.*

(**) Præter ATHANASIVM alii quoque veterum patrum Arianos *idololatras* vocare consueverunt, quod eum, quem creaturam fatebantur, adorarent. Ex Græcis hoc fecerunt BASILIVS M. & GREGORIVS Nyssenus, quorum testimonia recitavit DIONYS. PETAVIVS *tom. II. dogmat. theolog. libr. II. cap XII. §. VI. p. 114.* Adjungimus iisdem ex ecclesiæ latinæ doctoribus FVLGENTIVM Ruspensem, haud incelebrem seculi VI. scriptorem, qui libro *contra sermonem fastidiosi Ariani, cap. VI.* suam de Arianis mentem hisce verbis exprimit: *Hæretici incorpoream divinitatem nonnisi corporaliter cogitantes, cum secundum naturam dicunt filium minorem sub imagine christiani nominis, quam fallaciter præten-*

dunt, idololatriæ nefando crimine semet ipsos involvunt. Quid enim est, Deum majorem, & Deum minorem in singulis personis dicere, nisi diversi generis diversæque virtutis idola, non in paribus; sed, quod deterius, in cordibus collocare? Hinc enim se duos Deos colere, Ariani evidenter ostendunt &c.

(***) De odioso hocce nomine, quo *Nestoriani* olim fuerunt nuncupati, legi meretur JAC. BASNAGIVS, in *histoire de l'église, tom. II. lib. XX. §. 3. p. 1204.* & *libr. XXI. cap I. §. 4. p. 1247.* Constat quoque ex historiarum monumentis, ipsos orthodoxos *anthropolatras* adpellatos fuisse ab *Apollinaristis*, eo quod Christum verum hominem esse, & animam rationalem ac corpus ejusdem nobiscum naturæ habere adserebant, id quod APOLLINARIS sectatores negabant. Mentionem hujus convitii facit GREGORIVS Nazianzenus, ostenditque, majori jure *Apollinaristas* nomen *sarcolatrarum* mereri: cum enim, ex eorum sententia, Christus animam humanam non habeat, sponte consequi, eos solam Christi carnem adorare. Conferenda, quæ hanc in rem diximus in *dissertat. de Christo hominum redemtore*, quæ præfixa est *tom. IV. locor. theolog. §. XXVII. p. 20.*

tumeliam jungat. Ambrosius in cap. 5. Ephes. *Idololatria Dei honorificentiam usurpat, & creaturæ vindicat,* Gregor. Nazianzenus orat. εἰς γενέθλ. *Idololatriam* vocat *adorationis a creatore ad creaturam translationem.* Augustinus I. de Trinit. cap. *6. Idololatræ dicuntur, qui simulacris eam servitutem exhibent, quæ debetur Deo.* Beda in cap. 4. Lucæ: *Idololatræ nuncupantur, qui vota, preces & sacrificia, quæ uni Deo debuerant, idolis impenderunt.* Gersonius in reg. moral. tit. de superbia lit. M. *Idololatria est exhibitio honoris vere vel interpretative aut attributive divini alicui creaturæ aliter, quam sibi potest competere.* Thomas II. 2. q. XLIV. art. 1. *Idololatria est superstitio, qua creaturæ divinus cultus exhibetur.* Catech. Trident. in explicat. 1. præcepti: *Moses cum populum ab idololatria avertere vellet, ajebat:* Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, *quod sapientissimus legislator ideo dixit, ne quo errore ducti divinitatis imaginem fingerent, Deoque debitum honorem creaturæ tribuerent,* ex quibus verbis talis colligitur idololatriæ definitio, quod sit error, quo Deo debitus honor creaturæ tribuitur.

ἐθελοθρησκείαι sunt species εἰδωλολατρείας.

§. LXXXVII. Cumque pars sit divini honoris ac cultus soli Deo debiti, præscriptum ipsius in *forma* ac *modo* cultus sequi, Deut. XII. 8. *Non facietis singuli, quicquid rectum in oculis suis, sed* v. 32. *quicquid ego præcipio vobis, custodietis, ut faciatis, non addes ad illud, neque detrahes.* Matth. XV. 9. *Frustra colunt me docentes doctrinas mandata hominum.* Es. I. 12. *Quis requisivit hæc de manibus vestris* &c. ideo ἐθελοθρησκείαι, quibus proprii cordis cogitata in cultu divino homines sectantur, εἰδωλολατρείας quædam species constituuntur. Num. XV. 39. *Recordamini omnium præceptorum Jehovæ, ut faciatis ea, & non aspicietis post cor vestrum & oculos vestros, post quos fornicamini.* v. 40. *ut recordemini & faciatis omnia præcepta mea, & sitis sancti Deo vestro.* v. 41. *Ego Jehovah Deus vester, qui eduxi vos e terra Ægypti, ut essem vobis in Deum; Ego, inquam, Jehovah Deus vester.* (Usitatissimum est prophetis spiritualis fornicationis & adulterii nomine idololatriam complecti, quando ergo electitii cultus hoc loco dicuntur fornicatio, utique idololatrias loco habentur, quod ipsum ostendit repetitio verborum primi præcepti: Ego Jehovah Deus vester) Deut. XII. 30. *Cave tibi, ne imiteris gentes, postquam te introëunte fuerint subversæ, & requiras ceremonias* (Hebr. deos) *earum, dicens: sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam.* v. 31. *Non facies sic Deo tuo.* In hoc dicto manifeste dicuntur dii alieni constitui, quando verus Deus colitur, vel coli existimatur peregrinis ethnicorum cultibus præter & extra verbum. 1 Sam. XV. 22. *Nunquid voluntas Jehovæ est in holocaustis & victimis, & non potius in obtemperando voci Jehovæ?* v. 23. *Peccatum divinationis est rebellio & idolum & theraphim transgredi.* (Notum est per theraphim simulacra intelligi, quibus divinus cultus exhibetur Gen. XXXI. 19. Jud. XVII. 5. idolum igitur erigunt, quicunque cordis sui cogitationes in cultu divino sequuntur) Probant hoc ipsum rationes sequentes. I) Qui non timet nec diligit Deum super omnia, peccat contra primum præceptum. Quisquis cultus extra & præter verbum instituit, non timet nec diligit Deum super omnia, siquidem cogitata cordis sui præfert Dei verbo. Ergo qui cultus extra & præter verbum instituit, peccat contra primum præceptum, & per consequens committit idololatriam. Omnia enim peccata contra primum præceptum generali idololatrias nomine comprehenduntur. II) Qui non agnoscit, Deum esse sapientissimum, peccat contra primum præceptum, (quia primo præcepto jubemur Deum agnoscere, qualis est; jam vero Deus est sapientissimus) Quisquis præter & extra verbum cultus instituit, non agnoscit Deum esse sapientissimum, quia cordis sui cogitationes divinæ sapientiæ præfert. Ergo qui electitios cultus instituit, contra primum præceptum peccat, & per consequens idololatriam committit. III) Quicunque gloriam soli Deo debitam ad alium transfert, peccat

contra primum præceptum, & idololatriam committit. Quisquis electitios cultus instituit, gloriam soli Deo debitam transfert ad alium (siquidem hæc solius Dei gloria est, quod *ipse unus sit legislator* εἷς ὁ νομοθέτης, Jac. IV. 12. cui soli competit, normam ac formam sui cultus præscribere) Ergo qui electitios cultus instituit, contra primum præceptum peccat, & idololatriam committit. Hieronymus in cap. X. Jer. *Quicquid de idolis diximus, ad omnia dogmata, quæ sunt contraria veritati, referri potest. Et ipsi enim*, (talium dogmatum auctores & propagatores) *ingentia pollicentur, & simulacrum vani cultus de suo corde effingunt, jactant grandia, & ad decipiendos simplices quosque quasi aureis sensibus & eloquiis argenti splendore fulgentibus imperitorum obstringunt aciem &c. quorum cultura proprie gentium est & eorum, qui Deum ignorant.* Idem in cap. V. Michæ: *Infelix humana conditio & insipientiæ plena atque erroris scit de suo sensu dogmata esse composita, non ignorat a se esse idolum simulatum & pro Deo adorat opera manuum suarum.* Augustinus in quæst. super Josuam q. XXIX. super verba: *Auferte deos alienos de medio vestri*, inquit: *Propheta sanctus Josua in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo alienas a Deo, & ipsas admonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum deum utique & falsum in cogitatione portat.* lib. de vera relig. cap. 38. *Opiniones erroneas & propria φαντάσματα esse cultum simulacrorum* ostendit.

§. LXXXVIII. Ex quibus omnibus vera ac genuina idololatriæ natura, plena ac perfecta definitio ac variæ ejusdem species cognosci possunt: restat probandum, quod per imaginum cultum in ecclesiis pontificiis idololatria committatur, id vero sequentibus confirmamus argumentis. I) Quicunque divinum honorem deferunt rei, quæ non est Deus, committunt idololatriam: Pontificii deferunt honorem divinum imaginibus, cum tamen non sint Deus. Ergo Pontificii per imaginum honorem committunt idololatriam. *Major* ex illis, quæ dicta sunt, manifesta est. *Minorem* confirmamus hoc modo: Adoratio est cultus soli Deo debitus; imaginibus in ecclesiis pontificiis defertur adorationis honor: ergo imaginibus defertur cultus soli Deo debitus. *Minoris* manifesta veritas patet ex eo, quod Thomas, Alensis, Bonaventura, Albertus aliique complures ex scholasticis disputant, eundem honorem deberi imagini & exemplari, ac proinde imagines SS. Trinitatis, Christi & crucis adorandas esse cultu latriæ, quorum sententiam sequuntur Cajetanus, Gregorius de Valent. & Costerus, ut vidimus thes. 77 & 87. idololatrice dici agnoscunt non solum Robertus Holcotius & Gersonius (quorum ille lect. CLVIII. in sap. scribit. *Latria honor est soli Deo debitus, sed nulla imago est Deus. Ergo nulli imagini debetur talis honor.* Hic vero part. III. tract. 8, super magnificat concludit: *Solum ens divinum & summum latria est honorandum, sciunt hoc fideles, sciunt & philosophi omnes, sed lignum crucis etiam illud, in quo pependit Dominus, nihil habet divinitatis,*) sed etiam ipse Bellarminus, qui lib. II. de imagin. cap. 24. sic scribit: *Imago per se & proprie non est adoranda eodem cultu, quo ipsum exemplar, & proinde nulla imago per se & proprie est Deus, sive consideretur ratione materiæ, sive ratione figuræ & colorum, sive ratione relationis. Ergo per se & proprie non debetur ulli imagini cultus latriæ. Dicet aliquis fortasse, latriam esse cultum proprium Deo, quando exhibetur propter se, non autem quando propter aliud contra; nam de essentia vera veræ latriæ est, exhiberi propter se, latria enim dicitur summus cultus, qui debetur vero Deo, ut primo principio rerum omnium, implicat autem contradictionem, exhiberi summum cultum primo principio ac propter aliud, nam si primo principio, non ergo propter aliud, si propter aliud, non primo principio. Ergo, vel imagini exhibetur cultus latriæ propter se, & hæc est vera idololatria, vel non exhibetur propter se, & tunc ille non est cultus veræ latriæ &c.* Hæc Bellarminus plerisque scholasticis, imo suæ sectæ hominibus Valentiano & Costero contradicens.

§. LXXXIX.

Bellarmini opinio de cultu imaginum.

§. LXXXIX. Quo vero cultus genere Bellarminus censet imagines honorandas esse? lib. II. de imag. c. 20. de genere cultus imaginibus debiti tres sententias haberi scribit. Prima, quod *imago non sit ullo modo in se colenda, sed solum coram imagine colendum exemplar.* Ita sensisse videtur Alensis p. III. q. 30. artic. ultim. Durandus lib. III. sent. distinct. 9. q. 2. Alphonsus a Castro in verbo *Imago*, illis addere potuisset Vasquezium suæ societatis hominem, qui lib. II. de adorat. disputat. 2. c. 3. dicit: *Superstitiosum & stultum esse, imagines per se colere nulla habita ratione ad exemplar.* Secunda opinio est, quod *idem honor debeatur imagini & exemplari, & proinde Christi imago sit adoranda cultu latriæ, b. Mariæ cultu hyperduliæ, aliorum sanctorum cultu duliæ.* Ita Thomas, Bonaventura, Marsilius, Cajetanus &c. Tertia opinio versatur in medio, estque eorum, qui dicunt, *ipsas imagines in se & proprie honorari debere, sed honore minori, quam ipsum exemplar, & proinde nullam imaginem adorandam esse cultu latriæ.* Ita Peresius lib. de tradition. tract. de imag. Catharinus, Sanderus &c. Ut has opiniones conciliet, formatsequentes propositiones: 1) *Imagines Christi & sanctorum venerandæ sunt non solum per accidens vel improprie, sed etiam per se & proprie, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum ut vicem gerunt exemplaris.* 2) *Quantum ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum, non est dicendum, imagines ullas adorari debere latria, sed e contrario non debere sic adorari.* 3) *Si de re ipsa agatur, admitti potest, imagines posse coli improprie vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur.* 4) *Imago per se & proprie non est adoranda eodem cultu, quo ipsum exemplar, & proinde nulla imago colenda est cultu latriæ proprie & per se.* 5) *Cultus, qui per se & proprie debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus, qui analogice & reductive pertinet ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari.* Nimirum his coloribus εἰκονολατρείαν Bellarminus pingere voluit, ut comtior evaderet, a quo merito quærimus: 1) Cur discedat a Thoma, cui juramento est adstrictus? 2) Imo cur discedat a Valentiano & Costero sui ordinis hominibus? 3) Cur neget manifestam praxin, quæ divinos honores imaginibus exhiberi testatur, qua de re diximus thes. 80. 4) Cur discedat a concilio Tridentino, quod sess. XXV. dicit, *adorare imaginem, est ipsum Christum adorare,* ex quo colligit Valentianus, cum in honorando prototypo usurpetur ille honor, qui competit excellentiæ ipsius, ergo eodem prototypi honore honorandas esse imagines, modo illo suo, quo honorari debent, videlicet quatenus sunt imagines, ac proinde imagines Christi coli debere latria. 5) Cur neget, ad populum dicendum esse, quod imagines sint adorandæ cultu latriæ, cum concedat, si de re ipsa agatur, admitti posse, quod improprie vel per accidens cultu latriæ colantur? Christus doctrinam suam per apostolos *prædicari voluit omni creaturæ*, Marc. XVI. 15. *Nec quicquam timet veritas nisi abscondi*: Tertullianus adv. Valent. p 383. Merito hic exclamaverit quis cum Augustino lib. IV. de civ. Dei cap. 27. *Præclara religio, quo confugiat liberandus infirmus, & cum veritatem, qua liberetur, inquirat, credatur ei expedire, quod fallitur!* 6) Cur dicendum adferat, imagines non debere adorari cultu latriæ; & tamen concedat, *improprie* loquendo eas latria colendas esse? Quid dicatur *improprie* honorari, id ipsemet hoc modo exponit lib. II. de imag. cap. 2. *improprie dicitur honorari, quod honoratur loco regis, ut quando legatus honoratur loco regis honore proprio regibus.* Quemadmodum igitur vere honoratur legatus, quando honor regis ipsi defertur, licet id fiat improprie; ita juxta Bellarmini hypothesin dicendum, vere adorari cultu latriæ imagines, quando honor prototypi illis defertur, licet id fiat *improprie.* 7) Quis tandem sit iste *analogicus* cultus imaginibus debitus? Cap. 25. eum sic explicat: *Sicut se habet imago ad suum exemplar, ita se habet cultus imaginis ad cultum exemplaris. Sed imago est ipsum exemplar analogice & secundum quid,*

nam

nam homo pictus est homo secundum quid & analogice, ergo etiam imagini debetur cultus ipsi exemplari debitus, imperfectus & analogicus. Resp. homo pictus & verus homo non conveniunt *analogico* genere, sed *æquivoco* saltem. Aristoteles ἐν προκατηγορ. cap. de homonymis: ὁμώνυμα λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος, οἷον ζῷον, ὅ, τε ἄνθρωπος καὶ τὸ γεγραμμένον. Subsumo, sicut se habet imago ad exemplar, ita se habet cultus imaginis ad cultum exemplaris. Atqui imago est ipsum exemplar *æquivoce*, non *analogice*, multo minus συνωνύμως. Ergo etiam cultus imaginis est cultus æquivocus. 8) Qua ratione *analogicus* ac *reductivus* iste cultus rudioribus, qui in imaginum cultu operosiores sunt ipsis magistris, ita explicari possit, ne periculum idololatrias ipsis metuendum sit? quotus enim quisque eorum, qui imagines venerantur, cogitat de latria, hyperdulia, dulia, de cultu illo inferiore, qui secundum quid *analogice* ac *reductive* sit latria, hyperdulia, dulia? 9) An cultum illum analogicum imaginibus SS. Trinitatis Christi & crucis debitum statuat aliquo modo divinum, an vero nullo? Si prius, denuo sequetur, partem divini honoris ad imagines transferri, idque analogia manifeste requirit, cum consistat in quadam participatione inter id, quod analogice reducitur, & ad quod reducitur. Si posterius, Deus per illum imaginum cultum non colitur, cum Deo non conveniat nisi divinus honor.

Exceptiones adversariorum.

§. XC. Quid si dicatur, papistas quidem procidere ante imagines, sed nihil hic esse idololatricum, cum adoratio in genere notet quemvis honorem etiam humanum, cumque adoratio non referatur ad ipsas imagines, denique cum totum hoc spectet ad excitationem animorum ad Deum? Ita Pistorius disputat in hodeg. cap. de imag. pag. 295. cui solide respondet D. Menzerus in antipist. disp. VII. th. 43. & seqq. 1) Synodus Nicæna II. itidem honorariam saltem adorationem imaginibus tribuit, sed quo modo eam explicet, vidimus thes. LXXVI. 2) Ipsa praxis ostendit, adorationem illam imaginum non esse *civilem*, sed *religiosam*, siquidem colunt eas sacrificando, vovendo, jurando, &c. cum tamen Bellarminus lib. III. de cultu sanctor. cap. 9. agnoscat, *votum esse actum religionis soli Deo debitum, qualis etiam sit juramentum & sacrificium.* 3) Voce legis divinæ manifeste prohibitum incurvare se sculptili, atque illud colere. Quicunque ergo se incurvat imagini, ut interiorem cordis sui cultum hac ratione exterius proferat, is contra præceptum Dei peccat. 4) *Civilis* illa adoratio regibus & honoratioribus delata non potest hic habere locum, cum imagines non habeantur in numero rerum civilium, sed sacrarum ac religiosarum. Jam vero in rebus sacris nota religiosi cultus ex geniculationis gestu petitur. 1 Reg. XIX. 18. Rom. XI. 4. 5) Adde, quod magna sit dissimilitudo, quando hominibus rationalibus exhibetur civilis & externa reverentia, quæ in scriptura vet. test. aliquando vocatur adoratio, & ejus exempla in scriptura exstant: sed inanimatis statuis hoc exhibere non est idem, & ejus nullum exstat in scriptura vel mandatum vel exemplum, imo lex Dei, quia utrumque prohibet, & adorationem & cultum imaginum, altero interiorem cultum spiritus, altero externam honorariam adorationem imaginum prohibet. 6) Bellarminus II. de imag. c. 24. & Gregorius de Valent. tract. de adoratione Christi punct. 2. diserte improbant eorum sententiam, qui dicunt, *imaginem non esse ullo modo in se colendam, sed solum coram imagine colendum exemplar: imaginem vero tantum nobis esse motivum, ut prototypum solum honoremus.* 7) Scholastici plerique eundem omnino cultum deferunt imagini, qui debetur exemplari.

Alterum argumentum, quo probatur, per cultum imaginum committi idololatriam.

§. XCI. Atque hæc dicta sint de argumento *primo*, quo demonstrare cupimus, pontificios per cultum imaginum committere idololatriam; *alterum* hoc esto. Quandocunque per cultum imaginum Deus colitur, committitur idololatria. Pontificii per cultum imaginum Deum colere volunt. Ergo per cultum imaginum idola-

lolatriam committunt. *Minorem* haud inviti concedunt. *Majoris* veritatem comprobat tum manifestum Dei præceptum, quo se per imagines coli vetuit, tum exempla eorum omnium, qui idololatriæ accusati sunt, quod per imagines Deum colere voluerunt. Præceptum manifestum exstat Deut. IV. 15. *Cavete diligenter animabus vestris; (non enim vidistis ullam imaginem in die, qua locutus est Jehovah ad vos e medio ignis)* v. 16. *Ne forte corrumpatis vias vestras, & faciatis vobis sculptile, aut imaginem ullius simulacri, &c.* Prohibet legislator populo, ne faciat sibi sculptile aut imaginem, non cujusvis rei, sed ejus, in qua repræsentetur & colatur Deus; additur enim ratio, ideo nullam Dei similitudinem in solenni legis promulgatione visam, quod nollet sui aliquam similitudinem fieri. Quod si prohibitum, ne Dei aliqua similitudo fiat, utique etiam prohibitum, ne in similitudine vel imagine quadam Deus colatur. Bellarminus lib. II. de imag. c. 8. scribit: *Non esse tam certum in ecclesia, an sint faciendæ imagines Dei sive Trinitatis, quam Christi & sanctorum: interim*, concludit, *licere pingere imaginem Dei Patris in forma hominis senis, cum angeli sint incorporei & depicti in vet. test. cum Deus visus sit specie corporea, cum tribuantur ei membra humana, &c.* (*) Sed hæc

(*) Communior hodie doctorum ecclesiæ Romanæ sententia huc redit, illas Dei & trinitatis, personarumque divinarum imagines esse admittendas, quæ adparitiones divinas, in sanctioribus litteris commemoratas, exprimant. Adprobat hanc sententiam *Catechismus concilii Tridentini part. III. ad præceptum I. decalogi, §. 36.* qui quidem catechismus symbolicam auctoritatem in ecclesia Romana obtinuit, ex quo dijudicari ac cognosci potest, quænam vera ac genuina illius de præcipuis religionis christianæ capitibus sit sententia.

Non desunt tamen in hac ipsa ecclesia magni nominis theologi, qui longius progrediuntur, adserentes, licitum esse, non ea duntaxat forma effigiare Deum, qua olim se adspectabilem reddidit mortalibus, sed alia quoque ex hominum ingenio efficta. Hanc sententiam adoptavit ROBERT. BELLARMINVS, pater purpuratus, *loco* supra a GERHARDO *adlegato*, ubi & JO. CALVINVM secus sentientem confutare adnititur. Bellarminum presso pede sequitur VINCENT. LVDOV. GOTTI, in academia Bononiensi quondam controversiarum professor, postea ecclesiæ Romanæ cardinalis, in *theolog. scholast. dogmat. tom. XVI. p. 161.* Plures hujus sententiæ fautores excitavit BENEDICTVS XIV. ecclesiæ Romanæ pontifex, in *epistola* ad JOSEPHVM, episcopum Augustanum, serenissimum Hassiæ Landgravium, exarata, *fol VII. seqq.* ubi vel tribus notamus, doctissimum huncce præsulem, cum adhuc cardinalis esset, PROSPER DE LAMBERTINIS nuncupatus, in copioso *de canonisatione servorum Dei* opere, *libr. IV. part. II. cap. XX. §. 2. p. 188.* necillas improbasse imagines, quæ Deum patrem repræsentant sub forma senis, inque ejus sinu Christum, & inter utrumque Spiritum sanctum in forma columbæ; licet hæc trinitatis repræsentatio in libris divinioribus haud deprehendatur; sat mutasse eundem mentem suam, postquam BENEDICTI XIV. nomine adoptato, solium papale conscenderat. Quæsitus enim a JOSEPHO episcopo Augustano, num imagines Spiritus S. sub specioso juvenis forma tolerandæ essent? in *epistola* modo *excitata* sine ambagibus respondit, ejusmodi imagines e medio esse tollendas, eam quidem ob rationem, quod Spiritus ille sanctior nullibi in sacris litteris sub hacce forma adparuisse legatur.

Nec prætermittendum hoc est, fuisse nonnullos ecclesiæ Romanæ sectatores, qui omnes divinitatis imagines prorsus rejecerint. Fecerunt id ex antiquioribus MARTINVS PEREZIVS AIALA, archiepiscopus quondam Valentinus, in opere *de divinis apostolicis atque ecclesiast. traditionibus, part. III. tract. de imagin. f. 222, 223.* FRID. NAVSEA, archiepiscopus Viennensis, in *cathechismo cathol. libr. IV.* ad præcept. I. GEORG CASSANDER, in *consultat. de articulis religionis inter catholicos & protestantes controversis, art. 21.* sub fin. *oper. f. 960.* POLIDORVS VERGILIVS, quem supra laudavit GERHARDVS, JO. HESSELIVS, theologus quondam Lovaniensis, in *catechismo*, Lovan. *MDLXXI.* edito, *libr. I cap. LXV.* aliique, quorum vestigia nonnulli quoque ex recentioribus sunt secuti. Eminet ex his DOMINICVS MACER, cathedralis ecclesiæ Viterbiensis quondam canonicus ac protonotarius apostolicus, qui in *hiero-lexico* voce *Icona* hæc de re sequentem in modum disserit: *Antiquitus non permittebatur, patrem æternum in figura humana depingi. — — — Commendanda sane est* URBANI *VIII memoria, cujus sanctissimus zelus in ignem conburi II. Aug. MDCXXVIII. decreverat omnes imagines, sanctissimam Triadem in uno corpore repræsentantes, tribus faciebus & quatuor oculis.* Huic ad latus

hæc omnia nondum probant, ipsius Dei imaginem pingi posse vel debere, quando enim corporeæ illæ species, in quibus se repræsentavit Deus, depinguntur, tum non ipse Deus, sed id, in quo se manifestavit Deus, depingitur, quod ipse Bellarminus quodammodo agnoscit, unde in arg. tertio coll. 956. fatetur, *Non sine periculo exhiberi imperitis ejusmodi picturas, in quibus membra corporea tribuuntur Deo.* Coll. 956. disputat, tribus modis aliquid pingi posse: 1) *Ad exprimendam perfectam similitudinem formæ & naturæ rei ipsius, qua ratione si quis Deum pingere tentaret, verum idolum constitueret.* 2) *Ad historiam aliquam oculis exhibendam, ut si quis pingere vellet expulsionem Adami de paradiso, pingere deberet Deum in forma hominis ambulantem &c. qui autem ita pingeret, non vellet certe repræsentare Dei naturam, sed solum exhibere oculis per picturam, quod alius auribus exhiberet recitando scripturam.* 3) *Ad explicandam rei naturam, non per immediatam & propriam similitudinem, sed analogiam sive metaphoricas mysticasque significationes, ut cum in forma humana extra historiam pingitur Deus Pater, Christus in forma ovis, &c. ubi notandum, non debere ejusmodi imagines multiplicari, nec tolerandum esset, quod pictores audent ex capite suo confingere imagines Trinitatis, ut cum pingunt unum hominem cum tribus faciebus, vel unum hominem cum duobus capitibus, & in medio eorum columbam, ista enim monstra quædam vocantur, & magis offendunt deformitate sua, quam juvant similitudine.* Hæc omnia Bellarminus, qui postea concludit, *in scripturis tantum prohibitam esse imaginem Dei primi generis.* Quamvis vero historicæ istæ picturæ, in quibus manifestationes divinæ exprimuntur, non omnino a nobis improbentur (*), tamen extra historiam pingere imaginem vel erigere statuam aliquam

latus ponimus FRANCISC. COMBEFISIVM, theologum Gallum, ord. F. F. prædic. congregat. S. Ludovici Lutetiæ Parisiorum, qui in *not.* ad NICEPHOR. Constantinop. libellum de *imaginibus, manipulo originum Constantinopolitanarum* insertum, haud admittendum esse censet, *quod rudi pictura Trinitatis arcanum nonnullis delineetur, ut senioris viri specie patrem designent, Filium, qua carnem adsumsit, Spiritum S. qua adparuit columbæ specie.* Eandem sententiam propugnarunt NATALIS ALEXANDER, theologus Gallus, dominicanorum familiæ adscriptus, in *select. hist. eccles. sæculi VIII. capitibus, dissert. VI.* atque JAC. LE FEVRE, theologus Sorbonicus, in libro, cui index: *Entretien d'Eudoxe & d'Evariste sur l'histoire des Iconoclastes du P. Maimbourg p. 154. seqq.* Ut alios taceamus.

(*) Hæc GERHARDI de imaginibus divinitatis sententia egregie consentit cum ea, quam ecclesia Germanica & Gallica tempore CAROLI M. suo adprobavit calculo, & quam ecclesia nostra evangelica hodienum amplectitur. Hæc enim concilii Francofurtani sequitur placita, mediaque inter *Iconoclastas* atque *Iconodulos* via incedit, Admittit nimirum *figuras emblematicas* divinitatis personarumque in divinis; repudiat vero prorsusque proscribendas censet eas Trinitatis imagines, quæ ex arbitrio hominum effinguntur. Legenda, quæ, præter CHEMNITIVM & GERHARDVM, de hocce argumento scripsere ex nostris JO. SCHROEDERVS, quem supra §. *LXII. p. 258.* laudavit GERHARDVS, in *apodixi theolog. gemina de imaginibus* &c. Swinfurt. *MDCVI.* 8. edita lectuque dignissima, CASP. ERASM. BROCHMANDVS, in *syst. theolog. tom. II. art. de lege, cap. VII. qu. I. p. 21, 22* PAVLVS TARNOVIVS, theologus quondam Rostochiensis, in *consil.* DEDEKENNI *vol. II p. 1114. sqq.* BALTHASAR MEISNERVS, theol. Wittebergensis, in *collegio adiaphorist. disp. III. §. 26. seqq. p. 57. seqq.* JO. ADAM. OSIANDER, in *theolog. moral. part. spec cap. IV. §. XVII p. 273.* CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *dissertat. theol. de eo, quod licitum est circa picturam imaginum S. S. Trinitatis & personarum divinarum*, Tubing. *MDCCXLVI.* edita, *p. 22 seqq.* aliique, quos nominare supersedemus.

Quum vero ecclesiæ Reformatæ theologi, ut supra jam observavimus, a nobis hoc dissentiant, atque imagines Trinitatis & personarum divinarum omnes damnent; varia ex hoc ipso dissensu orta sunt certamina.

De controversia, quam ANDR. CAROLSTADIVS, Wittebergensis, statim sub initium reformationis nimirum A. *MDXXII.* excitavit, cum, absente LVTHERO, imagines templo ejiceret, supra ad *§. LXX. p. 264.* diximus. Legi merentur, quæ de hac Iconoclasia a CAROLSTADIO tentata, scripserunt SECKENDORFIVS & LOESCHERVS, ille quidem in *historia Lutheranismi libr. I. §. CXVIII.*

quam, qua Deus vel *immediate* vel *analogice* repræsentetur, prohibitum esse statuimus, propter manifesta scripturæ dicta Deut. IV. 15. *Nullam vidistis similitudinem, observa ergo te ipsum, ne forte deceptus facias tibi ullam similitudinem.* Esa. XL. 18. *Cui assimilabitis Deum, aut quam similitudinem ponetis ei?* Esa. XLVI. 5. *Cui assimilabitis me & æquabitis, aut comparabitis me, & similitudo ero?* Act. XVII. 29. *Non debemus existimare auro & argento aut lapidi sculpturæ artis aut cogitationis hominis numen esse simile.* Ac res ipsa ostendit, non posse talem quandam imaginem fingi vel pingi, qua Deus unus in essentia, ac trinus in personis vel *immediate* vel *analogice* repræsentetur: hinc veteres diserte scribunt, nefas esse Dei imaginem aliquam fingere. Clemens Alex. lib. I. strom. adserit, *Deum ex Mosis disciplina nec hominis effigie, nec ulla alia re repræsentari.* Tertullianus de corona militis: *Indignum, ut imago Dei vivi imago idoli & mortui fiat.* Origenes lib. VII. cont. Cels. in fin. *negat Dei similitudinem ullam faciendam.* Idem repetit Eusebius lib. I. de præparat. evang. c. 6. Athanasius orat. contra gen-

CXVIII. CXIX. hic vero in *historia motuum religionis part. I. §. XI. cap. 14. seqq.*

Hanc Iconoclasiam, quam CAROLSTADIVS tentavit, insecuta est disputatio JACOBI ANDREÆ cum THEODORO BEZA, in colloquio Mompelgardensi anno *MDLXXXVI.* habito, institutis. Quinque articuli inter nos ac Reformatos controversi, *de cœna domini: de persona Christi: de imaginibus, templis, ac similibus rebus: de baptismo: de prædestinatione* hic fuerunt sub examen vocati, nec in ullo horum articulorum, nisi in tertio vel tandem consenserunt utriusque partis theologi. Ipse enim BEZA ingenue fatus est, picturas ex Esaja ac Daniele desumtas inter res adiaphoras referendas esse. Vid. *acta* hujus *colloquii*, quæ Tubing. *MDLXXXVII.* 4. prodierunt, *p. 420. 421.*

Nec tamen alii ecclesiæ Reformatæ doctores eandem cum THEOD. BEZA adoptarunt sententiam, sed potius rigidiora secuti principia, imagines omnes ex templis proscribendas esse censuerunt, contradicentibus nostræ ecclesiæ theologis. Hinc cum seculo XVI. ad finem vergente in Anhaltinis atque Ambergensibus ecclesiis, imagines, altaria, aliæque cærimoniæ abrogarentur, doctoresque Anhaltini hocce factum edito scripto defendere adniterentur, mox contra eos insurrexerunt nonnulli ex nostris theologis, usumque imaginum, quæ nullam promerentur reprehensionem, in ædibus sacris defendendum suscepterunt. Ex scriptis ab utraque parte editis, commemorari merentur: *der theologischen Facultæt zu Wittemberg Antwort auf die Anhaltische Schrift von der Abwerfung der Bilder, Altære &c. MDXCVII. 4. Anleitung, wie das Wittenbergische Buch wieder die Anhaltischen zu lesen*, Amberg *MDXCVII. 4. Abfertigung solcher Anleitung*, Wittenberg, *MDXCVII. 4. Antwort auf die Abfertigung*, Amberg, MDXCVIII. 4. itemque *endliche Antwort auf der Anhaltischen Prediger Abfertigung*, Wittenberg, MDC. 4. Spectant huc quoque ABRAHAMI TAVRERI liber, cui titulus: *Bericht wieder den neuen Bilderstürmerischen Carlstædtischen Geist im Fürstenthum Anhalt*, Leipzig *MDXCVII. 4.* & SIM. GEDICCI *Bericht und Wiederlegung des Zerbstischen Buchs, wieder die Bilder und Altarstürmer*, Magdeb. MDXCVII. 4. Vid. de hoc certamine FRID. BALDVINI *Bericht von den Bildern Gottes, Christi und der Heiligen* &c. in præfatione huic libro præmissa.

Quum controversia hæc theologica extincta videretur, renovavit eandem ABRAHAMVS SCVLTETVS, Silesius, concionator FRIDERICI, electoris palatini, aulicus, ac theologiæ in academia Heidelbergensi quondam professor. Quum enim hic ipse princeps, Reformatorum sacris addictus, ann. *MDCXIX.* in Bohemiæ regem eligeretur, atque hoc ipso anno Pragæ solemni ritu inauguraretur, SCVLTETVS imagines sacras e sacello regio deturbavit, easdemque destruxit, utque hoc factum defenderet, homiliam germanicam edidit *de imaginibus idololatricis*, quæ Francofurti MDCXX. typis fuit exscripta. Sed consuevit eandem THEOD. THVMMIVS, theologus Tubingensis, edito tractatu, cui titulus: *Sculteti iconoclastes, hoc est, demonstratio, in qua contra Abrah. Sculteti imaginum factura earumque usus in templis historicus ex verbo Dei & pia antiquitate tractatur*, Tubing. *MDCXX 4.* Edidit quoque FRID. BALDVINVS, theologus Witrembergensis, *Gegenbericht auf Abr. Sculteti vermeinten schrifftmæssigen Bericht von Götzenbildern*, Wittemberg. *MDCXX 4.* Nec tantum nostrates theologi, sed & cœtus Romani doctores, ac speciatim BALTHASAR HAGERVS, societatis Jesu sacerdos, concionem istam a Sculteto editam, scriptis impugnarunt; quibus quidem THEOPHILVS MOSANVS, Esbacensis, qui causam SCVLTETI defendam suscepterat, opposuit *gründliche Retzung der Predigt Abr. Sculteti von denen Götzenbildern*, Hanov. *MDCXX. 4.* itemque *Censur von Frid. Balduini Bericht von Götzenbildern*; sed respondit eidem

gentes, Hieronymus in cap. XL. Esa. Augustinus de fide & symb. c. 7. Theodoretus in Deut. q. I. Damascenus lib. IV. orth. fid. c. 17. Synodus Constantin. ut habetur in act. VI. Synodus Nicen. Nicephorus lib. VIII. histor. eccles. c. 53. (*) quorum sententiam imitatus Polydorus Virgilius II. de rer. invent. c. 23. scribit: *Cum Deus ubique præsens sit, nihil a principio post homines natos stultius visum, quam ejus simulacrum pingere.* Quod si imaginem aliquam Dei fingere nefas, multo minus fas erit imaginem aliquam Dei colere. Inde Augustinus epist. CXIX. ad Januar. dicit: *Primo præcepto prohiberi, ne quis colat ullam imaginem Dei, nisi unam eandem cum ipso, quæ est Christus.* Ambrosius epist. XXXI. ad Valent. *Non vult Deus in lapidibus coli.* Abulensis in cap. IV. Deuter. *Vetuit Deus, non solum imaginem aliquam adorari, sed etiam se ipsum adorari in imagine*; unde colligit hoc consectarium: *In imaginibus figuantibus Deum pure scilicet Trinitatem duo inconvenientia sequi possunt, primum idololatria, ne etiam imago colatur, secundum error & hæresis, scilicet attribuere Deo corporeitatem.* Peresius parte III. de traditionibus tr. de imag. secutus Augustinum, prodidit, *Primo Dei præcepto prohiberi, ne colatur aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla ejus imago coli debet, nisi illa, quæ hoc est, quod ipse.* Vasques lib. II. de adorat. disp. IV. c. 2. *Ex Deut. IV. clare deducitur, non licuisse tum, verum Deum in aliqua imagine venerari.*

§. XCII.

laudatissimus BALDVINVS, inque lucem publicam edidit tractatum hac inscriptione insignitum: *Ausführlicher und in Gottes Wort wohlgegründeter Bericht von Bildern Gottes, Christi und der Heiligen, in und ausserhalb den Gotteshæusern, darinnen zugleich Theophilo Mosano geantwortet wird.* Wittemb. *MDCXXI. MDCXLIII.* 4. Conferri quoque merentur ejusdem *casus conscientiæ lib. II. cap. II casu* 2. ubi peculiaris exstat disquisitio, num sine peccato nulla Dei imago vel sculpi, vel pingi possit, licet non colatur. Quod vero ad Iesuitam HAGERVM attinet, is causam suam peroravit in der *Rettung der Ehre Gottes in Verehrung der Bilder, wieder Theoph. Mosani vindicias,* gunt *MDCXXII.* 4. Atque hæc de controversia iconoclastica, a SCVLTETO præter necessitatem suscitata, sufficiant. Adeat, qui plura de ea legere voluerit, ANDR. CAROLI *memorabilia ecclesiast. sec. XVII. libr. II. cap. LII. p. 483. die fortgesezte Sammlung von alten und neuen theologischen Sachen*, ad ann. *MDCCXXV. p. 21. seqq.* & PETR. BÆLII *dict. hist. & crit. tom IV.* voce *Scultet*, qui *loc. cit. p. 182. not. (d)* recte observat, minus circumspecte rem suam egisse Sculterum, quod mox sub initia regiminis domini sui, eaque valde imbecillia atque incerta, tam odiosam, destructione imaginum, innovationem susceperit.

Quod restat, paucis notamus, de usu imaginum deinatis disputatum quoque fuisse inter duumviros doctissimos, ANDREAM RIVETVM, theologum quondam Lugduno Batavum, & JO. CONRAD. DANNHAVERVM, academiæ Argentoratensis professorem theologum, prout observavit b. cancell. PFAFFIVS, in *dissertatione* supra a nobis *laudata, p. 17.* Loca RIVETI supra adlegavimus. Quod ero ad DANNHAVERVM attinet, is tum in *collegio Decalog. diss. III. p. 118 seqq.* tum in *hodomoria spiritus Calvin. part. I. phantasm. VI. p. 1124. seqq.* hancce quæstionem copiose pertractavit.

Subjungimus vel tandem b. SPENERI de hocce argumento cogitata, quæ exstant *part. I. der theologischen Bedenken, p 3.* ubi ita infit: *Gott den Vater als einen alten Mann und den heiligen Geist als eine Taube wegen der in solcher Gestalt geschehenen Offenbahrungen vorzubilden, möchte zwar an ganz Einfæltigen, jedoch, dass sie wüssten, dass es dennoch keine eigentliche Bilder wæren, geduldet werden; an andern aber, die eine mehrere Erkænntniss haben, wolte ich solches nicht gerne sehen, sondern lieber wünschen, dass sie davon abstrahirten.*

(*) Plura veterum loca huc spectantia in medium adduxere ex cœtus Reformati doctoribus DAN. CHAMIERIVS, in *panstrat. cathol. tom. II. libr. XXI. cap. 2.* JO. DALLÆVS, *libr. II. de imaginibus*, & JAC. BASNAGIVS dans *l'histoire de l'Eglise, tom. II. libr. XXII. cap. II. p. 1311. seqq.* Addi merentur ex nostris MARTIN. CHEMNITIVS, in *exam. concil. Trident. part. IV. loco II. sect. IV. cap. 1. §. 3.* & C. M. PFAFFIVS in *dissert.* modo laudata, *p. 4. seqq.*

Exempla idololatrarum.

§. XCII. Eos, qui per cultum imaginum Deum colere voluerunt, idololatriæ fuisse accusatos, testantur exempla: I) μοχολάτρων in Ægypto, qui per cultum vituli conflatilis verum Deum coli posse putabant, quos idololatras fuisse, gravissima pœna testatur Exod. c. XXXII. (Vide *Lutherum* in præfat. præfixa germanicæ versioni prophetarum.) Excipit Bellarminus lib. II. de imag. c. 13. *Israëlitas existimasse, summum Deum esse vitulum illum, quia viderant in Ægypto vitulum in summo honore, unde etiam dicantur obliti Dei sui, Psal. CVI. 21. & permutasse gloriam suam in similitudinem bovis. v. 20.* Resp. ex textu evidentissime patet, istius vituli cultum in honorem veri Dei ab ipsis institutum fuisse, v. 4. dicit Aaron: *Hi sunt dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* At noverant, non a vitulo illo ante horas non ita multas fabricato sese ex Ægypto eductos, sed a vero Deo. v. 5. *Aaron ædificat altare vitulo, & præconis voce clamat: Cras solennitas Domini est* יהוה, ubi adparet ipsi Deo solennitatem indici. Viderant, Ægyptios colere Deum suum per bovem sive vitulum, Apim dictum; (quem sacrabant Serapidi, testibus Augustino XVIII. de civ. Dei c. 5. Cicerone de natur. Deorum, Macrobio lib. I. Saturnal. c. 21. Herodoto, Diodoro Siculo, Plutarcho, &c.) ideo etiam verum illum Deum, per quem ex Ægypto educti erant, his ritibus & in hoc simulacro colere voluerunt. Johan. Ferus in cap. VII. Act. *Judæi venerati sunt Deum verum in vitulo, quem formavit Aaron, idque patet ex ipsorum verbis*, hi sunt dii tui, *&c. peccarunt vero, quod idolum extra primum Dei præceptum fecerunt.* Quid quod evidentia textus cogit Bellarminum, ut scribat coll. 984. *Non improbabiliter dicitur, quod Judæi putaverint in idolo se colere Deum verum, ceterum in hoc peccarunt gravissime, tum quia idolo sacrificabant, & in ipso idolo vim divinam inesse credebant, tum etiam quod imaginabantur, Deum esse corporeum & ipsi idolo similem, ex quo sequebatur, ut putarent se colere verum Deum, sed revera non colerent, nisi figmentum suum.* Hæc Bellarminus, a quo merito requiritur, ut probet, Israëlitas credidisse, in ipso vituli idolo aliquam vim divinam inesse, & Deum corporeum statuisse. Si enim ex eo, quod vitulo sacrificaverint, id colligitur, utique pari ratione colligere poterimus, pontificios etiam statuere, quod imaginibus vis aliqua divina insit, (frustra renitente concilio Trident.) cum thure, precibus, votis &c. eas colant. Obliti dicuntur Dei sui, non quod Dei patrum suorum, a quo ex Ægypto educti erant, plane non meminerant, sed quia obliviscebantur mandatorum ejus, peculiariter illius, quo prohibiti erant, simulacrum aliquod ad cultum Dei fabricare; qui mandatorum Dei obliviscitur, is ipsius Dei obliviscitur; qui verum Deum aliter colit, quam in verbo præcepit, is non colit verum Deum, sed cordis sui idolum. Dicuntur gloriam suam (Deum suum) commutasse in similitudinem bovis comedentis fœnum, non quod statuerint, Deum in essentia sua talem esse, quod si vel maxime aliis, tamen Aaroni nunquam in mentem venit, sed quia vitulo isti divinos honores tribuerunt, & sic gloriam vero Deo debitam ad ipsum transtulerunt. Quamvis autem verum Deum hac ratione colere voluerint, tamen Spiritus sanctus pronunciat, ipsos verum Deum commutasse in similitudinem vituli: neque enim hac in parte respicitur colentium affectus, vel intentio, sed Dei animus ac sententia. Jer II. 27. tribuitur Israëlitis, *quod dixerint ligno, pater meus es tu, & lapidi, tu genuisti me*: Atqui reges, principes, sacerdotes ac prophetæ Israëlitarum (quos ibidem Jeremias idololatriæ accusat) non fuere tam emotæ mentis, ut statuerent, ligneas ac lapideas illas statuas esse creatores suos, alias cerebrum in calcaneo gestassent, sed quia per cultum illarum statuarum Deum creatorem colere voluerunt, ideo recte de illis hoc pronunciatur, quod honorem creatoris mutaverint in similitudinem lignex vel lapideæ statuæ.

1. μοχολάτραι.

2. Micha.

§. XCIII. II) Micha cum matre sua per simulacra Deum colens idololatriam committit. Jud. XVII. Utrumque adser-

tionis membrum ex textu satis evidens est; v. 3. dicit mater: *Sanctificando sanctificavi argentum illud,* (ex quo factum est simulacrum) *Domino*, (Jehovæ) *ut de manu mea suscipiat filius meus, & faciat* (ex eo) *sculptile atque conflatile.* v. 5. Cum argentarius ex eo feciſſet ſculptile atque conflatile, id fuit erectum in domo Michæ, is habuit ſacellum in ædibus, in quo ſimulacrum illud repoſuit: ex reliqua pecunia fecit אֵפוֹד, hoc eſt, veſtem ſacerdotalem, qua ſolebant uti ſacerdotes vet. teſt. in peragendis ſacris: *Implevitque manum unius filiorum ſuorum, & factus eſt ei ſacerdos.* Poſtmodum v. 13. ubi levitam peregre ad ſe venientem in ſacerdotem conſecraſſet, dicit: *Nunc ſcio, quod benefaciet mihi Jehova, quia levitici generis ſacerdotem nactus ſum,* quia noverat, ex ſola levitica tribu ſacerdotes eſſe deligendos, Cap. XVIII. 31. Danitæ dicuntur ſibi erexiſſe ſculptile ipſius Michæ, quod fecerat, cunctis diebus, quibus fuit domus Dei in Siloh, ex quo manifeſte patet, totum hoc negotium a Micha & ipſius matre in honorem veri Dei ſuſceptum: exiſtimarunt enim, ſe in cultu iſtius ſimulacri verum Deum culturos, ipſique gratificaturos, ac nihilominus idololatriæ accuſantur, ſimulacrum enim illud dicitur תְּרָפִים Jud. XVIII. 18. 24. Huc pertinet, quod Jud. VIII. 27. de Gedeone commemoratur, quomodo ex inauribus ſpoliorum aureis fecerit אֵפוֹד, ac poſuerit illud in civitate ſua in Ophrah. Quamvis vero Gedeon in honorem & cultum veri Dei id faceret, expreſſe enim dicit v. 23. *Jehovah vobis dominabitur*; tamen univerſus Iſraël dicitur poſt illud אֵפוֹד fornicatus, id eſt, idololatriam commiſiſſe, nimirum quia verum Deum aliter colere voluit, quam in verbo ſuo præceperat. Auguſtinus lib. VII. quæſtionum q. 41. *Non fruſtra quæritur, cum idolum non fuerit, id eſt, cujusquam dei falſi & alieni ſimulacrum, ſed* אֵפוֹד, *hoc eſt, unum de ſacramentis tabernaculi, quod ad veſtem ſacerdotalem pertineret, quomodo fornicationem ſcriptuar populi dicat iſta ſacra ntis atque venerantis, ideo ſcilicet, quod præter tabernaculum Dei, ubi erant, iſta quæ ſibi fieri juſſerat Deus Iſraël, extra ſimile aliquid fieri fas non erat, ideo ſequitur & dicit ſcriptura:* Et factum eſt Gedeon & domui ejus in ſcandalum, *id eſt, ut ab offenſo Deo diſcederet, quia & hoc quoddam genus idoli quodammodo erat, quod extra Dei tabernaculum quodlibet manu factum pro Deo coleretur, cum illa ipſa, quæ juſſa ſunt in tabernaculo fieri, ad Dei potius cultum referrentur, quam pro Deo aliquid eorum aut pro Dei ſimulacro colendum haberetur, quanquam per* אֵפוֹד *ea locutione, quæ ſignificat a parte totum, omnia poſſunt intelligi, quæ conſtituit Gedeon in ſua civitate velut ad colendum Deum ſimilia tabernacula Dei.*

§. XCIV. III) Iſraëlitæ ſervierunt Baal & Aſtharoth, Jud. II. 13. atqui Deum ipſum vocarunt Baal, hoc eſt, per cultum Baalis verum Deum colere voluerunt. Oſ. II. 16. *In die illo vocabis me, vir meus, nec vocabis me ulterius Baal,* v. 17. *auferam enim nomen Baal de ore ejus, &c.* nihilominus dicuntur malum feciſſe in oculis Jehovæ, ſerviendo Baal. Sic Jeroboamus 1 Reg. XII. 28. facit duos vitulos aureos, quorum alterum collocavit in Dan, alterum in Bethel, ac dixit: *Ecce dii tui Iſraël, qui te eduxerunt ex Ægypto.* Jeroboamo non erat propoſitum, a vero Deo Iſraëlis populum abducere, aut illi perſuadere, aureos illos vitulos vere deos eſſe, ſed ſimulacra illa ad cultum veri Dei erexit. Etenim cum metueret, ne populus Iſraëliticus adſcendens ad facienda ſacrificia in domo Dei in Jeruſalem, hac occaſione ad Roboamum relaberetur, docuit populum, vero illi Deo, qui ex Ægypto majores ipſius eduxerat, non minus ſerviri poſſe coram illis vitulis aureis, quam Hieroſolymis coram ſancto ſanctorum, ſupra quod erant cherubim, nihilominus erat idololatra 1 Reg. XIV. 9. Pertinet huc, quod de Jehu commemoratur 2 Reg. X. 25 & ſeqq. quod ſervos quidem Baalis trucidaverit, ſtatuam ejus confregerit, ædem quoque Baalis deſtruxerit, interim tamen a peccatis Jeroboami, filii Nadab, qui peccare fecit Iſraël, non receſſerit, neque dereliquerit vitulos aureos in Dan & Bethel, quorum cultores vocat ſervos Jehovæ, v. 29.

3 Iſraëlitæ.

v. 23. nimirum quia per cultum vitulorum istorum verum Deum coli existimabat. 2 Reg. XVIII. 22. Rabsaces legatis Hiskiæ respondet: *Quod si dixeritis mihi, in Jehova Domino nostro confidimus, nonne is est, cujus abstulit Hiskias excelsa & altaria? Dixitque ad Juda & Jerusalem, coram altari hoc incurvabitis vos in Jerusalem.* Ergo etiam ad gentes percrebuit ista fama, quod per excelsa & statuas illas verum Deum Israëlitæ colere voluerint. Bellarminus l. d. non improbabilem judicat sententiam Abulensis & Cajetani in c. VII. Jud. qui dicunt, duo genera idolorum fuisse apud Hebræos, *unum* sine nomine certi Dei, quale fuit idolum Michæ Jud. XVII. & forte vitulus aureus, quem fecit Aaron Exod. XXXII. & renovavit Jeroboam 2 Reg. XII. *alterum* cum certo nomine ut Baal, Moloch, Astaroth, &c. de primo genere admitti posse, quod Judæi putaverint in idolo se colere verum Deum (*).

§. XCV. IV) Gentiles verum

4. *Gentiles.* Deum, cujus aliqualem cognitionem ex libro naturæ discebant, colere voluerunt per illum, quem simulacris deferebant, honorem. Bellarminus II. de imag. c. 13. hoc præfracte negat, ac probare instituit, *gentiles habuisse idola sua pro diis, vel certe in idolis creaturas loco veri Dei coluisse.* Resp. fuerint sane quidam ex plebe tam stupidi atque excordes, ut idola illa vere deos esse statuerent; tamen plerique præsertim cultiores per imagines atque in imaginibus illis verum Deum colere voluerunt, non autem ipsas imagines deos esse existimarunt. Augustinus in enarr. Psal. CXIII. conc. 3. *Ne quisquam dicat, cum irrisa fuerint simulacra, non hoc visibile colo, sed numen, quod illic invisibiliter habitat, ipsa ergo numina in alio psalmo sic damnat scriptura; quoniam dii gentium dæmonia. Videntur autem sibi purgatioris religionis esse, qui dicunt, nec simulacrum nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo.* Chrysostomus orat. XII. de prima Dei notitia, & Maximus Tyrius serm. XXXVIII. adseverant, *summum, primum, maximum Deum, creatorem omnium & conservatorem a se in simulacris ex auro, argento & ebore factis coli.* Surius tom. V. fol. 881. refert, quod Julianus apostata, Artemium Syriæ ducem & martyrem ad idololatriam traducere conatus, hoc modo ethnicorum idololatriam excusaverit: *Non tanquam deos colunt eorum imagines, absit: hoc enim ita accipiunt agrestiores & simpliciores, sed qui cupiditate tenentur sapientiæ, & res deorum accurate inquirunt, sciunt, cuinam honorem tribuant, & ad quem transeat adoratio divinarum imaginum.* Peresius parte V. de tradit. ex c. XVII. Actor. colligit: *Multa fuisse idola, quæ tantum benefactorem Deum repræsentabant, nec omnia, quæ gentes colebant, falsum deum significasse, fuisse enim Athenis aram ignoto deo erectam, ipsi scilicet Deo, qui fecisset mundum, & omnia, quæ in eo sunt.* Fonseca in annot. margin. ad Cajetan. in c. IV. Deut. *In plerisque statuis Deum & virtutes ejus & id, quod significabatur, non signum colebant olim nonnullæ gentes, ita ut nonnulla simulacra consecrata habuerint vero Deo, alia diis falsis.* Johan. Ferus in c. 17. Act. *Tametsi gentiles idola sibi præstituebant, tamen eorum animus erat, vero Deo cultum exhibere.* Catechismus Trid. in explic. primi præc. *Præclare apostolus eos mutasse Dei incorruptibilis gloriam in similitudinem volucrum, quadrupedum ac serpentium dixit, hæc enim omnia tanquam Deum venerabantur, cum illi horum imagines ponerent.* (**)

§. XCVI.

(*) Gregorius de Valent. in tract. de idolol. lib. II. cap. 6. esse quendam simulacrorum cultum licitum putat, quod probare conatur ex 1 Petr. IV. 3. Ubi vetus interpres ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις vertit *illicitos simulacrorum cultus*, unde colligit, *quosdam igitur simulacrorum cultus esse licitos, sicut cum cædem hominis injustam audimus, jure aliquando hominem cædi posse intelligimus.* Resp. 1) Hoc epitheton ἀθεμίτοις rectius *nefarios*, quam *illicitos idolorum cultus* designat, ut Erasmus reddidit. 2) Epitheta non semper distinguendi & distribuendi, sed etiam amplificandi gratia adhibentur, ut cum dicimus *nefaria stupra, impura adulteria.* 3) In ep. Jud. v. 11. dicuntur *peccatores impii*, nemo tamen inde colligit, esse quosdam peccatores pios, quatenus tales manent. GERHARDVS.

(**) Jer. II. 11. Deus testatur de ethnicis, *quod deos suos vana-*

Tertium argumentum contra cultum imaginum.

§. XCVI. Denique hoc argumento utimur contra religiosum imaginum cultum. Omnis εἰδωλοθρησκεία adversatur primo præcepto. Religiosus imaginum cultus est εἰδωλοθρησκεία. Ergo religiosus imaginum cultus adversatur primo præcepto. *Majorem* confirmatam dedimus superius, *minor* ex eo patet, quod religiosus imaginum cultus destituitur mandato, promissione & adplicatione scripturæ sacræ. Adrianus I. in epist. ad Constantinum & Irenen Augg. quæ in actis concilii Niceni II. habetur, operose probat, non quod Deus jusserit imaginem aut creaturam aliquam religiose adorari, sed quod cultus propria voluntate susceptus Deo probetur. Recitatur ibidem dictum cujusdam Stephani Bostrorum episcopi: *Quicunque imagines divorum confitentur, non errant: siquidem omne opus factum in nomine Dei bonum & sanctum est.* Thomas III. sent. dist. 9. q. 1. art. 2. resp. ad 3. Marsilius III. sent. q. 8. art. 2. dub. 2. resp. ad 5. fatentur, cultum imaginum non posse ex scriptura probari.

Dicta scripturæ pro stabiliendo imaginum cultu allata.

1. Cherubin & serpens æneus.

§. XCVII. Excipit Bellarminus lib. II. de imag. c. 12. non destitui cultum imaginum scripturæ testimonio, cum tria genera testimoniorum præsto sunt. *Primo* ea, quæ expresse agunt de imaginibus, nimirum Ex. XXV. de cherubim propitiatorii, & Num. XXI. de æneo serpente. Imagines enim cherubim super arcam existentes necessario adorabantur ab iis, qui arcam adorabant. Serpens quoque æneus non poterat non honorari, cum in loco sublimi a Deo positus fuisset, & salutem miseris in se adspicientibus adferret. *Resp.* 1) nec arcam nec cherubim Israëlitæ adorabant, sed verum Deum, qui apud arcam illam peculiari modo sese præsentem fore pollicitus erat. Vetustissimus mos est facie ad orientem versa adorare, nec tamen ipse oriens simul adoratur. Magi Christum infantulum in præsepi positum adorabant, nec tamen ipsum præsepe simul adorabant. Qui canebant Christo hosianna, cum asino veheretur, ita potuerunt eum adorare, ut tamen non adorarent asinum. Coram altari, coram baptisterio Deum adoramus, nec tamen altaria vel baptisteria adoramus. 2) Serpens æneus poterat absque religioso cultu adspici, neque etiam debebat religiose honorari. *Illud*, quia non est necesse, ut id, quod in sublimi loco positum, & salutem adfert hominibus, religiose colatur, alias etiam sol, luna ac reliqua cœli sidera essent colenda. *Hoc* vero, quia serpens iste a Mose erigebatur, non ut honoraretur, sed ut adspiceretur, ac typus esset Christi suo olim tempore in crucem agendi & salutem collaturi his, qui oculis fidei eum adspicerent Joh. III. 14. Refert Lyranus ex Rabbi Salomone, in ipso serpente non fuisse virtutem sanandi, sed adspicientes serpentem cognovisse, quod afflictio illa juste sit a Deo illata, ac petentes ab eo misericordiam sic esse sanatos. Quin imo cum serpens ille religiose per sacri-

nunquam mutaverint. Jam vero manifestum est, imagines ac statuas deorum subinde a gentibus varie immutari, adeoque uni Deo v. g. Jovi aut Marti plures imagines erigi consuevisse. Ergo imagines ab ethnicis non pro diis, sed pro *deorum signis*, ut Cicero loquitur, fuere habitæ atque cultæ. Id adeo certum est, ut vereres Dd. cum adversus idololatriam gentilium scriberent, in hac illorum exceptione refellenda quasi ex professo insisterent. Vide *Lactantium* in l. inst. *Arnobium* l. VI & VII. contra gentes, *Clementem Alex.* in l. stromat. *Athanasium* contra idola, *Augustinum* in Ps. CXIII. Arnobius: *Sed inquiunt*, (ethnici idololatræ) *nos neque æra, neque auri argentive materias aut alias, quibus signa confiant, eos esse per se deos, & religiosa decernimus numina, sed eos ipsos in his colimus ac veneramur, quos dedicatio infert sacra & fabrilibus efficit inhabitare simulacris.* Resp. autem Arnobius: *id æque absurdum esse, ac si statuas & simulacra deos esse putes.* Atqui 1) Judæi & ethnici illas statuas deorum nomine insignire consueverunt. *Resp.* est usitata *metonymia*, qua signo nomen rei signatæ tribuitur, sicut ipsi adversarii imaginibus nomen prototypi imponunt, & in sacris literis simulacra boum, leonum, cherubinorum appellantur boves, leones &c. 2) Idololatræ dicuntur deos alienos coluisse & veri Dei oblivisci esse Deut. XXXII. Ps. CVI. *Resp.* per religiosum cultum fiunt ex imaginibus dii alieni, & Dei obliviscuntur, qui non solum cum juxta verbum. GERHARDVS.

sacrificia coli inciperet, ab Ezechia rege abolitus & exustus est. 2 Reg. XVIII. 2 Paral. XXIX.

§. XCVIII. *Secundo* loco Bellarminus adfert illa testimonia, quæ docent, creaturas religiose honorandas propter solam relationem ad Deum, ut Ps. XCIX. 5. *Adorate scabellum pedum ejus.* Matth. V. 34. 35. *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est, nec per terram, quia scabellum est pedum ejus*: ubi prohibentur juramenta sine debitis circumstantiis per cœlum & terram, ne contumelia fiat ejusmodi creaturis, quatenus relationem habent ad Deum. Resp. 1) Verba hebræa psalmi sic habent:

1 *Ps. 99. adorate scabellum pedum ejus.*

הִשְׁתַּחֲווּ לַהֲדֹם רַגְלָיו קָדוֹשׁ הוּא. *Adorate ad scabellum pedum ejus, quia sanctus ipse.* Per *scabellum pedum* quidam intelligunt terram, quæ Matth. V. 35. & Act. VII. 49. eo nomine adpellatur, sed rectius arca fœderis hoc loco intelligitur, cum Ps. XCIX. 1. Deus dicatur *insidere cherubim*, qui erant supra propitiatorium arcæ impositum, quæ & alibi 1 Paral. XXVIII. 11. 2 Es. LX 13. Thren. II. 1. scabellum pedum Dei dicitur. Porro cum hebræa verba utroque modo converti possint: *adorate scabellum pedum ejus, & adorate ad scabellum pedum ejus*, ideo quidam priorem, quidam vero posteriorem versionem amplectuntur. Priorem sequitur Bellarminus, sed posteriorem præferendam esse constat ex his fundamentis. Deus nuspiam legitur sanxisse, ut adoraretur arca fœderis; sed sese peculiari ratione præsentem in tabernaculo ad arcam fœderis adorari jussit. Nec sancti viri ipsam illam arcam fœderis, sed ad arcam Deum adorarunt. 1 Paral. XIII. 6. *Adscendit David & omnis vir Israël ad collem Kirjath-Jearim, qui est in Juda, ut adferret inde arcam Domini Dei sedentis super cherubim, ubi invocatum est nomen ejus.* Quid quod in hoc ipso Ps. V. 9. simili loquendi modo dicitur, הִשְׁתַּחֲווּ לְהַר קָדְשׁוֹ προσκυνεῖτε εἰς ὄρος ἅγιον αὐτοῦ, *adorate in monte sanctitatis ejus.* Et Ps. CXXII. 7. נִשְׁתַּחֲוֶה לַהֲדֹם רַגְלָיו προσκυνήσωμεν εἰς τὸν τόπον, ὃ ἔστησαν οἱ πόδες αὐτοῦ. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Augustinus, cum hebrææ linguæ non adeo gnarus esset, nec videret, quomodo scabellum pedum Dei adorari posset, ad carnem Christi totum hoc refert. *Fluctuans* (ait) *converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic & invenio; quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum ejus, suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ terram accepit, & quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: inventum est, quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando &c.* 2) Sententia Christi de juramentis opposita est Pharisæorum corruptelis, qui existimabant, fidem datam per juramentum, in quo non expresse nomen Dei, sed aliæ formulæ, licet oblique & indirecte ad Deum referrentur, interponebantur, impune posse falli, sicut Christus ipse explicat Matth. XXIII. 16. vel tales jurandi formulas, in quibus ipsum nomen Dei expresse non nominabatur, libere & absque peccato contra secundum præceptum decalogi posse in familiari sermone & in quibusvis casibus usurpari. Ostendit autem Christus Matth. XXIII 16. & seq. quando in formulis juramentorum mentio sit creaturarum, tunc jurisjurandi religionem & invocationem non dirigi ad creaturas, vel ibi subsistere, sed oblique, indirecte seu mediate, referri ad ipsum Deum, & quidem solum, qui præsentiam, gloriam, potentiam & operationem suam illustri aliqua ratione in creaturis patefecit, uti hæc explicantur a Chemnitio c. LI. harm. p. 363. sed ex eo nondum sequitur, per imagines etiam jurari, vel aliam religiosi cultus partem ad eas transferri posse, neque enim in imaginibus gloria, potentia ac majestas Dei eo modo elucet, quo in creaturis est conspicua. Quid quod Hieronymus statuit, Christum hoc loco simpliciter damnare formulas jurandi per creaturas tanquam impias? Quidam etiam disputant, tales loquendi formulas, non tam juramenta, quam obtestationes adpellandas esse, cum jurisjurandi religio sit honor ac cultus soli Deo debitus.

3. Creaturæ dicuntur sacræ.

§. XCIX. *Tertium* genus testimoniorum arcessit Bellarminus ex illis scripturæ locis, quæ docent, creaturas dici *sacras* propter relationem ad res sacras vel sanctas. Exod. III. 5. *Locus, in quo stas, terra sancta est*, propter angeli scilicet præsentiam. Exod. XII. 14. *Dies paschæ, dicitur sancta & venerabilis*, propter significationem, & quia dedicata erat cultui divino. Exod. XXVIII. 2. dicuntur *vestes sacerdotum sanctæ*, propter eandem causam. 2 Tim. III. 15. *scripturæ dicuntur sacræ literæ*, quia signa sunt sacrarum rerum, nec solum literas, sed etiam verba ipsa prolata venerari consuevimus, præsertim nomen *Jesus*, & evangelium audimus stantes detecto capite &c. At imagines Christi & sanctorum etiam institutæ sunt ad significandas & repræsentandas res sacras: an ergo eas honorare non liceat? *Resp.* Magna omnino in exemplis hisce occurrit diversitas, ac proinde ex illis colligi nequit, quod Bellarminus sibi colligendum proposuit. Exod. III. 5. locus, in quo stabat Moses, dicitur *sanctus*, tum propter Dei patefactionem, tum propter verbi prædicationem. Quamvis enim Augustinus tract. III. in Johan. creatum angelum Mosi adparuisse statuat, idem tamen II. de Trinit. cap. 13. rectius sentit, per angelum illum Filium Dei intelligi posse, quod non solum ex v. 4. 6. & seqq. sed etiam ex Deut. XXXIII. 16. patet. *Benedictio ejus, qui adparuit in rubo, veniat super caput Josephi.* Idem statuit Eusebius lib. I. hist. cap. 2. Dies paschatis & vestes sacerdotales dicuntur *sanctæ*, propter eandem causam, ob quam tabernaculum dicitur sanctuarium, nimirum quia cultui divino sunt consecratæ. Scripturæ dicuntur sacræ, quia sunt θεόπνευστοι, a Spiritu sancto inspiratæ, quia tractant res sacras, & pia eorum meditatione Spiritus sanctus hominem sanctificat. Sed imagines aliquo horum modorum sanctas dici, probandum adhuc erat Bellarmino, neque enim divino cultui sunt consecratæ ipsius Dei voce & instituto. Ac si vel maxime sacræ dicuntur, ex eo tamen nondum evinci potest, religiosæ adorationis & venerationis cultu eas honorandas esse, sed externam sive ceremonialem quandam honorificentiam, quali templa ac vasa seu utensilia ejus εὐχημόνως haberi solent, ipsis propter hoc nomen competere. Nomini *Jesu* honorem exhibemus, & ei genua flectimus, secuti præscriptum apostoli Philipp. II. 10. non quod ipsi sono vocis vel apicibus literarum vim quandam occultam inesse statuamus, sed ut profiteamur, nos credere in *Christum* θεάνθρωπον, salvatorem nostrum unicum, cui ex mortuis resuscitato & ad dextram Patris evecto summus ille honor subjectionis & adorationis debeatur.

Ex conciliis & Patribus.

§. C. De conciliorum ac patrum sententiis, quas secundo & tertio loco Bellarminus adducit, consulatur Chemnitius in exam. concil. Trid. Notum est, patres concilii Francofurtensis a Carolo Magno anno 794. ex Gallia, Italia & Germania magno numero congregatos, media via ingressos esse, & cum Niceno concilio II. contra Constantinopolitanum statuisse, quod imagines haberi fas sit: contra vero cum concilio Constantinopolitano contra Nicenum II. pronunciasse, quod imagines adorari fas non sit, qua de re testantur Ado Viennens. in chron. an. 795. Abbas Conradus Urspergens. an. 793. Hincmarus Remensis in l. cont. episc. Laudunensem, Aventinus in annal. Boiorum lib. IV. Antoninus lib. IV. c. 85. Regino lib. II. Schaffneburg. Sigebertus, Eginardus in vita Caroli M. apud Erphordiensem c. 69. Blondus lib. I. decad. 2. Mutius lib. IX. Carolini libri de imagin. Omnes istos scriptores mentiri, vel libros eorum corruptos esse, impudenter adserit Alanus Copus dial. IV & V. cujus sententiam optat quidem veram esse, sed tamen falsam suspicatur Bellarminus lib. II. de imag. c. 14. qui aliud quærit effugium, nimirum decretis hujus synodi non consensisse Romanum pontificem. Atqui norma conciliorum non est sententia Romani pontificis, sed scripturarum auctoritas. Nicenum II. quam fuerit turbulentum, ac quibus rationum momentis imaginum cultum adstruxerit, petatur ex actis istius concilii. Patres absolute definiunt idololatriam, qua honor divinus tribuitur creaturæ, interdicunt, ne qua Dei simi-

similitudo fiat, imagines adorari prohibent, eos, qui contra agunt, hæreticis accensent, qua de re videatur Irenæus lib. I. adv. hæres. c. 24. Epiphanius tom. II. lib. 1. hæres. 23. Augustinus de hæres. ad Quodvultdeum, hæres. 7. Theodoretus lib. I. hæret. fab. *Nos crucem nec adoramus nec optamus*, ait Minutius Felix in Octavio. *Invenit Helena crucem Domini, regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis error est, sed adoravit illum, qui pependit in ligno*, scribit Ambrosius serm. de obitu Theodosii. *Perlatum ad nos fuerat*, (scribit Gregorius ad Serenum Massilienſem episcopum lib. IX. epist. 9. & habetur c. perlatum dist. 3. de consecrat.) *quod inconsiderato zelo succensus sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris, & quidem eas adorari vetuisse, omnino laudamus, fregisse vero reprehendimus. Die frater, a quo factum esse sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Aliud enim est picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere.* Quinimo non dubitat Erasmus adserere in symb. catech. VI. p. 207. *Usque ad ætatem Hieronymi fuisse probatæ religionis viros, qui in templis nullam ferre voluerunt imaginem nec pictam, nec sculptam, nec textam, ne Christi quidem, propter anthropomorphitas, paulatim autem imaginum usum irrepsisse in templa &c.*

4. *Ex miraculis.*

§. CI. *Quartum* argumentum petit Bellarminus ex miraculis, quæ per imagines Christi & sanctorum facta; sed cum manifestum sit, non omne id, per quod miracula fiunt, adorandum esse, (ut silentio involvamus, miracula illa, per statuas facta, ut plurimum esse fictitia, quod de quibusdam concedit Gregorius de Valent. cont. Heerbrand.) ideo Bellarminus probare conatur, miracula, per imagines facta, ideo facta esse, ut sancirent imaginum cultum, *cur quæso*, ait, *ignis cœlestis discerpsit statuam Juliani, nisi ut vindicaret injuriam factam statuæ Christi? cur ab imagine a Judæis confossa sanguis prodiit, ut est apud Athanasium lib. de passione imaginis Domini, nisi ut ostenderet, se honorare id, quod Judæi contumelia adficiebant. Cur illis duntaxat conferuntur beneficia per imagines, qui honorant & colunt imagines?* Resp. 1) Ethnicorum idolis itidem miracula & sermones tribuunt historici, ecquis vero hoc nomine religiose ea coleret? Valerius Maxim. lib. I. memorab. c. 2. *Acer sui numinis vindex Apollo, qui Carthagine a Romanis oppressa, veste aurea indutus id egit, ut sacrilegæ manus inter fragmenta eis abscissæ invenirentur*, c. 8. *Fortunæ muliebris simulacrum non semel, sed bis locutum constitit* &c. Vide ibidem plura, ut & apud Augustinum lib. IV. de civ. Dei c. 19. 2) Miracula absque verbo nihil probant, sed sunt instar sigilli a literis avulsi. 3) De statua ænea ab hæmorrhousa erecta Eusebius nuspiam dicit, quod religioso aliquo cultu a christianis fuerit honorata, quinimo non fuit in oratoria christianorum translata per trecentos annos, sed tempore demum Juliani apostatæ fragmenta ejus a Juliano collisæ sunt in templum reposita ac adservata, referente Sozomeno lib. V. c. 20. Quod autem Nicephorus lib. X. hist. c. 30. addit, *christianos statuam illam in diaconico ecclesiæ loco honoratiori posuisse, & cultu convenienti eam prosecutos fuisse*, in eo posteriorum temporum superstitiones vetustis historiis suo more adsuit. In primitiva certe ecclesia ad cultum istam statuam non fuisse usurpatam, ex eo manifeste patet, quod Nicephorus ibidem commemorat, *temporis diuturnitate oblivionem inductam fuisse, cujusnam ea statua formam referret, & ejus rei gratia ibi collocata esset, quia enim sub dio steterat, corpus fuisse mutatum, & imbres ex locis superioribus limum secum trahentes statuæ ipsi aggessisse, ut literæ non adparerent.* 4) Librum de passione imaginis non esse Athanasii, plurimæ evincunt circumstantiæ, adeo ut ipse Bellarminus eum non audeat Athanasio tribuere II. de imag. c. 10. Nannius Lovanienſis non diffitetur, suppositium esse. Sed quicquid sit de miraculis per imagines editis, adorandas propterea illas esse, probari nulla specie potest; quis enim unquam apostolorum tempore adoravit umbram Petri, vel sudaria & semicinctia Pauli? imo ipsi apostoli divinum

vinum adorationis cultum sibi exhiberi diserte prohibuerunt Act. X. 26. & XIV. 15.

Ex rationibus.

§. CII. *Quintum* Bellarmini argumentum prodeat. *Homo dignus est veneratione, quia imago Dei est. Ergo & Christi & sanctorum imagines veneratione dignæ sunt.* Resp. Honor, qui confertur homini ratione vel officii vel donorum, est civilis quædam reverentia, & ad secundam decalogi tabulam pertinet; sed honor, quem imaginibus deferri vult Bellarminus, est cultus religiosus. Clemens Rom. lib. V. recogn. plane invertit hoc argumentum, siquidem gentilibus, qui vitio vertebant christianis, quod religionem haberent absque simulacris, respondet hoc modo: *Si vere velitis Dei imaginem colere, homini benefacientes, veram in eo Dei imaginem coleretis. Si ergo vultis vere Dei imaginem honorare, nos vobis, quod verum est, aperimus, ut homini, qui ad imaginem Dei factus est, benefaciatis. Hæc autem in tantum ad honorem Dei imaginis cedunt, ut, qui ista non fecerit, contumeliam imagini divinæ intulisse credatur. Quis ergo iste honor Dei est per lapideas & ligneas discurrere formas, & inanes atque exanimes figuras tanquam numina venerari, & hominem, qui est vere imago Dei, spernere?* Hæc Clemens ille. Invertimus proinde argumentum hoc modo: si adorandæ ac colendæ sunt imagines Dei ac Christi, certe vivæ potius adorandæ essent & colendæ, quam mortuæ, quæ ex auro, argento, lapide &c. manibusque hominum conficiuntur. Jam vero nemo statuit, vel Deum Patrem in homine vivo, vel Christum Filium ejus in Christiano vivo, vel Spiritum sanctum in columba viva adorandum esse & colendum, proinde multo minus convenit, ut Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum in mortuis, insensatis, ac mutis imaginibus adoremus ac colamus. Augustinus lib. VIII. de civit. Dei cap. 16. *Religionis cultus, qui debetur ex animo, nequaquam ei rei debetur, quæ inferior est animo.* Baronius anno 814. sect. 38. ex Theodoro Studita scribit, *honorem imaginis sive naturalis sive artificialis redire ad prototypum:* Ergo, si artificialis imago religiose colitur, utique & naturalis religiose colatur.

§. CIII. *Sextum* argumentum. *Imago regis venerabilis est honore quodam civili. Ergo imagines Christi & sanctorum sunt honorabiles cultu religioso.* Resp. 1) De cultu Dei judicandum est ex verbo patefacto, non ex consuetudine seculi, neque ex nostris ratiocinationibus. 2) In homine pio longe expressior similitudo & imago Dei est, quam in ulla picta vel sculpta imagine, nec tamen cultu religioso pii sunt honorandi. 3) Num & sic argumentabimur: ministri ecclesiæ sunt *legati Dei*, 2 Cor. V. 20. jam vero legatus regis honoratur quandoque honore regis proprio, ut disputat Bellarminus lib. II. de imagin. c. 20. dist. 3. cui honoris generi confert cultum imaginibus debitum c. 23. Ergone etiam legatis Dei debetur honor Deo proprius? 4) Si quis principis imaginem tantum non adficiat dedecore, is sufficienter eam honoravit: ita quoque sufficit ad honorem imaginum, si non tractentur ignominiose. 5) Optima ratio colendi imaginem Dei proponitur nobis in sacris literis, quæ in eo consistit, ut egenis Christi membris benefaciamus, dona Dei in aliis reverenter agnoscamus, honore nos invicem præveniamus &c.

§. CIV. *Septimum* argumentum. *Imago est capax injuriæ & contumeliæ. Ergo & honoris atque cultus.* Resp. Utriusque quidem honoris civilis & religiosi capax est imago, sed posteriorem illi deferre divina lege prohibemur. Gen. IX. 6. prohibetur effusio sanguinis humani argumento, quia *ad imaginem Dei factus est homo.* Imago Dei viva capax contumeliæ, ergone etiam cultus religiosi? *Octavum* argumentum. *Idola gentium merito exsecramur & confringimus, quod non fit, nisi ratione significationis, quia sunt imagines falsorum deorum. Ergo e contrario imagines Christi & sanctorum honorabiles sunt, quia res vere bonas significant.* Resp. Idola gentium non tantum ratione *significationis*, sed maxime ratione *cultus* confringuntur, sublato cultu idololatrico memoriæ causa retineri possunt, sicut Constantinus imperator & Theophilus episcopus eo fine quo-

quorundam ethnicorum idolorum statuas leguntur adservasse, ut essent idolomaniæ ethnicæ testes. Eusebius in vita Const. l. III. c. 52. Socrates lib. V. hist. c. 16. Imagines Christi & sanctorum retineri & honeste tractari posse, ne tamen contra Dei præceptum adorentur. Nono. *Iconomachi fuerunt impii, qui imagines defenderunt, viri sancti.* Decimo. *Iconomachi infelicem sortiti sunt exitum, qui imagines defenderunt, felicitate donati.* Resp. Iconomachorum atque iconoclastarum temeritatem non adprobamus, iconolatrarum interim superstitionem vehementer improbamus, sed nec ab omni errore sancti sunt immunes, nec ex felicitate externa potissimum æstimandi.

§. CV. Finiemus hanc de cultu imaginum dissertationem, ubi prius monuerimus, ab ipsis pontificiis quibusdam scriptoribus eum improbari, quæ de re ita scribit Cassander in consult. ad impp. Ferdinandum & Maximilianum loco de imag. *Ad imagines sanctorum quod attinet, certum est, initio prædicati evangelii aliquanto tempore inter christianos, præsertim in ecclesiis, imaginum usum non fuisse, ut ex Clemente & Arnobio patet. Quantum autem veteres initio ecclesiæ ab omni veneratione imaginum abhorruerint, declarat unus Origenes adversus Celsum, ubi ait:* Impossibile est, ut qui Deum novit, fiat supplex statuis, nec hoc tantum stultum est, si quis preces offert simulacris &c. *Nos vera ideo quoque non honoramus simulacra, ne quando in eam incidamus credulitatem, ut & iis tribuamus aliquid divinitatis.* Addit Cassander: *Nec valebat tunc illa ratio, quæ a nonnullis obtendi solet, honores istos non simulacris, sed iis, quorum speciem repræsentant, deferri: hic enim color a paganis quoque adferri solebat, ut est apud Arnobium. Non, inquiunt, materias æris, auri, argenti & alias, ex quibus signa conficiunt, eos per se deos esse & religiosa numina discernimus, sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra.* Et apud Lactantium: *Non ipsa, inquiunt, simulacra timemus, sed eos, ad quorum imaginem facta, & quorum nominibus consecrata sunt. Verum hunc cultum, qui Deo per imagines exhibetur, non satis aptum & convenientem esse Deo, sed a superstitiosis hominibus excogitatum, ex paganis quoque prudentissimi animadverterunt. Auctor enim est Augustinus, Varronem dixisse, antiquos Romanos annos 170. deos sine simulacro coluisse. Qui mos si (inquit Varro) adhuc manisset, castius dii observarentur, atque hujus suæ sententiæ testem adhibebat inter reliquos gentem etiam Judaicam. Idem Clemens tradit, Christianis vetitum fuisse, artem fallacem (picturam) exercere. Adpellat quoque speciosum quidem, sed improbum artificium, quod postea quam floruit, auctus est error. Et prophetiam citat, quæ dicit:* res hic sese habebunt infeliciter, quando crediderint statuis. *Sicut & concilium Eliberitanum anno 320. celebratum decrevit:* Picturas in ecclesia esse non debere, ne, quod colitur, in parietibus pingatur. *Prudenter quoque post hos monuit Gerson in declarationibus defectuum ecclesiasticorum:* Judicate, *inquit*, si tanta imaginum & picturarum in ecclesiis varietas expediat, & an non plures nonnunquam simplices ad idololatriam convertantur? *Et sanioribus scholasticis displicet sententia Thomæ, qui censet, imaginem eadem adoratione colendam, qua res ipsa colitur, quæ per imaginem significatur. Gabriel quoque Biel saniorem sententiam refert eorum, qui dicunt, quod imago, neque, ut consideratur in se, secundum quod lignum est, lapis aut metallum, neque ut consideratur secundum rationem signi & imaginis, est adoranda, quia qualitercunque consideretur, est res quædam insensibilis & creatura, cui adoratio latriæ minime est exhibenda. Quapropter* (ait Cassander) *merito reprehenditur a posterioribus & sanioribus scholasticis opinio Thomæ, ut minus tuta & periculosa, adserentis, crucem Christi adorandam adoratione latriæ, eo videlicet adoratione, qua Christus ipse est adorandus, qua de re disputat Johannes Picus Mirandulanus concl. III. quæ est hujusmodi:* Nec crux Christi, nec illius imago adoranda est adoratione latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas. *A Thoma dissentientes commemorat*

Cassandri sententia de imaginibus.

Durandum, Henricum de Gandavo, Johannem Guarranum, Robertum Holkot & Petrum de Aquila, Franciscum Maronis &c. Tandem concludit Cassander: *Neque vero satis esse videtur, si conditionibus & admonitionibus populus ab illis erroribus avocetur, nisi etiam principum & episcoporum communiter id cura efficiatur, ut quàm minima perturbatione fieri potest, hujusmodi errorum occasio præscindatur. Quamdiu enim serico, auro & gemmis ornatæ statuæ in templis & aris constituentur, superstitionis finis sperandus non est. Et ad cultum veræ Dei imaginis, id est, hominis, invitandus populus, qui cultus constat in egenorum subventione, qui non modo imaginem Dei, sed vicem & personam Christi nobis repræsentant. Christus enim in judicio, ut in libris suis inquit magnus ille imperator, non est dicturus:* Quicquid uni ex imaginibus istis feciſtis, mihi feciſtis: *Sed* quicquid uni ex minimis istis feciſtis &c. Idem de synodo Francofortensi sic scribit: *Cum apud Græcos acres contentiones & magni motus imaginum causa exstitissent, nec illi sibi constarent, aliis atque aliis nunc imagines confringentibus & delentibus, nunc vero coli & adorari jubentibus, ecclesia Romana confractionem omnino damnavit, usum vero in tota ecclesia Romana & per totum fere orbem jam receptum retinendum censuit. Quam consuetudinem ecclesiæ Romanæ, quæ pariter confractionem & adorationem improbat, Gallicanæ & Germanicæ ecclesiæ aliquot annis diligenter sunt secutæ, & fortiter tutatæ sunt, usque adeo, ut, cum in synodo Nicena sub Constantino & Irene de imaginibus adorandis aliquot decreta edita fuissent, atque exemplar illius Germanicæ synodi Francofurtum (ubi tunc a Carolo episcoporum Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ, Italiæ, adversus Felicem quendam, Orgelitanum episcopum, Christum ratione humanæ naturæ filium adoptivum adserentem frequens synodus habebatur) allatum & jussu Caroli diligenter lectum fuisset, cui synodo etiam legati Romani pontificis interfuerunt: summo patrum consensu Græca illa synodus, qua parte imagines adorandas censebat, improbata & damnata fuit, ut quæ non modo divinis literis & antiquæ patrum traditioni, sed etiam consuetudini Romanæ ecclesiæ adversaretur. Quæ damnatio etiam actis & capitibus illius Francof. synodi inserta fuit. Atque ea de re Caroli ipsius titulo quatuor libri conscripti fuerunt, quorum Hincmarus episcopus Remensis meminit, & eorum exemplum hodieque in bibliotheca Vaticana, & in nonnullis Galliæ locis exstat, qui libri & rationes orientalium diligenter confutant, & quæ hactenus fuerat, ecclesiæ Romanæ sententiam acriter defendunt. Quæ sententia breviter comprehenditur in epistola Gregorii ad Serenum episcopum Massiliensem: quam Carolus in suo scripto lib. II. c. 23. ponit, cujus hoc est argumentum:* Imagines a b. Gregorio, Romanæ urbis antistite, & adorari prohibentur & frangi. *Breviter autem & scite moderatam hanc de usu imaginum sententiam expressit Carolus lib. IV. adv. Synod. Græc. c. 9.* Imagines nil, si non habentur, derogant, nil, si habentur, prærogant, cum tamen abdicatæ quandam incautam levitatem adferant, adoratæ vero culpam inurant. *Cum autem postea Romani pontifices Græcis in hac causa paulatim concederent, ecclesiæ tamen Gallicanæ & Germanicæ in hac sententia & moderatione, quam primum a Romana ecclesia receperant, in Francofortensi concilio probata, constantissime aliquot seculis perdurarunt, ut ex scriptoribus Gallicanis constat, in quibus est vir eruditus Jonas, episcopus Aurelianensis. &c.* Idem: *Manifestius est, quam ut multis verbis explicari debeat, imaginum & simulacrorum cultum nimium invaluisse, & adfectioni seu potius superstitioni populi plus satis indultum esse, ita, ut ad summam adorationem, quam pagani suis simulacris & imaginibus effingendis & exornandis admiserunt, nihil a nostris reliqui factum esse videatur. Quare & prudentes in ecclesia catholica viri jam olim modum aliquem huic rei ponendum & superstitioni occurrendum esse censuerunt, in quibus fuit Guilhelmus ille Durandus, episcopus Meldensis, de modo concilii generalis celebrandi.* Hæc omnia Cassander. Corn. Agrippa de vanit. scient. c. LVII. *dici non potest, quanta idololatria apud rudem populum ala-*

alatur per imagines. Ethnici, cum ad Christi religionem conversi erant, in ecclesiam nostram simulacra & multas steriles ceremonias introducebant, quarum omnino nihil est apud primos illos & vere christianos. Joh. Caspar Rutlandus in locis comm. theol. tit. XIV. de imag. *Christiani imagines Christi, b. virginis & sanctorum habent tanquam memoriale, ut nos admoneant. Dum enim intuemur imaginem Christi crucifixi aut resurgentis, statim revocantur nobis in memoriam salvifica mors Christi & gloriosa ejus resurrectio &c. Quod si autem alicubi esset imago, ad quam rude vulgus accurreret, ut eam adoraret, & apud eam auxilium quæreret, hanc debet magistratus ejus loci tollere &c. Debent etiam prædicatores populum rudem ac superstitiosum informare, ne putent imaginibus aliquid divini numinis inesse, & ideo eis magna superstitione peculiares cultus & honores tribuant. Liber quidem per se est usus imaginum, modo caveatur abusus & superstitio, quæ hactenus servata est apud vulgum in statuis Christi & sanctorum, quæ superstitio debet per concionatores corrigi & emendari, non tamen usus imaginum omnino tolli debet e templis &c.*

Generalis promissio ac comminatio primo præcepto addita.

§. CVI. Atque hæc dicta sint de tertia primi præcepti parte, videlicet de appendice illa εἰδωλῃ imagines concernente; restat pars *quarta*, quæ est generalis promissio ac comminatio ad totam legem pertinens, hisce verbis Exod. XX. 5 & 6. proposita: *Ego sum Dominus* (Jehovah) *Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem odio me habentium, & faciens misericordiam in multa millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Hanc promissionem ac comminationem dicimus generalem esse ad omnia omnino decalogi præcepta referendam, id quod plurale מִצְוֹתָי, *præcepta mea*, hoc loco usurpatum manifeste evincit. Quemadmodum enim primum præceptum est ὡς εἰπεῖν præceptum præceptorum, fons & caput ceterorum omnium, cujus vis ad reliqua omnia spargitur & promanat: ita promissio & comminatio primo huic præcepto addita generalis est, per omnia decalogi præcepta deducenda. Id ipsum repetitio horum verborum Exod. XXXIV. 6 & 7. itidem non obscure confirmat.

Quinque rationes ad obedientiam excitantes in ea propositæ.

§. CVII. Proponuntur autem in his verbis rationes satis efficaces, quibus ad præstandam mandatis suis obedientiam hortari nos Deus voluit, continent enim minas gravissimæ ultionis inobedientibus paratæ, & promissionem singularis beneficentiæ obedientibus exspectandæ. Enucleatius dicendo, quinque rationes hic proponuntur, quibus ad obedientiam excitamur. *Primo* enim Jehova se vocat Deum nostrum non solum creationis jure, sed & aliorum beneficiorum respectu, præsertim ratione fœderis nobiscum initi, qua de re plura diximus superius §. XLIV. *Deinde* vocat se Deum fortem אֵל, proprie significat *potentem*, per antonomasian κατ' ἐξαίρετον λόγον tribuitur Deo, cujus potentia est infinita, ad omnes ac super omnes creaturas se extendens, a cujus potentia dependent omnia in cœlo & terra, quæcunque aliqua potentia, virtute vel facultate sunt instructa, ac propter hæc dona ab ipso accepta ad præstandam obedientiam & cultum ipsi adstringuntur. Ostendit igitur Deus hac adpellatione, sibi non deesse robur ad puniendum contumaces & benefaciendum morigeris. *Tertio* adpellat se ipsum קַנָּא, *zelotem*, קנא significat *zelum habere*, quod simul ex favore & ira provenit, quando scilicet timetur, ne alteri attribuatur, quod cum nemine quis habere vult commune. Usurpatur proprie de marito, qui ex sincero amore erga conjugem ferre non potest, ut fidem conjugalem sibi soli debitam ad alium transferat. Ostendit igitur Deus, se non posse spirituale illud adulterium ferre, quo honor, cultus, dilectio & fiducia sibi debita transferatur ad creaturas vel fictitia numina, sed acerrimum fore honoris sui vindicem. Origenes hoc loco: *Qui legitimo utitur matrimonio, non patitur uxorem peccare, sed accenditur zelo ad servandam castitatem matrimonii: sic animam sibi spiritualiter conjunctam Deus non patitur*

titur peccare, nec ferre poteſt, ut alludat adulteris. Si autem viderit eam temerantem conjugii jura, dat ei libellum repudii, Eſa. L. 1. *eſt autem novum genus bonitatis ejus, ut etiam poſt adulterium revertentem & toto corde pœnitentem ſuſcipiat*, Jer. III. 1. *Quarto* minatur Deus, ſe viſitaturum iniquitates parentum in filiis in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt ipſum. Oſtendit igitur, ſe non eſſe ſimilem falſis gentilium diis, qui nec bene nec male facere poſſunt, ſed graviter punire non ſolum illos ipſos, qui reluctantur & inique agunt, ſed etiam ipſorum poſteros in tertiam & quartam generationem. Quod nominatim tertia & quarta generatio exprimitur, id quidam ſecuti Auguſtinum quæſt. XLII. in Deut. eo referunt, *quod ſeptenarius, qui ex ternario & quaternario conjunctis oritur, ſit numerus perfectionis, ut hac ratione perfectum Dei odium adverſus peccantes denotetur.* Lyra in c. XX. Exod. hanc adfert rationem, *quia mali homines vident filios ſuos usque ad tot generationes, & ſic informant eos ſuis malis exemplis, vel illi imitantur, quod viderunt in patribus. Denique* promittit Deus, ſe miſericordia uſurum in multa millia erga eos, qui ipſum diligunt, & mandata ejus obſervant. Pœnas minatus erat in tertiam tantum & quartam generationem; miſericordiam extendit in milleſimam, ut oſtendat, ſe magis ad miſericordiam, quam ad vindictam, propenſum eſſe, & hac ratione ad ſui dilectionem ac præceptorum ſuorum ſpontaneam obedientiam nos alliciat. Dilectio Dei, qua nos complectitur, exſerit ſe per inenarrabile benefaciendi ſtudium. Dilectio noſtra, qua Deum complectimur, exſerat ſe per ſtudium obediendi. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*, dicit Chriſtus Johan. XIV. 23. *Si diligitis me, mandata mea ſervate*, v. 15. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Vera ac Deo placens mandatorum divinorum cuſtodia proficiſci debet ex vera & ſincera dilectione. Viciſſim vera Dei dilectio non eſt otioſa, ſed in cuſtodiendis mandatis divinis ſedula. Nec probantur Deo arbitrarii cultus, quos ex dilectione, neſcio qua, proficiſci hypocritæ prætendunt, ſed objectum dilectionis ſtatuuntur hoc loco Dei præcepta. Sed nec perfecta impletio, verum cuſtodia præceptorum diligentibus Deum hoc loco tribuitur, nec ex debito, ſed ex gratia obedientiam illam remunerari Dominus aſſeritur, quo ipſo meritum operum noſtrorum luculenter evertitur.

§. CVIII. Hæc Dei bonitas & juſtitia verbis paululum immutatis latius deſcribitur Exod. XXXIV. 6 & 7. Jehovah enim Moſi gloriam ſuam manifeſtans & coram ipſo tranſiens clamat: *Jehovah, Jehovah fortis, miſericors & miſeratur, tardus ad iram & multus miſericordia & veritate: ſervans miſericordiam millibus, auferens iniquitatem & prævaricationem & peccatum, & qui abſolvendo non abſolvit, viſitans iniquitatem patrum ſuper filios filiorum in tertiam & quartam generationem.* Potentia Dei exprimitur voce אֵל: bonitas ejus ſeptem vocabulis exprimitur. 1) vocatur רַחוּם, *miſericors*, deducitur nomen ab affectu uterino ſive a viſceribus, ſicut Luc. I. 78. *Viſcera miſericordiæ* Deo tribuuntur, denotatur enim internus ille ac vere ſerius miſericordiæ adfectus, quo parens ex intimis viſceribus adficitur erga liberos; oſtendit igitur Deus, ſe adfici malis noſtris, *cor ejus propter nos inverti, &c.* Of. XI. 8. 2) חַנּוּן, *clemens*, ad gratificandum paratus; oſtendit igitur, ſe promtum ac paratum eſſe ad omnis generis beneficia in nos ex gratia conferenda, quemadmodum perennis fons continuis undis exuberat. 3) אֶרֶךְ אַפַּיִם, *longus narium*, hoc eſt, tardus ad iram & vindictam μακροθυμία; oſtendit igitur, ſe non ſtatim iraſci ob peccata noſtra, eademque ſubito vindicare, ſed *ſua μακροθυμία ad pœnitentiam nos invitare*, Rom. II. 4 &c. 4) רַב חֶסֶד, *multus benignitate*: חֶסֶד proprie ſignificat ardentem illam στοργήν, adfectum illum pietatis & caritatis, quo parentes tanguntur erga liberos, & viciſſim hi erga illos, quandoque etiam notat benignitatem ac beneficentiam; oſtendit igitur Deus, ſe eſſe *divitem miſericordia*, Eph. II. 4. 5) רַב אֱמֶת, *dives veritate* in ſervandis

Explicatio loci Exod. 34.

pro-

promissis, quod enim Deus ex gratia promittit, ex veritate & in fide præstat. 6) Custodiens חֶסֶד, *misericordiam* in multa millia, benefaciendo non defatigatur, sed parentum pietatem in longa posterorum serie remuneratur. 7) Auferens עָוֹן, *iniquitatem*, (qua adpellatione originale peccatum ut plurimum denotatur) וְפֶשַׁע, & *transgressionem, prævaricationem*, (qua adpellatione peccata ignorantiæ & infirmitatis exprimi solent) וְחַטָּאָה, & *peccatum* sive delictum; (quo nomine peccata malitiæ, delicta voluntaria sine fronte admissa significantur.) Ostendit igitur Deus, se omnis generis peccata etiam gravissima condonare, nimirum illis, qui veram pœnitentiam agunt. Justitia Dei adversus peccatores impœnitentes exprimitur duobus membris: 1) נַקֵּה לֹא וְנַקֵּה, Pagninus: *absolvendo non absolvet*. Münsterus: (*nocentem*) *innocentem non faciens*. Lutherus: *coram quo nemo innocens*. Targum: *parcendo non parcet*, nimirum pertinaci ac impœnitenti. Ostendit igitur Deus, sese justo judicio in contumaces animadversurum, nec in ipsos solum sed & posteros; ideo additur 2) *visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, qua de re superius. Hebræi colligunt ex hoc loco XIII. מִדּוֹת sive *proprietates* & *epitheta* Dei, de quibus vide Münsterum in cap. XXXIV. Exod. Zanchium lib. 1. de natura Dei cap. 18. & disput. nostr. superiorem de natura Dei, thes. 139.

§. CIX. Quæritur hoc loco: I) *Qua ratione Deo tribuatur zelotypia.* Qua ratione Deo tribuatur zelotypia. *Homo zelotes & invidus* (dicebat olim apostata Julianus) *reprehensione dignus est*, quis ergo laudabit Deum ob zelotypiam? Resp. quando adfectus humani per ἀνθρωποπάθειαν Deo tribuuntur, repurgandi prius sunt ab omnibus vitiis ac defectibus, & quod superest purissimum ac sincerissimum, id tantum Deo tribuendum. Zelotypia est adfectus per se honestus ac laudabilis, quo maritus ob violatam conjugii fidem uxori adulteræ irascitur: sic Deus vocat se zelotem, cum ex sincero erga nos amore ferre nequeat, ut honorem ac cultum sibi soli debitum per spirituale adulterium diis alienis tribuamus: hic zelus oritur ex amore & justitia, ac tantum abest, ut Deum dedeceat, ut a falsis gentilium diis eum potius discernat. Gentium dii cultoribus suis sine ulla indignatione permittunt, ut quosvis alios una cum ipsis colant, perinde ut lenones uxores suas aliorum libidini prostituunt: sed Dominus Deus noster zelotes est, qui coram se alienos deos habere prohibet, ac si habeantur, severe irascitur, graviterque punit. Si quid vitii in humano zelotypiæ adfectu quandoque concurrit, id repurgetur prius ac ardentissimus ille amor, quo absque ullo vitio maritus adulteræ irascitur, Deo relinquatur. Glossa ordin. ex Origene in cap. XX. Exod. *Omnis mulier aut sub viro est, & subjecta legibus viri; aut meretrix est, & utitur libertate peccandi. Qui ingreditur ad meretricem, scit, quod ad prostitutam & cunctis patentem ingressus est, ideo aliis indignari non potest. Qui legitimo utitur matrimonio, non patitur uxorem peccare, sed accenditur zelo ad servandam matrimonii castitatem, ut possit legitimas fieri pater. Sic omnis anima aut prostituta est dæmonibus, & habet plures amatores, ut intrent ad eam, modo spiritus fornicationis, modo spiritus avaritiæ, post hunc venit spiritus superbiæ & alii plurimi, alter tamen alteri non invidet, nec ad zelotypiam commovetur, sed sese invicem invitant: sed si anima conjuncta fuerit viro legitimo, id est, Christo, etiamsi aliquando fuerit peccatrix, ulterius eam peccare non patitur.*

§. CX. Quæritur II) *quomodo cum divina justitia, præsertim vero cum dicto prophetico Ezech. XVIII. 20. conveniat, quod hoc loco minatur Deus, se visitaturum iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem?* Resp. 1) Hieronymus & Origenes allegorice philosophantur de gradibus peccatorum in homine. *Cum a diabolo suademur ad peccandum, semen ejus suscipimus, cum facimus, quod suadet, jam genuit nos, nascimur enim ejus filii per peccatum; sed quia fere sine adjutorio non peccamus, vumre & alios mimio* *Quomodo filius non portet iniquitatem patris.*

sterio sceleris nobis adjungimus, ideo omnes velut unus ex altero secundum persuasionis ordinem generati ex diabolo progeniem ducunt, &c. Sed verba legis diserta non sunt in allegorias transformanda. 2) Quidam distinguunt inter judicium divinum & judicia civilia: in illo liberos puniri propter parentum peccata, concedunt; in his vero puniri, negant. Sed prophetam Ezechielem manifestum est loqui de judicio Dei, coram quo negat filios portare iniquitatem parentum. Adde quod in civilibus etiam judiciis ob crimen læsæ majestatis puniuntur liberi, l. V. C. ad l. Jul. majest. de cujus legis æquitate tractant Wesenbecius in paratit. l. hujus legis, Scipio Gentilis tract. de jurisd. lib. V. c. IV. Duarenus in comm. ad hanc legem, Gomezius V. variar. resol. cap. II. 15. &c. 3) Sunt, qui distinguunt inter tempus servitutis Ægyptiacæ ante legis promulgationem, quo tempore idololatriam populi sui Deus non est ultus, & inter tempus habitationis in terra Canaan post legis promulgationem, quo tempore post tam solennem fœderis renovationem, miraculosam liberationem, divinæ majestatis declarationem, &c. idololatriam populi sui etiam in ipsis posteris Deus punivit. 4) Sed enim, cum comminatio sit generalis omnium omnino locorum ac temporum homines concernens, ideo simplicissime respondetur duplici distinctione: a) quidam liberi sequuntur exemplum parentum, ac pessimis eorum vestigiis insistunt: quidam vero ad Dominum convertuntur, & ad bonam frugem se recipiunt. De liberis prioris generis agitur in Exod. ideo notanter additur, *Deum vindicaturum iniquitatem parentum in liberis*, nimirum illis, qui parentum exemplo ipsum oderunt. De liberis posterioris generis agitur in Ezech. ideo additur v. 14. *Si parens* (impius) *genuerit filium, qui viderit quidem peccata patris sui, sed non fecerit similia*, v. 17. *hic non morietur propter iniquitatem patris sui, sed vivendo vivet.* Hinc R. AbenEzra in cap. XX. Exodi scribit, locum illum intelligendum de liberis, qui sunt paternorum scelerum sectatores. b) Quædam pœnæ sunt æternæ, quædam vero temporales: æternis pœnis non subjiciuntur liberi propter parentum peccata, si ex toto corde fuerint conversi ad Deum, sed temporalibus calamitatibus quandoque liberi etiam vere pii subjiciuntur propter parentum delicta: (Augustinus q. VIII. in Josuam, lib. I. contra adv. legis & prophet. c. 16.) interim calamitates illæ non sunt proprie dictæ pœnæ, sed paternæ castigationes, ad commodum piorum, qui nec ipsi omni ex parte innocentes sunt, ipsis a Deo impositæ. Observandum enim, quod hæc comminatio divina non sit eo modo accipienda, ac si præcise & perpetuo de tot generationibus impiorum pœnas Deus sumat, siquidem quandoque intercedit quædam interruptio, Deo scilicet iram suam propter posterorum pœnitentiam remittente. Sic pepercit Deus Josiæ, ac dedit ei, ut in pace moreretur, nec videret sequentium temporum mala, quæ propter avi Manassis idololatriam ac scelera erant ventura: mortuo Josia, rediit ultio divina in sequentes generationes, adeo, ut nec ipsis Josiæ liberis pepercerit, cum vestigiis proavi sui insisterent. 2 Reg XXII. & seqq. Vide plura in tract. de natura Dei §. 157.

An omne peccatum ex odio Deiortum.

§. CXI. Quæritur IV) an omne peccatum, qualecunque ac quantulumcunque sit, recte dicatur ex odio Dei ortum? Resp. Scotus II. sent. dist. 37. notat, quod *aversio a fine ultimo possit dupliciter intelligi, formaliter & virtualiter. Formaliter, quando in avertendo habet ultimum finem pro objecto positive, vel privative. Positive, ut scilicet voluntas nolit illum finem actu positivo, & hoc nolle proprie est odisse Deum. Privative, ut scilicet non velit, cum deberet velle ultimum finem, & tale non velle est omittere illud præceptum*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. *Virtualiter, quando avertitur ab aliquo necessario ad consequendum ultimum finem; hæc aversio virtualis est communis omni peccato mortali.* Hæc Scotus. Simplicior est responsio ex ipsa phrasi petita, *odisse* enim dicitur, non solum qui scienter & prudenter odii adfectu erga aliquem præditus est, sed etiam qui præcepta ac volun-

voluntatem ejus negligit, & sic ex consequenti eum odisse convincitur. *Qui parcit virgæ, odit filium suum*, Prov. XIII. 24. siquidem per nimiam indulgentiam eum perdit, & sic non vere amare, sed odisse convincitur. Luc. XIV. 26. *Qui venit ad me, nec odit patrem & matrem suam, &c. non potest esse meus discipulus*, non quod hostili odio parentes quis debeat prosequi, sed quod parentum justa servitio Christi contraria negligenda sint ac posthabenda. Sic hoc loco distinguendum inter peccati *causam* & *actum*. Peccati actus non semper includit actualiter ac formaliter Dei odium, causaliter tamen id in se continet, siquidem omne peccatum includit neglectum præceptorum divinorum.

Explicatio secundi præcept.

§. CXII. Atque hæc dicta sint de primo decalogi præcepto, progrediamur ad *secundum*, cujus hæc est sanctio: *Non adsumes nomen Domini Dei tui in vanum, quia non habebit Deus insontem, quicunque in vanum usurpaverit nomen ejus.* Partes duæ sunt:

Nomen Dei quid?

1) *prohibitio*: 2) *comminatio*. Per שֵׁם יְהוָה, *nomen Dei*, non intelliguntur apices illi literarum, quibus nomen Dei scribitur, quasi abunde satisfiat huic præcepto, si nomen Jehovah suis literis ac punctis integre non scribatur, sed loco ejus אֱלֹהִים scribatur, ac אַדֹנָי pronuncietur: quemadmodum superstitiosi Judæi statuunt, sed per nomen Dei intelligitur in scripturis 1) Deus ipse, sic *invocare nomen Domini*, *diligere nomen Dei*, *psallere nomini Dei*, Gen. XXII. 5. Psal. V. 12. IX. 3. &c. est verum Deum invocare, diligere, laudare 2) Quia verus Deus non est aliter agnoscendus, quam se in verbo ex arcana majestatis suæ luce progressus manifestavit, ideo nomine Dei intelligitur, quicquid de essentia & voluntate Dei in verbo ipsius patefactum est. Joh. XVII. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus.* Act. IX. 15. *Ut portet nomen meum coram regibus.* 3) Nomine Dei intelligitur ipsius auctoritas, jussum ac mandatum. Deut. XVIII. 19. *Quicunque non audierit verba mea, quæ loquitur propheta ille in nomine meo, ego requiram ab eo*, Jer. XIV. 14. *Falso prophetant in nomine meo, non misi eos, nec præcepi eis.* 4) Dei majestas & gloria, Exod. IX. 16. *Ut narretur nomen meum.* Psal. VIII. 2. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.* 5) Cultus & professio Dei, Mich. IV. 5. *Omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Domini Dei nostri.* 2 Sam. VII. 13. *Ipse ædificabit domum nomini meo.*

In vanum sumere.

§. CXIII. Hoc nomen suum prohibet Deus adsumere in vanum: נָשָׂא, latissimæ est significationis, proprie autem significat *levare*, *elevare*, Psal. XVI. 4. *Non levabo nomina eorum in labiis meis.* Psal. L. 16. *Quare enarras statuta mea, & levas pactum meum in os tuum?* Act. IX. 15. *Organum electum est mihi βαστάσαι, ut portet meum nomen coram gentibus.* Vult igitur Deus nomen suum levari, sed non in vanum, לַשָּׁוְא temere, leviter, incogitanter; est enim nomen Domini Dei nostri, quæ verba sunt αἰτιολογικά, (*) ideo enim nomen Domini non est adsumendum in vanum, quia est *nomen Domini Dei nostri.* Additur prohibitioni comminatio. *Non habebit Deus illum innocentem, quicunque in vanum usurpaverit nomen ejus* לֹא יְנַקֶּה, *non absolvet*, non sinet impunitum, est enim verbum judiciale, & ostendit, transgressores hujus præcepti reos fieri iræ Dei & pœnarum. Finis hujus secundi præcepti est, abusum nominis divini prohibere; verum contra & religio-

(*) Emphaticum est & αἰτιολογικὸν, quod, cum Jehova ipse legis hujus auctor & lator sit, non tamen dicat: *non adsumes nomen meum*, sed *nomen Domini Dei tui in vanum.* Quod si enim terreni principis nomen non sine reverentiæ adfectu audimus aut legimus, quem honorem cupiebimus deberi nomini Domini Jehovah, quod *magnum* Jer. X. 6. quod *laudabile* Psal. CXLV. 3. quod *sanctum* Psal. XCIX. 9. quod *terribile* Psal. XLVII. 3. Est insuper nomen *Dei nostri.* Deus enim noster est creatione, manifestatione, agnitione &c. GERHARDVS.

giosum ejus usum requirere. Proponitur autem verbis negativis, ex quibus antithesis affirmativa colligenda est, propter corruptionem naturæ nostræ, quæ ad profanationem divini nominis perpetuo inclinat, ac propter gentilium consuetudinem, qui per nomina falsorum deorum suorum vanissime jurabant. Pulcerrima est Chemnitii observatio, *sicut in aliis præceptis plerumque una aliqua species crassioris delicti exprimitur, ut abominatio reliquorum peccatorum coram Dei judicio ostendatur: ita hic contrario modo sub minori majus cogitandum proponitur. Homines enim in vana & otiosa usurpatione nominis divini, quæ sit sine manifesta blasphemia, cogitant se insontes, sed quia secundum præceptum dicit*: Non habebit Deus insontem, qui adsumserit nomen meum in vanum; *ergo multo minus, qui profanarint ac blasphemarint, insontes erunt*, loco de lege pag. 117. (*)

Virtutes in secundo præcepto requisitæ.

§. CXIV. Quare cum prohibeat Deus nomen suum in vanum assumi, ex antithesi colligitur, quod velit illud modis omnibus religiose ac sancte a nobis usurpari. Pertinent igitur ad secundum præceptum hæ virtutes: 1) Reverenter sentire de Dei nomine, hoc est, grato animo cogitare, quantum sit beneficium, quod Deus ex arcana majestatis suæ luce prodiens nomen suum nobis manifestaverit. 2) Nomen Dei invocare, hoc est, verum Deum, prout in verbo sese patefecit, in nomine mediatoris Christi in omnibus adversitatibus invocare, Psal. CV. 1. *Confitemini Domino, invocate nomen ejus.* Psal. XX. 8. *Nos in nomine Dei nostri recordabimur.* 3) Nomini Dei gratias agere, hoc est, mente & voce confiteri, quod a Deo omnis generis beneficia ad nos descendant, & hac beneficiorum Dei prædicatione alios ad agnitionem, & invocationem nominis divini invitare, Psal. VII. 18. *Psallam nomini Domini*, Psal. XCII. 2. *Bonum est celebrare Jehovam, & psallere nomini tuo, altissime.* 4) Nomen Dei prædicare, hoc est, cœlestem doctrinam a Deo nobis traditam propagare, alios de ea informare, ut & ipsi ad veram Dei agnitionem adducantur, Psal. XXII. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus*, Gen. IV. 26. *Enos cæpit invocare nomen Domini.* 5) Nomen Dei confiteri, hoc est, veritatem ex patefacto verbo agnitam intrepide & constanter profiteri, nulla habita odiorum vel periculorum ratione, ut Dei gloria illustretur, ut ad veram Dei notitiam alii adducantur, Act. IX. 14. *Ligare omnes confitentes nomen Jesu.* Matth. X. 32. *Qui confitebitur me coram hominibus, &c.* & quia publica illa veræ doctrinæ confessio facit ad illustrandam divini nominis gloriam, ideo in vet. test. confiteri Domino, usurpatur pro celebratione divini nominis. 6) Nomen Dei celebrare ac glorificare, hoc est, non solum lingua Deum celebrare, sed etiam omnes actiones ad Dei gloriam referre. Ps. XXIX. 2. *Adferte Domino gloriam nomini ejus.* Psal. LXXXVI. 12. *Glorificabo nomen tuum.* Psal. C. 4. *Laudate nomen ejus &c.* 7) Per nomen Dei jurare, hoc est, quando gloria Dei vel salus proximi requirit, jurejurando Deum invocare, ut sit testis, nos vera dicere, ac severe puniat mentientes, Deut. VI. 13. *Per nomen Dei tui jurabis*, Esa. LXV. 16. *Qui juraverit in terra, jurabit in Deo veraci.* 8) Pro gloria nominis Dei zelare, hoc est, ex sincero amore Dei & studio gloriæ divinæ dolere propter contumeliam ac contemtum divini nominis, & suo loco eum prohibere. Num XXV. 13. *Pineas zelatus est pro Deo suo.* Ps. LXIX. 10. *Zelus domus tuæ comedit me.*

Peccata in secundo præcepto prohibita.

§. CXV. Vicissim quia Deus prohibet nomen suum in vanum adsumere, ex eo colligitur, quod secundo præcepto prohibeantur hæc peccata: 1) Irreligiose ac non satis reverenter de Deo sentire, non expendere, quantum sit beneficium

(*) Sensum præcepti plerique interpretes referunt *ad jusjurandum temerarium*, sicut & paraphrastes Chaldaicus reddidit: *Non jurabis frustra per nomen Dei tui.* Quem secuti sunt Philo in expos. decal. & Josephus libr. III. antiq. cap. 4. Alius videtur prohibitum, ne divinitatis titulos rebus creatis & vanis tribuamus, neve nomen Dei alibi, quam in precibus & fidei institutione & causis gravissimis usurpemus. GERHARDVS.

cium manifestatio nominis divini. 2) Invocationem Dei omittere, in precibus negligentem esse, invocare quidem, sed non legitime, quod fit, si ad creaturas, vel fictitia numina invocatio dirigatur, si ad certum locum sine verbo præsentia & auxilium Dei adligetur, si præscribatur Deo tempus ac modus, si ea petantur, quæ divinæ voluntati ac legi repugnant, si preces nostra nitantur dignitate, si non invocetur in nomine Christi mediatoris, si preces conceptæ sine vero cordis adfectu ac sensu recitentur, si battologia adhibeatur, si absque vera pœnitentia oretur, &c. 3) Gratiarum actionem omittere, nunquam vel raro celebrare Dei beneficia, fortunæ vel causis secundis ea tribuere, frigide ac oscitanter gratias agere, beneficia Dei extenuare, donis Dei abuti, eademque negligere. 4) Occasiones erudiendi alios prætermittere, nomen Dei non usurpare, cum tædio de nomine Dei audire vel loqui, doctrinam cœlestem corruptelis inficere, falsam doctrinam spargere, nomen Dei humanis somniis prætexere. 5) Veritatem agnitam vel ex metu vel spe præmiorum, vel ex obstinata malitia abnegare, non confiteri, cum interrogamur, fidem celare, modis illicitis persecutionem fugere, libertate christiana abuti, sine vocatione ingerere se periculis, & huic temeritati confessionem prætexere. 6) Omittere Dei celebrationem, vel in ea frigidum ac remissum esse, jocose ac ridicule verbum Dei adhibere, nomen Dei in superstitionibus, sortilegiis atque incantationibus scripto vel voce usurpare, abuti Dei nomine ad exsecrationes, blasphemare Dei nomen, quod fit multis modis, si voces impiæ ac blasphemæ adversus Deum & verbum ejus proferantur, si perniciosis scandalis ac vitæ pessimæ exemplo animi nondum conversorum a vera religione abalienentur, &c. 7) Juramentum legitimum recusare, pejerare, quod fit, si mendacium juramento confirmetur, si juramentum violetur, si dolose juretur; non legitime jurare; quod fit multis modis, si in causis non necessariis futiliter ac temere juretur, si juramentum non habeat tres hosce comites, judicium, justitiam & veritatem. (Ex parte jurantis requiritur judicium discretionis, ex parte rei tum in conscientia jurantis, tum in sermone requiritur veritas, ex parte causæ requiritur justitia) Si juretur de re illicita vel impossibili, vel dubia & incomperta, si juretur per creaturas, vel fictitia numina, si forma juramenti in Deum contumeliosa adhibeatur. Pugnat etiam cum legitimo juramento deferre illis juramentum, quos manifeste constat falso juraturos; quod illicito juramento promissum impie persolvere &c. Scholastici dicunt VI. modis perjurium committi: a) dum scienter juratur falsum, b) dum dolose juratur verum, quod putatur esse falsum, c) dum ignoranter juratur falsum, quod creditur esse verum, d) dum non servatur promissum juramento firmatum, e) dum juratur illicitum, vel quod vergit in deteriorem exitum, f) dum juratur indiscrete. 8) Non adfici dolore propter contumeliam divini nominis, non offendere dictis & factis serium prohibendi eam studium, non prohibere blasphemias, cum possint ac officii ratione debeant; duci zelo, sed non secundum scientiam, quod fit, cum id, quod non est Dei gloria, defenditur tanquam Dei gloria, cum id, quod judicatur gloriæ Dei repugnare, & cum zelo propulsatur, revera non lædit Dei gloriam.

§. CXVI. De singulis hisce virtutibus ac vitiis colligenda sunt dicta scripturæ ex concionibus prophetarum, Christi & apostolorum, addendæ etiam promissiones & comminationes; subjungenda insuper exempla, quibus testatum fecit Deus, obedientiam erga hoc præceptum dignis pensari præmiis, transgressores autem meritis adfici suppliciis. Id hoc loco a nobis fieri instituti nostri ratio non permittit, subjungemus quæstionum quarundam brevem ἐπίλυσιν. Quæritur 1) *An licitum sit jurare? an Christianis licitum sit jurare?* (*) Negabant olim *Essæi*, referente Josepho

An licitum sit jurare?

(*) Annis post Christum CC. multi martyres impositum a magistratu juramentum recusarunt, christianis jurare nullo modo licitum opinantes, prout ex Chemnitio *part. II. loc. p. 49.* in *fol.* observavit GERHARDVS. Addimus & hoc, multos fuisse ex patribus, tam græcis, quam latinis, qui ab usu jurisjurandi plane abstinendum esse existimaverint; prout ostendit JO. BARBEYRACIVS, in *præfat.* ad versionem Gallicam operis Pu-

Josepho (*), lib II. de bell. Judaic. cap. VIII. & *Manichæi*, (**) quos hodie sequuntur *Franciscani* c. Nuper nobis 5 1. ext. de testibus & attestat. (***) & *anabaptistæ*. (****). Atqui 1) Deus ipse jurat, Gen. XXII. 16. *Per memet ipsum juravi* Jer. XLIV. 26. *Ecce, juravi in nomine meo magno, dicit Dominus.* Am. IV. 2. *Juravit Dominus Deus in sancto suo.* Confer. Num. XIV. 21. Jer. XXII. 5. LI. 14. Am. VI. 8. 2) Jurat Christus mediator nov. test. Matth. V. 18. *Amen, Amen, dico vobis*, quam esse formulam juramenti colligitur ex Hebr. VI. 14. & cum prius taceret Christus, adjuratus postea a summo pontifice per Deum viventem edit suam confessionem, Matth. XXVI. 63. 3) Jurant angeli, Dan. XII. 7. *Angelus levatis manibus in cœlum jurat.* Apoc. X. 6. *Angelus jurat per viventem in secula.* 4) Jurant sancti vet. & nov. test. Gen. XIV. 22. *Abraham juravit regi Sodomorum.* Gen. XLII. 15. *Joseph a fratribus juramentum exigit.* Jos. XIV. 9. *Juravit Moses dicens. &c.* 1 Sam. XX. 3. *David fœdus cum Jonatha initum juramento firmat.* conf.

Pufendorf. de jure nat. & gent. quem refutare adgressus est REMIGIVS CEILLIERIVS, dans *l'apologie de la morale des péres de l'église.* Cum primis lectu digna sunt, quæ hanc in rem scripsit J. E. J. WALCHIVS, in pererudita *commentat. qua antiquorum christ. doctorum de jure jurando sententiæ perpenduntur & dijudicantur*, jen. *MDCCXLIV. 4.* Conferri tamen meretur JOS. BINGHAMVS, in *antiq. ecclesiast. vol. VII. libr. XVI. cap. VII. §. IV. seqq. p. 333.*

(*) Refert JOSEPHVS *loc. cit.* de Judæis, *Essæorum* sectæ addictis, eos *jusjurandum magis fuisse aversatos, quam perjurium.* Cum vero nonnullis interjectis, idem subjungat, Essæos *jurasse, sectæ dogmata non aliter tradere, quam acceperint;* colligimus exinde, eos aliquando jurejurando se obstrinxisse, nec generatim omnia, sed ea duntaxat rejecisse juramenta, quæ in vitæ quotidianæ commercio, & levi quidem de caussa suscipi solent. Nec aliter accipienda sunt verba PHILONIS, qui inter Essæorum pietatis indicia refert, το ανωμοτον, *non jurare.*

(**) Nullum deprehendimus antiquitatis testimonium, ex quo comprobari posset, *Manichæos* dissertis verbis rejecisse juramenta. Rectius hiece error tribuitur *Pelagianis*, prout ostendit GERARD. JO. VOSSIVS, in *hist. pelag. libr. V. part. II. thes. I. p. 512. seqq.*

(***) Hocce juris canonici capitulum a b. GERHARDO adlegatum non omni ex parte probare videtur id, quod erat probandum. Produxerat, secundum casum in isto capitulo recensitum, custos quidam fratrum minorum contra presbyterum quendam nonnullos ordinis sui testes non juratos, regulam ordinis sui, secundum quam ipsis jurare non liceat, adlegantes. Verum non obstante hac fratrum minorum exceptione, HONORIVS III. ecclesiæ Romanæ præsul rescripsit, quod nullius testimonio, si vel maxime religiosus fuerit, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium credi debeat.

Equidem in ecclesia christiana antiquiori juramenta duntaxat a *laicis*, minime vero a *clericis*, exigebantur, quippe quibus omne juramentum erat interdictum. Obtinuit hiece mos adhuc tempore MARCIANI imperatoris, qui ejusdem disertam facit mentionem in *l. 25. §. I. C. de episc. & cler.* ubi ait: *ecclesiasticis regulis & canone a beatissimis episcopis antiquitus instituto, clerici jurare prohibentur*, quem textum PHOTIVS in *nomo-canone tit. IX. p. 903.* in *bibliothec. jur. canon antiq.* JVSTELLI relato, reperit. Vid. illustr. BOEHMERVM, in *jure eccles. protest. tom I. libr I. tit. XII. §. XXI. p. 461. seqq.* Atque hanc legem sequuta, ut probabile est, synodus *Triburiensis* aliquot post secula decrevit, presbyteros non per jusjurandum, sed per consecrationem suam interrogandos esse; addita ratione, *quia sacerdotes ex levi caussa jurare non debeant.* Vid. *conc. Tribur. c. XXI. tom. IX. concil p. 452.*

Deprehendimus tamen in temporibus etiam antiquioribus exempla, in quibus jusjurandum a clericis, immo & ab ipsis episcopis fuit exactum. Ita concilium *chalcedonense*, sec. V. celebratum, in certo quodam casu jusjurandum ab episcopis Ægyptiacis postulavit, *act. IV.* & concilium *Tyrium*, ann. *CCCCXLVIII*, habitum, idem ab IBA, episcopo Edessæno, exegit, Vid. *tom. IV. concil. p. 517. C.* & *p. 630. e.*

Tandem vero seculo VIII. omnes clerici atque religiosi præstationi juramentorum subjecti sunt, nec in testimonio dicendo amplius excipiuntur, observante laudatiss. BOEHMERO, *loco excitat. p. 1225.*

(****) *Anabaptistas*, sive *Mennonitas* negare, juxta christianis esse licitum, patet ex actis colloquii Franckenthalensis, *artic. XXI. num. 1. 2.* aliisque eorum scriptis in lucem publicam editis. Sunt tamen ex iis, saltim recentioribus, qui suam hac de re mentem ita explicant, ut non omnem jurisjurandi usum rejicere videri queant. Vid. b. BVDDEI *dissertat. de concordia relig. christian. statusque civilis, cap. VI. §. 6.* Copiose Anabaptistarum sententiam confutarunt ex nostris JO. MÜLLERVS in *anabaptismo, error. XX. p. 366. seqq.* itemque EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS, in *christianismo hermetico-platonico*, germanice edito, *part. II. cap. X. §. 14.* ex reformatis vero JO. CLOPPENBVRGIVS in *gangræna theolog. anabaptist. part. III. disp. IX. §. 7.* aliique.

Nec, quod vel tribus hæc notamus, HVGONIS GROTII admitti potest sententia, statuentis, juramenta quidem adsertoria, non autem promissoria licita esse; prout uberius comprobavit JO. ADAM. OSIANDER, cancellarius quondam Tubingensis, in *adnotat. ad* GROTIVM.

conf. 1 Sam. XXIV. 23. XXVI. 10. 16. Rom. IX. 1. juratapostolus: *Veritatem loquor in Christo Jesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia.* 2 Cor. I. 23. *Testem invoco Deum in anima mea.* Confer Rom. I. 9. 1 Cor. XV. 31. 2 Cor. XI. 31. Gal. I. 20. Phil. I. 8. 1 Thess. II. 5. 2 Thess II. 11. 5) Legitimum juramentum est virtus secundi præcepti, moralia autem in nov. test. non sunt abrogata, Deut. VI. 13. *In nomine meo jurabitis.* Esa. LXV. 16. de cultu nov. test. dicitur: *Qui jurabit in terra, jurabit in Deo veraci.* Jer. XII. 16. *Si juraverint per nomen meum, ædificabuntur in medio populi mei.* Hebr. VI. 16. *Homines per majorem se jurant, &c.* quod ex se non esse malum probatur ibidem exemplo Dei promissionem suam juramento confirmantis. 6) Juramentum oritur ex recta in Deum fide, quod scilicet existimamus, omnia illi comperta esse, omnia oculis ejus obvia, indicamus etiam, Deum esse amantem veritatis ac mendacis perjurii vindicem, 2 Cor. XI. 31. *Novit Dominus, quod non mentior.* 7) Juramentum est pars cultus divini, quia per quem juramus, eum profitemur nos pro vero Deo agnoscere, *Juramentum fit per præstantiorem ac majorem,* Hebr. VI. 16. Est ergo juramentum quædam confessio divinæ excellentiæ Rom. I. 9. *Testis mihi est Deus, cui servio in spiritu meo.* 8) Juramentum spectat ad gloriam Dei illustrandam, & proximi salutem promovendam, utique ergo suo genere non est vitiosum. Manifestatio veritatis certe in gloriam Dei cedit. *& omnis controversiæ inter homines finis ad consummationem est juramentum* Hebr. VI. 16. Concludimus igitur cum Augustino epist. CXIV, *Non jurare, sed pejerare peccatum est.* Thomas 2. 2. quæst. 89. artic. 2. *Jurare esse licitum patet* 1) *ex origine, quia juramentum introductum est ex fide, qua homines credunt, Deum habere infallibilem veritatem & universalem omnium cognitionem;* 2) *ex fine, quia inducitur ad finiendum controversias.* (*)

§. CXVII. Excipiunt anabaptistæ: *Olim quidem in vet. test. sub lege patribus licuisse, in novo autem prohibitum nobis esse jurare per Christum* Matth. V. 34. & Jac. V. 12. Resp. Christus ibidem diserte dicit. v. 17. *se non venisse, ut legem solveret, sed ut impleret.* Verba igitur Christi non opposita sunt legi divinæ, (**) sed Pharisæorum corruptelis, quæ quales fuerint ex Matth. XXIII. 16. colligitur; nimirum, judicabant licitum esse, etiam in familiari sermone & in communibus negotiis, in quocunque casu, de re quacunque per nomen Dei jurare, si vel maxime non faciat ad Dei gloriam vel proximi utilitatem, quæ per simplicem promissionem pacta erant, data occasione violabant, Deum perjurii tantum vindicem esse statuentes, quin imo eum, qui non per ipsum Dei nomen, sed per cœlum, per terram, per templum juret, etiamsi, quod juravit, non præstet, vel falsum sit, existimabant non esse reum perjurii coram Deo. Hisce igitur corruptelis opponit Christus, omnino non esse jurandum vel directe per Deum vel indirecte per creaturas, puta vane ac temere, vel falso, sed in communi sermone, ubi negotia per simplicem adfirmationem vel negationem expediri possunt, cavenda esse temeraria juramenta. Vide Chemnitium c. LI. harm p. 358. c. Etsi Christus de jurejur. *Prohibitus est ibi modus jurandi ex levitate, non ex necessitate.* Idem sibi vult Jacobi dictum, quod ex verbis Christi desumtum est, perinde igitur ut particula ὅλως, in verbis Christi non est simpliciter universalis, sed ad ὑποκειμένην ὕλην restringenda, ita quoque universale pronunciatum Jacobi, neque aliud ullum jusjurandum de temerariis ac levibus juramentis accipiendum, quorum speciebus aliquot enumeratis similes omnes prohiberi indicat Augustinus serm. XXVIII. de verb. apost.

Exceptio adversariorum.

§. CXVIII.

(*) In controversiis dubiis Deus juramentum interponi voluit Exod. XXII. 11. juramentum est pars cultus divini Esa. XIX. 17. ubi propheta vaticinatur de gentibus ad verum veri Dei cultum convertendis: uti etiam c. XLV. 23. Juramenta esse licita probatur: 1) *scripturæ dictis* & mandato Dei: Deut. VI. 2) *exemplis,* ipsius Dei, Christi, angelorum, patriarcharum, 3) *præcepto Dei* ne juramentum violetur. Num. XXX. 3. 4) *rationibus,* quæ sunt. a) fidei confirmatio Hebr. VI. b) πέρας ἀπολογίας πάσης. GERHARDUS.

(**) Hebr. VI. 16. *omnis controversiæ finis est juramentum.* Ergo auctor illius epistolæ non judicavit, rationem ac neces-

Quæ juramenta sint licita.

§. CXVIII. Quæritur II) *de quibus rebus sit jurandum*, seu *quæ juramenta sint licita*? Resp. non ideo, quia juramenta sunt licita, jurandi consuetudinem inducere debemus, sed, non nisi necessitate ita exigente, ad jurisjurandi obtestationem descendamus. Philo libr. de dec. p. 481. gravissime scribit: *Utilissimum fuerit & creaturæ rationali convenientissimum, omnino abstinere a jurejurando, & sic veritati adsuescere, ut simplex sermo vim juramenti habeat, secundaria vero, juxta proverbium, navigatio est, recte jurare.* Idem de special. legib. p. 490. *Consuetudo crebro jurandi argumentum est perfidiæ.* Syracides c. XXIII. 9. & seqq. a temeraria jurandi consuetudine his verbis nos revocat: *Juramento non adsuescat os tuum, qui jurat atque assidue nomen Dei usurpat, culpa non vacabit. Vir crebro jurans replebitur scelere, neque a domo ejus recedet flagellum, ne temere quidem usus juramento, innocens judicabitur, &c.* quæ verba ex secundo decalogi præcepto sunt desumta. Proinde illud tantum legitimum est juramentum, quod fit de re licita, possibili, certa, justa & bona, quando Dei gloria & salus proximi illud exigit, hinc variæ constituuntur legitimi juramenti species. Aliud est *privatum*, inter privatos & paucos: aliud *publicum*, quod in loco publico solenniter præstatur. Aliud est *adsertorium*, quo de re præsenti aut præterita aliquid asseveratur vel negatur; aliud *promissorium*, quo ad faciendum vel omittendum aliquid obstringimur; aliud est *voluntarium*, quo quis se sponte ad juramentum offert; aliud *coactum*, quo ad jurandum invitus quis cogitur; aliud *privatum*, quo in fœderibus ac contractibus privati utuntur; aliud ἐπακτὸν, quod a magistratu imponitur, quod vocant *conceptum*, *solenne*, *corporale juramentum*. ἐπακτὸν sive *impositum* est, quod juranti ab aliis imponitur, idque vel pro auctoritate, quale est illud, quod magistratus a subditis exigit, vel vi & coactione. Quæ *coactio* vel *justa* est, ut quando victor victis juramentum fidelitatis imponit; vel *injusta*, qua latrones juramenta aliis, quos scelere invaserunt, extorquent. Thomas II. 2. quæst. 89. art. 6. *Aliud est juramentum per simplicem contestationem, quod fit per Deum, aliud per exsecrationem, quod fit per creaturas.* JCti habent judiciale, purgatorium, calumniæ, perhorrescentiæ, &c. Alexander Alens. par. III. quæst. 31. membr. 3. artic. 1. omnes modos jurandi reducit ad hos quatuor: *Jurans veritatem primam, quæ Deus est, reveretur, & in testimonium adducit, id fit* 1) *in quantum principium est omnis veritatis, & tunc juratur* per Deum, per veritatem: 2) *in quantum cognitor est omnis veritatis, & tunc est forma*, testis mihi Deus: 3) *in quantum judex & retributor præmiorum bonis, & tunc est forma*, vivit Dominus: 4) *in quantum retributor pœnæ malis, & tunc est forma.* hæc addat mihi Dominus, non salver.

§. CXIX.

cessitatem præstandi juramentum a Christo in nov. test. sublatam. Augustinus de mend. cap. XV. *Dictum est a Domino*, ne juretis omnino, *ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur & ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur, quod etiam Jacobus dicit, ne in condemnationem incidatis.* Particula ὅλως non referenda ad actionem, sed actionis *objectum*, quod non sit jurandum per illa objecta, quæ ibi enumerantur. Præceptum de juramentis Pharisæi sic intelligebant, quod duntaxat in eo prohibeatur perjurium, interim temeraria juramenta in vita communi permittebant, sed Christus veram legis explicationem opponit. Aaugustinus epist. CLV. *Hoc quidem propterea mihi dictum videtur, non quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare immane est peccatum.* Universalis particula sæpe ad subjectam materiam restringenda, sic etiam hoc loco particula ὅλως quævis juramenta prohibet, scilicet levia ac temeraria in re levicula. Sic Exod. XX. 10. *nullum opus facies in Sabbato*, scilicet profanum. Luc. VII. 28. *Non surrexit major baptista*, scilicet inter eos, qui vulgari modo nati. Quidam τὸ ὅλως interpretantur *frequenter* ac *subinde*, sicut διαπαντὸς usurpatur Sir. XXIII. 21. Vide *Lyram* in comm. GERHARDVS.

An liceat jurare per creaturas.

§. CXIX. Quæritur III.) *an liceat jurare per creaturas?* Resp. Hieronymus in cap. V. Matth. existimat, Christum formulas jurandi per creaturas simpliciter improbare tanquam impias (*), & in hanc sententiam multa ex veteribus (**) adleguntur in jure canonico, can. considera 8. & can. movet 16. caus. XXII. quæst. 1. can. ecce dico 10. caus. XXII. quæst. 5. Hieronymo quidam respondent, tum demum juramenta per creaturas improbari, si

(*) Hæc HIERONYMI expositio oraculi servatoris, quod legitur *Matth. V. 34.* contextui est convenientissima. Verba enim: μη ὀμοσαι ὁλως, cum verbis immediate sequentibus ita connectuntur, ut facile pateat, mentem Christi hanc esse, plane non esse jurandum per creaturas, neque per cœlum, neque per terram &c. quæ quidem jurandi formulæ tempore Christi inter Judæos maxime erant usitatæ. Vid. JO. SELDENUS, *de synedriis veterum ebræorum, lib. II. cap. XI. §. VII. oper.* junctim editorum *vol. I. tom. II. p. 1475.* & GEORG. ELIESER EDZARDI *ad Avoda Sara cap. II. p. 286. seqq.* Ad loca veteris testamenti, ex quibus nonnulli comprobare adnituntur, juramenta per creaturas in vet. testam. fuisse licita, respondet b. canc. PFAFFIUS, in *not. exeget. in evangel. Matthæi p. 97. seqq.*

(**) Augustinus in epist. ad public. *Non licet per creaturas velut per numina jurare, sed tamen licet eas adpellationis nostræ invocationisque de Deo testes facere.* Theophylactus in cap. V. Matth. *Deus solus per semet ipsum jurat, utpote nulli subjectus, nos autem cum non simus nostræ potestatis, quo pacto per caput nostrum jurabimus? alterius enim est possessio. Aliud ergo est eum citare testem, qui jus habet vicissendi, quam per rem maxime caram adserere, aliquid esse verum, quod diximus.* Concilium Carthag. IV. can. 61. *Clericus per creaturas jurans acerrime objurgandus, si perstiterit in vitio, excommunicandus.* GERHARDUS.

Hisce antiquitatis testimoniis a GERHARDO adductis adjungimus decretum, quod sub nomine PII I. episcopi Romani circumfertur, atque ita habet: *Si quis per capillum Dei vel caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit; si in ecclesiastico ordine est, deponatur; si laicus, anathematizetur. Et si quis per creaturam juraverit, acerrime castigetur;* apud GRATIANUM *caus. XXII. quæst. I. c. X.*

Constat ex historiarum monumentis, post cædem Julii Cæsaris, decreviſſe senatum Romanum, ut per *genium imperatoris* juraretur. Credebant enim falsorum numinum cultores, cuilibet homini duos genios connasci, bonum & malum. Fingebant etiam homines ad adulandum parati, principibus suis inesse divinitatem quandam. Vid. DAN. GEORG. MORHOFII binas *dissertationes* lectu dignissimas, *de divinitate principum*, quæ in *dissertationibus* ejus junctim editis exstant *p. 83. seqq.* Sed constanter recusabant veteres christiani, jurare per *genium imperatoris*, quia hoc speciem quandam idololatriæ, & reapse defectionem ad paganismum, religionisque christianæ abnegationem esse censebant. Ipsi persecutores nominis christiani ejusmodi juramentum a christiano præstitum irrefragabile renunciationis testimonium esse sibi persuadebant, atque hanc ipsam ob rationem nihil amplius, quam hocce juramentum a Christi sectatoribus requirebant. Hinc in EUSEBII *libr. IV. cap. XV. p. m. 131.* legimus, proconsulem POLYCARPUM martyrem fœpius ursisse, eundemque hisce verbis adlocutum esse: *Jura per genium cæsaris*, cui ille magna animi constantia respondit: *christianus sum.* Idem observamus in actis proconsularibus *martyrum Scyllitanorum* in Africa, ubi proconsul SPERATO dixisse legitur: *Tantum jura per genium regis nostri*; cui ille hocce dedit responsum: *Ego imperatoris mundi genium nescio, sed cœlesti Deo meo servio.* Vid. *acta martyr. Scyllitan.* apud BARONIUM in *annal. ad an. CCII. n. II.* Prætermittimus testimonia TERTULLIANI, ORIGENIS aliorumque, recitata a JOSEPH. BINGHAMO *libr. XVI. antiq. eccleſiast. cap. VII. §. 6. vol. VII. p. 361. seqq.* qui & observat, easdem pœnas iis, qui tempore persecutionis gentilibus obsequentes per genium imperatoris jurarunt, fuisse inflictas, quæ idololatris atque apostatis in ecclesia christiana olim fuerint constitutæ.

Licet vero, prout ex dictis patet, veteres christiani recusaverint, jurare *per genium imperatoris*, jurarunt tamen, teste TERTULLIANO in *apol. cap. XXXII. per salutem imperatoris.* Verum hæc quoque verba postea omitti jussit CAROLUS M. licet revera non sint formula juramenti proprie sic dicti, sed potius, uti supra observat GERHARDUS, gravis quædam obtestatio, cujus sensus hic est, non minus hac in re mihi cordi est veritas, quam curæ

si religio jurisjurandi ad ipsas creaturas referatur, sicque aliquid numinis & divinitatis, ut omnipotentia, vel omniscientia, eis tribuatur. Jer. V. 7. *Iurant in his, qui non sunt dii*, vel si temere ac leviter per creaturas juretur hac opinione, quod talibus obtestationibus non peccetur contra secundum præceptum, nec sit perjurium eas fallere, quæ erat pharisæorum opinio, cui Matth. V. 34. opponit Christus veram legis explicationem, quod temeraria, futilia ac levia juramenta sint prohibita, si vel maxime non fiant expresse per Dei nomen, sed per cœlum, terram, Hierosolymam, caput jurantis, cum in hisce quoque formulis nomen Dei oblique, indirecte, relative & implicite contineatur, siquidem *cœlum est thronus Dei, terra scabellum pedum ejus, Hierosolyma est urbs magni regis, & nemo ne unicum quidem capillum capitis sui album vel nigrum reddere potest.* Adde, quod ignominia, quæ creaturis eo ipso infertur, quod cultus soli Deo debitus ipsis tribuitur, in creatorem earum redundet. Anshelmus in cap. V. Matth. *Non debemus jurare per creaturas, tum quia bonae sunt factae a summo bono, tum quia Deus habitat in eis.* Lutherus in enarr. 2. præcepti tom. II. latin. Witteb. *Semper is, qui jurat per ea, quae Dei sunt vel ei adplicata, etiam per Deum jurat, ex quo, in quo, & in quem omnia sunt.* Alexander Alensis. p. III. quæst. 31. artic. 9. *Iurare per creaturam est creatorem ejus testem veritatis adducere.* Sed enim cum juramentum proprie sic dictum sit cultus soli Deo debitus, ideo formulas illas, in quibus nomen Dei non expresse ponitur, præstat vocare graves obtestationes ac vehementes adseverationes vel certe juramenta indirecta, quo pertinent similes formulæ. Deut. IV. 26. *Testor contra vos hodie cœlum & terram.* Gen. XLII. 15. *Vivit Pharao.* 1. Sam. XX. 3. *Vivit anima tua, &c.* Refert Zigabenus in elencho Ismaëlit. *Mahometum jurare per solem, lunam, astra, igneum splendorem, animalia & hujusmodi* (*). Justinianus imperator magistratus novos *non modo per Deum omnipotentem & filium ejus unigenitum D. N. I. C. sed & per sanctam & gloriosam Dei genitricem & semper virginem Mariam ac per sanctos archangelos Gabrielem & Michaelem jurare jubet* (**). Novell. VIII. in fin. Rex Otho Johanni papæ in c. tibi Dn. Johanni dist. 63. jurat *per sacrosanctam Trinitatem, per lignum vivificae crucis, per sanctorum reliquias.* Sed cum juramentum sit species cultus soli Deo debiti, quo gloria omniscientiæ ac omnipotentiæ ipsi tribuitur, ideo status Augustanæ confessioni addicti has jurandi formulas non recipiunt, unde placuit in pacificatione religionis anno MDCLII. Passavii inita, ut in camera imperiali deinceps adsessoribus vel causas ibidem agentibus aut defendentibus liberum esset, utrum sub hac formula vel per Deum & evangelium jurare vellent (***). Monet autem Wesenbecius in parat. de jurejur. num. 6. intelligendum hoc de verbo hypostatico, hoc

curæ cordique mihi est ipsa imperatoris salus. Huc referri quodam modo potest juramentum JOSEPHI *Genes. XLII. 15. Vivit Pharao*; ubi vetus interpres habet, *per salutem Pharaonis.* Similis est jurandi formula, qua usus est rex Davides *1. Sam. XX. 3. Vivit Jehova & vivit anima tua.* Conf. *1. Sam. XXV. 26. 2. Sam. XV. 21. 2. Reg. II. 2, 4, 6.* Ad ejusmodi sacræ scripturæ loca haud incommode adplicari possunt verba BASILII M. antistitis Cæsareensis, in *psalm. XIV. Sunt quidam sermones, speciem quidem juramenti habentes, qui tamen non sunt, sed obtestatio ad eos, qui audiunt.*

(*) De formulis jurandi apud *Muhammedanos* usitatis, legi meretur LUDOV. MARACCIUS *in prodromo refutationis Alcorani p. 46. seqq.*

(**) Hæc juramenti formula, qua invocationi divinæ angeli etiam & sancti adjunguntur, a puritate ac simplicitate priorum post Christum natum seculorum plurimum recedit. In primitiva enim ecclesia juramentorum interpositio in solius Dei nomine facta est, eratque pars quædam specialis cultus Deo debiti ipsique peculiaris & propria. Vid. BINGHAMI *origines sive antiquitates ecclesiast. vol. VII. p. 364. seqq.*

(***) Notandum tamen, promiscuam hanc jurisjurandi formulam in transactione Passaviensi præscriptam, postea in *recessu imperii de anno MDLV. §. 106.* sublatam, illamque, quæ fit *per Deum & evangelium*, adprobatam fuisse. Vid. BÖHMERUM in *jure ecclesiast. protest. tom. I. libr. II. tit. XXIV. §. LV. p. 1299.*

hoc est, de Filio Dei, non de litera evangelii. Juramenti forma apud Judæos (*) hæc est: *Iuramentum praestans tenet librum legis brachio suo & lingua sancta jurat in hunc modum: Ego juro per Deum Israelis, per eum, qui dicitur clemens & misericors, quod huic nihil debeam.* Judices dicunt: *nos adjuramus te per Deum, aut per eum, qui adpellatur misericors, quod non sit in manu tua quicquam.* Et ipse respondet: *Amen!* Schindlerus in lex. in verbo שבע.

De ceremoniis quæ in jurando adhibentur.

§. CXX. Quæritur IV.) *quid de ceremoniis, quae in juramentis adhibentur, statuendum sit?* Resp. Ritus aliquos majoris reverentiæ ergo in juramentis adhiberi non est insolens. Eleazarus jurabat *manu femori Abrahae subjecta*, Gen. XXIV. 2. (**) siquidem ex semine Abrahæ Messias proditurus sperabatur (***). Christiani olim jurabant *tacto sancti alicujus martyris sepulchro*, referente Gregorio lib. V.

(*) De forma juramenti Judæorum copiose agit *ordinat. cameral. part. I. tit. 86.* Peculiarem quoque dissertationem *de formulis juramentorum judaicorum* Rostoch. edidit C. D. HALTERMANNUS. Jungi merentur CASP. ZIEGLERUS, *de juribus Judæorum, cap. V.* JAC. FRID. LUDOVICI, in dissert. supra jam adlegata *de solennibus juramentorum cap. I. §. XXVIII. p. 30. seqq.* JAC. AUG. FRANCKENSTEINIUS, in *dissertat. de juribus singularibus circa Judæos maxime in Germania* Lips. *MDCCXXII.* CHRIST. WILDVOGELIUS, in *dissert. de juramentis Judæorum*, Jenæ *MDCCXX.* De frequentibus Judæorum perjuriis, quæ ipsi inter caussas præsentis exilii sui referunt, vide JO. ANDR. EISENMENGERUM, in *dem entdeckten Judenthum, tom. II. p. 501. seqq.* auctoresque a JO. ALB. FABRICIO, in *bibliograph. antiq. cap. XII. §. VII. p. 621.* edit. recentiss. itemque a JO. CHRISTOPH. WOLFIO, in *biblioth. ebrææ vol. IV. p. 518. seqq.* adlegatos. Cumprimis legi heic meretur CHRISTOPH. DAV. BERNARDI, ex-judæi & lectoris quondam lingg. orient. in academia Tubingensi, *unpartheyische Beurtheilung des Eydschwurs eines Juden gegen einen Christen*, Tubing. *MDCCXXVIII.* 8. ubi non tantum doctrina Judæorum de juramentis ex eorum scriptis diligenter exponitur, sed & formula integra juramenti a Judæo recitandi, necessariis stipata cærimoniis, præscribitur.

(**) Conferendus heic est locus *Genes. XLVII. 29. seqq.* ubi de Josepho memoratur, eum jurasse Jacobo patri suo, *manu sub femore ejus posita.* Disserit quoque de hocce ritu jurandi apud Ebræos olim usitato FLAV. JOSEPHUS *libr. I. antiq. jud. cap. XVI.* Quod si eidem fides habenda, mutua fuit ea manuum impositio. Ita enim hocce juramentum describit: γινονται τουτον τον τροπον, υπο τους μηρους αλληλοις τας χειρας επαγαγοντες επικαλουνται τον θεον μαρτυρα των εσομενων: *fiunt autem hoc modo, subditis alter alteri manibus sub femora, Deum futurorum testem invocant.* Verum fortassis in eo tantum casu factum hoc est, quando promissio erat mutua, non vero ubi servus duntaxat hero suo fidem obligabat, prout fecit Eleazarus, servus Abrahami. Vid. JO. CLERICUM in *commentar. ad Genes. XXIV. 2.*

(***) Cum *exire ex alicujus femore* apud Ebræos idem subinde significet, ac ortum ex aliquo trahere *Genes. XLVI. 26.* nonnulli in eam ingressi sunt sententiam, ritu isto jurandi *manu sub femore posita, Genes. XXIV. 2.* significatum fuisse, Eleazarum jurare Abrahamo hero suo per aliquem, qui ex ejusdem *femore exiturus* esset, hoc est, per Messiam. Hancce sententiam a CHRYSOSTOMO, HIERONYMO, THEODORETO aliisque tum veterum, tum recentiorum adoptatam, suo quoque calculo heic adprobat GERHARDUS noster. Conf. ejusdem *commentar. super Genesin p. 467.* Verum, quamquam hæc observatio non tantum ingeniosa, sed & pia videri queat, contorta tamen est longiusque petita. Nec per eum jurare poterat Eleazarus, servus Abrahami, qui nondum natus erat, nec per plura secula nasciturus erat, prout non sine ratione monet laud. CLERICUS *loc. cit.* Neque enim sermo esse heic posset de Messia, quatenus est verus Deus, qui inde ab æterno exstitit; sed de Messia ut *homine*, ex Abrahami posteris aliquando nascituro.

Alii alias hujus ritus plane singularis adduxerunt rationes. *Tradunt Ebræi*, ait HIERONYMUS, *quod in sanctificatione ejus, hoc est, in circumcisione juraverit Eleazarus.* Hanc sententiam ex ebrææ gentis doctoribus inprimis ornandam suscepit R. SALOMON, secutus hac in re paraphrases chaldaicas. JONATHAN enim verba ebraica: תחת ירכי ita reddit: בגזילת מהולתי *in sectione circumcisionis meæ.* Targum vero Hierosolym. habet: תחות ירך קימי

sub

lib. V. epist. 33. vel *manu altari*, Gregorius Turonensis lib. V. histor. cap. 3. vel *evangeliorum libro impositâ*, Sozomenus lib. VI. histor. eccles. cap. 30. Ex constitutione Carolina, quam auream bullam vocant, ante electionem regis vel imperatoris Romani, electores principes ecclesiastici coram altari proposito S. Johannis evangelio & manibus pectori reverenter suppositis; seculares vero principes electores evangelio ipso corporaliter manibus suis tacto juramentum præstant (*). Deut. XXXII. 40. Dan. XII. 7. juratur *elevatis ad cælum manibus*, unde procul dubio mos hodiernus ortus, quod corporale vel solenne juramentum præstatur erectis & elevatis duobus prioribus digitis, indice ac medio, ut denotetur animæ & corporis oppignoratio, quidam volunt etiam pollicem elevandum esse, ut sacrosanctæ Trinitati juramentum deferri indicetur. Fœminæ jurant adpositâ ad pectus dextra, quem morem etiam veteribus Alemannis (**) usitatum fuisse, refert Petrus Gregorius in syntag. lib. L. cap. VIII. num. 30. Præter contrectatio-

sub femore fœderis mei. Nec tamen hæc sententia ulla innititur ratione probabili, sed ad meram redit conjecturam: ut taceamus, fautores hujus conjecturæ explicare haud posse, quid sibi velit juramentum per circumcisionem.

Jo. Clericus, quem supra laudavimus, existimat, suppositionem illam manuum sub femore esse speciem quandam servilis ministerii, qua innuatur plenum in omnibus, quæ jurentur, obsequium. Subjungit idem: „ qui „ in camelum saltu se subjicere non poterant, „ neque aliud adminiculum habebant, opera „ servorum indigebant; qui, suppositis femo„ ri manibus, se camelo imponerent. Hinc „ forte, aut simili ex caussa, natus est hic ri„ tus.„ Eandem hujus ritus significationem suo quoque calculo adprobarunt ex ebrææ gentis magistris R. Aben Ezra, ex christianis vero doctoribus Martinus de Roa, Jesuita hispanus, in *singularibus sacr. scripturæ part. II. libr. III. cap. XVIII.*

Prætermittimus alias aliorum conjecturas, quæ legi possunt in Gerhardi nostri *comment. ad Genes. XXIV. 2. p. 467.* itemque in *notis*, part. II. *der allgemeinen Weltbistorie* subjectis, *p.* 282. Add. Dan. Fesselium *lib. I. adversar. sacr. cap. IV.* atque interpretes ad *Genes. XXIV. 2.*

Singularis heic est Hermanni von der Hardt, philologi quondam Helmstadiensis, sententia. Is enim, rejecta communi interpretum expositione, secundum quam veteres manum semori alterius subjicere consueviss, statuitur, veteres Ebræos non per *femur*, sed potius per dextram dextræve carpum olim juraviss arbitratur. Hancce sententiam ex nativa vocis ירך significatione, qua *carpum*, nobilem dextræ partem, denotat, comprobare adnititur. Ostendit quoque ex usu totius orbis, tum veteris, tum recentis, morem jurandi per dextram semper fuisse usitatum, atque varia ex Homero & Eustathio adducit testimonia, ex quibus luculenter patet, veteres jurasse per dextræ carpum. Denique ex versione Arabica, quæ in eundem sensum conspirat, nonnulla depromit, atque ad exemplum ipsius Dei, qui per dextram suam robustumque brachium juraste dicitur, provocat. Vid. ejusdem *commentationem de juramento per dextræ carpum*, Helmstadii ann. *MDCCXI.* 4. typis exscriptam, atque recensitam in *actis erudit. Lipsi.* ad ann. *MDCCXII. p. 191. seqq.* Si dicendum, quod res est, hæc expositio memorabilis istius jurandi apud Ebræos consuetudinis magna veri specie se commendat, ac communi hactenus interpretum sententiæ, quæ vocem ירך per *femur* exponit, omnino præferenda videtur.

(*) Vid. *auream bullam tit. II. §. 2. & 3.*

(**) Vid. *leges Alemannorum tit. LVII.* ex edit. Herold, & den *Schwaben Spiegel, cap. XXI.* ex edit. Schilteri. Quænam vero fuerit caussa, quod fœminæ inde ab antiquissimis temporibus tacto pectore jurare soleant, de eo non una eademque eruditorum est sententia. Nonnulli rationem hujus ritus inde depromunt, quod mulieres tactu pectoris in testem vocent propriam conscientiam, atque indigitent, se ita veritatem dicturas, prout illud cor in sinistra parte collocatum exposcat, seque, si commiserint perjurium, animam, quæ in corde potissimum sedem suam habeat, perditurās. Vid. ill. Stryckium, *de jure sens. diss. VII. cap. I. num. 41.* & Jac. Frid. Ludovici, JCtum Halensem, in *dissertat. de solemnibus juramentorum, cap. I. §. XXIV. p.* 27. Verum, si hæc valeret ratio, una eademque jurisjurandi forma viris æque ac mulieribus esset præscripta, siquidem & mares cor sub sinistro pectore habent,

ctationem libri evangeliorum (*) accenduntur hodie alicubi candelæ (**), & aliæ adhibentur ceremoniæ, quæ licet abfuerint, nihil tamen juramenti integritati ex eo decedit.

§. CXXI. Quæritur V.) quæ juramenta fint fervanda? Refp. *In malis promiffis refcinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vovifti, ne facias; impia eft promiffio, quae fcelere impletur*, ut habet Iſidori ſententia c. in malis cauſſa XXII. quæſt. 4. *quod male juratur, pejus praeſtatur; miſerabilis eſt neceſſitas, quae parricidio ſolvitur*, dicit Ambroſius lib. III. de officiis c. 12. ubi de Herodis juramento tractat, *nec juramentum debet eſſe vinculum iniquitatis*, ut ait idem Ambroſius. Hubaldum a juramento concubinæ dato abſolvens. Hieronymus tribus conditionibus juramentum conſtare dicit, *veritate, judicio & juſtitia*. Veritate, ut juretur, quod conſcientia dictitat eſſe verum. Judicio, ut deliberato animo, adhibito judicio de re certa & comperta juretur, quæque jurisjurandi religio ſit, probe attendatur. Juſtitia, ut de re juſta, licita & poſſibili, quæ neque cum fide vel caritate pugnet, ſuſcipiatur. Pulcre Philo de ſpecialibus legibus ad tria decal. præcepta. pag. 491. *Qui juratus male agit, addit culpam culpae, dum ſacramento abutitur. cum debuiſſet potius abſtinere a malitiis, abſtineat igitur, & ſupplex Deum exoret, ut pro ſua clementia temeritati inconſultae ignoſcat, qua ad jurandum praeceps actus eſt, nam duplicare noxam, cum te poſſis exonerare dimidio, maxima eſt mania vix unquam curabilis.* Si vero de re licita ac poſſibili

Quæ juramenta ſint ſervanda?

bent, nullumque heic inter utrumque ſexum diſcrimen deprehenditur. Ut jam illud haud urgeamus, fœminas olim non ſiniſtrum pectus, prout hodie fieri ſolet, ſed aut utrumque, aut ſolum dextrum attigiſſe, prout obſervavit CAROL. FERD. HOMMELIUS, JCtus Lipſienſis isque doctiſſimus, in *libello ſingulari de jure canonico ex germanicis legibus & feudalibus explicando p. 13. not.* (2). Aliam hujus ritus rationem adducit NICOL. HIER. GUNDLINGIUS, JCtus quondam Halenſis, cujus hanc in rem meditatio *part. IV. Gundlingianor. num. 2. p. 311. ſeqq.* inſerta legitur. Obſervat is ex CHRYSOSTOMI *homil. XIX. ad populum Antiochenum*, primis religionis chriſtianæ temporibus mulieres minutos evangeliorum codices nitide deſcriptos in collo ſuſpendiſſe, eosdemque ſemper ſecum tuliſſe. Cum vero tum temporis mos per evangelia jurandi obtinuerit, non opus fuiſſe, ut illa in præſtatione juramenti mulieribus porrigerentur a judice, ſed ſufficeiſſe, ſi pectus tangerent, in quo ſcilicet evangeliorum codex penderet. Verum hancce conjecturam, ut ut ingenioſam, omni probabilitate deſtitui, rationibus minime contemnendis comprobat laudatiſſ. HOMMELIUS *loco excitato p. 14.* qui & aliam eamque longe probabiliorem hujus ritus profert rationem, quæ ex more jurandi veterum Germanorum eſt deſumta. Obſervat nimirum vir doctiſſimus ex monumentis antiquitatis, Germanos olim per arma juraſſe, atque hanc conſuetudinem apud eos ita fuiſſe inveteratam, ut, poſtquam ad Chriſti fidem fuiſſent converſi, eccleſiæ antiſtites eandem genti moris patrii tenaciſſimæ haud ſtatim potuerint eripere, ſed eo duntaxat rem perduxerint, ut Germani in cauſſis levioribus per arma, in gravioribus autem per evangelium jurarent. Hanc jurisjurandi formam cum fœminæ obſervare haud potuerint, factum hinc eſſe, ut fœminæ alio, quam viri, modo, per pectus videlicet, ſacramenta ediderint.

Cæterum conſtat, clericos eodem modo jurare, quo mulieres, non eam quidem ob rationem, quod in imo pectoris ſcrinio altaque in mente evangelium repoſtum habere credantur, quæ GUNDLINGII eſt conjectura, ſed quod iis pariter atque fœminis armorum uſus inde ab antiquiſſimis temporibus eſt interdictus; prout obſervat HOMMELIUS ſæpius jam a nobis laudatus *loc. cit. p. 16.*

(*) De ſolennitate in juramentorum præſtatione uſitata, quæ ſit *tactis ſacroſanctis evangeliis*, copioſe differit JO. FRID. LUDOVICI, in *diſput. de ſolennibus juramentorum cap. I. §. XVIII. ſeqq. p. 20. ſeqq.* ubi & obſervat 1) evangelia ut plurimum duobus duntaxat digitis, & quidem dextræ prioribus, tangi; 2) uſu receptum eſſe, ut evangelium Johannis ejusque principium: *in principio erat verbum*, evolvatur.

(**) In quibusdam locis non tantum candelæ accenduntur, ſed & caput defuncti alicujus proponi ſolet juraturis. Vid. LUDOVICI *loco excitato §. XXVI. p. 28. ſeqq.*

juramentum præstitum, religiose servandum est, si vel maxime id videatur durum ac difficile, Ps. XV. 4. *Qui juravit malum*, (quod rebus suis obesse videt) *& non mutat, is habitabit in monte Domini.* Hinc facile adparet, quid statuendum sit de juramento, latroni præstito, tum de certa pecuniæ summa ipsi numeranda, tum de silentio præstando, de quo late disputat Rauchbarus p. II. quæst. juris quæst. 4. Sane præstantissimi quique theologi illud servandum esse statuunt, sanctior enim ac augustior nobis debet esse jurisjurandi religio, quam pecuniæ jactura, nec suo genere illicitum est tale juramentum συγχειτικῶς scilicet, quatenus vita per illud conservari potest. Si justum fuit ac licitum, tale quid juramento promittere, justum quoque ac licitum erit juramento promissa implere. Josua, licet deceptus a Gibeonitis, tamen noluit jurisjurandi religionem violare. Jos. IX. 18. (*) Ac juramenta etiam hostibus præstita servanda esse, patet ex Ezech. XVII. 13. Scholastici dicunt, juramentum coactum esse obligatorium in foro conscientiæ, non autem in foro exteriori. Proinde pecuniam latroni juratam esse dandam, sed tamen haberi remedium, quo possit datam in judicio repetere, aut judici denunciare, nec debet jurare, quod non velit denunciare, quia hoc est contra fraternam correctionem, ac proinde illicitum. (**)

An adprobandus usus ligaturarum ac characterum.

§. CXXII. Quæritur VI.) *an adprobandae sint superstitiosae illae vel ligaturae, vel suspensiones quarundam rerum, vel characteres ad avertendos morbos aliaque mala adhibitae.* Resp. Minime vero. Quamvis enim non intercedat manifestum pactum cum diabolo, nec adhibeatur Christi vel baptismi abjuratio, tamen superstitio illa est peccatum contra secundum præceptum, quippe qua nomen Dei levatur in vanum. Non hoc fine verbum suum dedit nobis Deus, ut ad avertendos corporis morbos characteres ejus usurpemus, sed ut ad vitam æternam, atque animæ salutem ex eo instruamur. Joh. XX. 31. Quæcunque igitur curationes vel observationes non habent causam in natura, vel institutione divina, superstitiosæ judicentur, atque earum inventio transscribenda est diabolo. Inconsiderate igitur quidam medici curationem illam per concepta quædam verba probant, superstitionem anicularum hac ratione confirmando, (vide Aëtium lib. VIII. cap. 50. Trallianum libr. IX. cap. 4.) sive statuant, revera per incantationes tolli morbos, sive ex accidenti, quatenus confidentia & alacritas ægroti usu incantationum, quibus aliquid virium tribuit, excitatur & ex consequenti morbus levatur.

Explicatio tertii præcepti.

§. CXXIII. Præceptum tertium: *Memento, ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septima autem die sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo tu & filius tuus, & filia tua, servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, & mare, & omnia, quae in eis sunt, & requievit die septimo. Idcireo benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificavit eum.* Partes duæ sunt: *Praeceptum* & præcepti

(*) Placuisse Deo, quod Josua servaverit juramentum Gibeonitis præstitum, exinde adparet, quod fœderis istius violatio a Saule perpetrata, non nisi cæde posteritatis expiari potuit. 2 Sam. XXI. 6. GERHARDUS.

(**) *Non quæritur, quid juris quis adversus latronem habeat: sed quomodo in conscientia juramento obstrictus sit? quo respectu juramentum istud dicitur a theologis obligatorium. Duo promitti solent in hoc juramento: 1.) certa pecuniæ summa: 2.) silentium perpetuum. Prius quod attinet, sanctior est juramenti religio, quam pecuniæ jactura. Ad posterius dicimus, tacendam esse injuriam istam & vim illatam, quoad speciem, hoc est, damnum a latronibus illatum vi præstiti juramenti non revelandum, & interim quoad genus manifestari posse, hoc est, magistratus in genere moneri potest, ut vigilet, inque id incumbat, ut provincia malis hominibus, quos hinc inde grassari, furari, prædari certum sit & exploratum, expurgetur, & viæ publicæ tutæ conserventur.* Hæc ex VINC. SCHMUCCIO adnotavit GERHARDUS.

pti *ratio*. Præceptum obſervationem ſabbati præſcribit tum ſanctificatione, tum quiete ab externis laboribus peragendam. In hoc præcepto *ceremonialia* a *moralibus* accurate ſunt diſtinguenda; ſanctificari ſabbatum, & ab operibus, quæ cultum divinum remorantur, abſtineri, hoc eſt, certis diebus publicum eccleſiæ miniſterium inſtitui, certum aliquod tempus miniſterio verbi ἐυταξίας cauſa tribui, *morale* eſt. Sed diem ſeptimum ſanctificari, hoc eſt, judaicum ſabbatum in vet. teſt. obſervatum huic cultui attribui, *ceremoniale* eſt, ut ſuo loco plenius docebimus. Ratio præcepti ad ipſius Dei exemplum ac primævum inſtitutum nos remittit, ipſe quippe Deus ſex diebus fecit opera ſua, cum cœlum ac terram in principio conderet, ſeptimo autem die quievit, ac diem illum quiete ſanctificavit.

Memento. §. CXXIV. Ut ſcopum ac finem præcepti indagemus, expendemus prius ſingula verba. I.) Non ſimpliciter, ut in reliquis præceptis, dicit Deus: ſabbati diem ſanctificabis, ſed præmittit attentionis voculam, *memento*, ut diem ſabbati ſanctifices. In Hebræo eſt זָכוֹר in forma *infinitivi*, quod genus præcipiendi admodum grave eſt ac ſerium, accuſatur igitur corruptæ naturæ noſtræ oſcitantia, quod pietatis ac divini cultus oblivio ſæpiuſcule animum noſtrum ſubeat, ergo hujus verbi ſtimulo ex veterno noſtro excitamur. Præterea admonemur hac voce, quod ad præceptorum divinorum obſervantiam requiratur animus memor ac vigilans, qui dies ac noctes de præceptis ſervandis cogiter, Pſalm. I. 2. *Beatus, qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* Pſalm. CXIX. 16. *Non obliviſcar verborum tuorum.* v. 176. *Mandatorum tuorum non ſum oblitus.* Præceptorum divinorum oblivio proxima eſt ad transgreſſionem ipſorum via. Quinimo cum recordandi verbum magis animi adfectum, quam externum opus concernat, ſignificatur hac voce non tam externam ſabbati obſervationem, quam interiorem ſanctificationem hoc præcepto requiri. Et quod in ſpecie de ſanctificatione ſabbati hic præcipitur, id ad omnia omnino præcepta Dei aliis in locis transfertur. Deut. VI. 8. *Lex iſta erit ſignum in manu, & inter oculos tuos recordatio.* Mal. IV. 4. *Mementote legis Moſe ſervi mei, cui mandavi in Horeb ad univerſum Iſrael ſtatuta & judicia.* Denique cum in prima ſtatim mundi creatione ſabbatum fuerit a Deo ſanctificatum, ideo recordandi verbo memoria illius rei quaſi renovatur. Rabbini ridicule ſtatuunt, ideo verbum *recordandi* in principio hujus præcepti poſitum eſſe, quod in omni re pretioſa, ut ſi quis habeat novam veſtem, debet exſpectare diem ſabbati, ut primo tunc utatur ea.

Ut ſanctifices. §. CXXV. II.) Jubemur *ſanctificare* ſabbatum, qua in re ſcopus & anima quaſi hujus præcepti conſiſtit. Aliter autem Deus ſanctificat ſabbatum, Gen. II. 3. aliter homines illud ſanctificant. Deus benedicit ſabbato, & ſanctificat illud, hoc eſt, divino cultui deputat, & qui *juxta præſcriptum Dei ſabbatum ſanctificant, ſuper eos tranſit haec benedictio*, ut Rabbi Agnon dicit, *Dei benedicere eſt benefacere.* Ergo qui in honorem Dei ſabbatum ſanctificant, omnis generis bonis, præſertim ſpiritualibus, implentur. Homines ſanctificant ſabbatum, quando illud a Deo ſanctificatum eſſe agnoſcunt, pro ſancto habent & ſanctis operibus in eo vacant. Quæ vero ſunt illa opera? interior ſanctificatio ac ſpiritualis cultus in prioribus duobus præceptis requiruntur, ſed quia in hac vita ſpiritualis ille ac interior cultus externo aliquo exercitio publici miniſterii indiget, per quod Deus interiorem illam ſanctificationem in nobis efficit, conſervat & auget, ac in quo interioris illius ſanctificationis γνωρίσματα eduntur, ideo hoc tertium præceptum accipiendum eſt de publico verbi ac ſacrarum ceremoniarum miniſterio. Exod. XXXI. 13. *Sabbata mea cuſtodietis, ut ſciatis, quod ſim Jehovah ſanctificans vos.* v. 14. *Cuſtodietis ſabbatum, quia ſanctitas eſt vobis*; id eſt, per publicum ac externum illud miniſterium verbi interiorem ſanctificationem in cordibus veſtris operabor. Exod. XX. 24. *In quocunque loco memoriam nominis mei inſtituero, veniam ad te, & benedicam tibi.* Quæ vero ſint illa publici miniſterii & cultus divini exercitia, in enumeratione virtutum hujus præcepti adparebit.

§. CXXVI.

Diem.

§. CXXVI. III.) Non simpliciter jubemur sabbatum sanctificare, sed additur: Memento, ut *diem* sabbati sanctifices, non quod superstitiosam dierum observationem Deus confirmare velit; sed ut doceamur, integrum sabbati diem sanctificare ac sanctis operibus transigere. Vulgaris idemque pessimus mos est, aliquam tantum eamque fere minimam diei sacræ partem divino cultui impendere, reliquam vero ignavo otio vel etiam choreis ac conviviis tribuere, sed meminerimus diem, non aliquot horas sabbati esse sanctificandas. Deinde cum dies haberi jubetur sanctus, communi sensu ex eo sequitur, sanctum diem etiam sancta opera & sanctam conversationem requirere, quemadmodum etiam poëta ethnicus scribit:

Sancta dies oritur, linguisque animisque favete:
Hoc dicenda bono sunt bona verba die.

Denique cum præter sabbatum dierum sit etiam sabbatum mensium & annorum, Lev. XXV. 4. & XXVI. 35. Ideo expressa fit diei sabbati mentio, ut intelligatur, potissimum de sabbato dierum hic agi, aliis in locis generaliter in plurali Deus loquitur: *Custodite sabbata mea*, Exod. XXXI. 13.

Sabbati.

§. CXXVII. IV.) Nominatim exprimitur dies septimus, qui divino cultui sit destinatus. Populus Israëliticus erat carnalis, ad superstitionem & idololatriam admodum pronus, non ergo ritus tantum ac ceremonias, quibus ad cultum Dei informarentur, sed etiam certa tempora ac certos dies præscripsit illis Deus, in quibus ritus illos ac ceremonias exercerent, nec ipsorum arbitrio liberum reliquit, eligere dies, quoscunque vellent, sed certis legibus eos adstrinxit, ut hac ratione ab ἐθελοθρησκείαις revocarentur: Deut. XII. 8. *Non facietis singuli, quicquid rectum in oculis ipsorum.* Adde, quod septimus dies convenientissime præ reliquis fuit electus, propter memoriam præteriti (puta propter sabbati creationis) & signum futuri (videlicet propter sabbatum redemtionis, quod Christus in sepulcro egit, & propter sabbatum æternum) Exod. XXXI. 13. *Sabbatum meum custodietis, quia signum est inter me & vos.* Ezech. XX. 20. *Sabbata mea dedi eis, ut essent in signum inter me & ipsos.* Ab hoc ceremoniali legis involucro in nov. test. sumus liberi.

Sex diebus operaberis.

§. CXXVIII. V.) *Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua:* תַּעֲבֹד proprie significat *serviliter operaberis;* ostendit igitur Deus discrimen inter labores externos & inter exercitia pietatis ac cultus divini. *Illos* vocat serviles, *his* vero sanctificari dicit sabbatum. Ne vero existimetur, labores illos vocationis Deo displicere, ideo in hoc ipso præcepto, quod de sanctificatione sabbati agit, expressam eorum mentionem facit, ac sex dies illis adsignat, septimum tantum diem cultui divino tribuendum præcipit. Quidam verba illa: *sex diebus operaberis* intelligunt *permissive*, hoc sensu, quod liberum illis reliquerit Deus populo suo, quid ac qua istarum dierum operari velit, sed rectius accipiuntur προσαχτικῶς in forma præcepti dicta, sicut etiam D. Lutherus vertit *sechs Tage sollt du arbeiten*, nam non minus labores vocationis, quam sanctificatio sabbati a Deo requiruntur. Gen. III. 19. *In sudore vultus tui vescéris pane tuo.* Atque eadem in hebraico verbo forma est, quæ in reliquorum præceptorum verbis occurrit: תִּזְרַע תִּרְצָח תַּעֲבֹד &c. Propter extremam naturæ corruptionem non minus reliquis diebus ignavum otium homini prohibitum, quam septimæ diei sanctificatio præcepta. Id ipsum comprobat ratio huic præcepto subjecta, quod non tantum septimo die quievisse Deum commemorat, sed & sex diebus operatum fuisse. Ergo ut exemplum Dei in quiete sabbati nobis proponitur, ita quoque idem in opere sex dierum nobis proponi censeamus.

§. CXXIX. VI.) Servilibus laboribus conceduntur dies sex, cum septimus tantum sabbati sanctificationi concedatur, non quod opera illa, quibus sextiduum illud transigitur, sint præstantiora ac digniora illis, quibus sabbatum sanctificatur, sed quia nota est Deo extrema naturæ corruptio, propter quam caro nostra laboribus subl-

subigenda, nè torpescat otio. Creati sumus initio non ad servilia illa opera, ad sudorem illum vultus, sed ad illa opera, quibus sabbatum sanctificatur, & in vita æterna, quando sabbatum ex sabbato celebrabimus, cessabunt laboriosa illa ac servilia opera necessitatibus hujus vitæ inservientia; sed propter corruptionem naturæ ex peccato primorum parentum ortam ac in nos traductam pœnæ loco multiplicati sunt illi labores ac sudores, ideo sexti diei laboribus probe subactis ac defatigatis, unius tandem, videlicet septimæ diei, quies conceditur. Ex quo fundamento adparet, quid de copia superfluarum ac superstitiosarum feriarum sit statuendum.

Et omnia opera tua facies.

§. CXXX. VII.) Jubemur sex diebus operari, & omnia opera *Nostra* facere seu absolvere, (עֲשִׂיָה enim utrumque significat) quod ipsum non caret ἐμφάσει. Præscribit enim Deus unicuique suæ vocationis opera, quæ absque ulla πολυπραγμοσύνῃ exsequatur, 1. Cor. VII. 17. *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet.* 1. Thess. IV. 11. *Operam detis ἡσυχάζειν καὶ πράσσειν τὰ ἴδια, καὶ ἐργάζεσθαι ταῖς ἰδίαις χερσὶν ὑμῶν.* 2. Thess. III. 11. dicuntur ἀτάκτως ambulare οὐ μηδὲν ἐργαζόμενοι, ἀλλὰ περιεργαζόμενοι. Quin imo cum opera illa servilia dicantur *nostra*, & ab operibus, quibus sabbatum sanctificatur, distinguantur, innuitur, non esse in viribus nostris, sancta illa opera, in sabbato peragenda, eo modo perficere, ut sint Deo grata, sed hoc esse Dei opus, ipse est, qui nos sanctificat Exod. XXXI. 13. *Sabbatum meum custodietis, ut sciatis, quod ego sim Iehovah, sanctificans vos.* Ezech. XX. 20. *Dedi illis sabbata mea, ut sciant, quod sim Iehovah, qui sanctificat ipsos.*

Septima die est sabbatum Dei.

§. CXXXI. VIII.) Septima dies dicitur *sabbatum* Domini Dei nostri; sane *propter hominem institutum esse sabbatum* pronunciat Christus Marc. II. 27. hoc est, propter hominis usum ac commodum, interim non dicitur homiais, sed Dei sabbatum, tum quia ab ipso institutum, tum quia in prima statim creatione post absolutum cœli ac terræ opificium ab ipso celebratum. Ac latet in hisce verbis αἰτιολογία. Dominus ille, cujus est sabbatum, est Deus tuus, ergo in honorem & cultum ipsius sabbatum sanctificabis. Quinimo his verbis etiam modus quadtenus præscribitur, quo debeat a nobis sabbatum sanctificari. Quia enim est Dei sabbatum, ergo operibus Dei, hoc est, a Deo præscriptis & requisitis est sanctificandum, quemadmodum in primo præcepto, verbis illis: *Ego sum Dominus Deus tuus*, jubemur Deum non aliter colere, quam in verbo nobis præscripsit. Pertinet huc pulcerrimus locus Esa. LVIII. 13. *Si averteris a sabbato pedem tuum, nec feceris voluntatem tuam* (חֶפְצְךָ, beneplacitum tuum,) *in die sancto meo, tum vocabitur sabbatum jucundum in sanctitatem Domini glorioſum, tuas glorificabis eum, dum non facies vias tuas, & non invenietur voluntas tua.* (Ubi nomine voluntatis nostræ intelliguntur non solum prava carnis desideria, sed etiam superstitiosæ ἐθελοθρησκείαι, ut ex totius capitis contextu adparet) Denique verbis hisce: *Sabbatum Domini Dei tui est*, in solius Dei honorem ac cultum sabbatum celebrare, ac ipsi soli religiosæ adorationis cultum exhibere jubemur. Augustinus lib. VIII. de civit. Dei cap. 27. *Martyribus non constituimus templa, sacerdotia, sacra & sacrificia, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei &c. Sed non constituimus eis sacerdotes, nec offerimus eis sacrificia &c. quia incongruum illicitumque est, atque uni Deo tantummodo debitum.*

Non facies omne opus in eo.

§ CXXXII. IX.) *Non facies omne opus in eo.* Refert Münsterus in cap. XX. Exod. ex Rabbinis, quod verba isthæc eo modo intelligant, quod die sabbati non liceat pomum carboni admovere, ut assetur, aut vinum super sinapi pulverem mittere, aut allium, quod edere velis, decorticare, prohibitum quoque esse, saltantem pulicem capere, reptilia, quæ utrumque sexum habent, interficere, nisi tibi sint infesta; arborem non licet con-

scendere, ne ramum frangas. Super herbas caveto gradi, ne calceamento herbam evellas. In cythara aut alio musico instrumento non licet ludere, non licet cantare, nec alium sonum edere, quo vel puerum a fletu coërceas &c. Dicunt etiam, sabbatum hoc modo sanctificari, quando homines aliis utuntur vestibus, & aliter loquuntur atque edunt, quam in diebus profanis, videlicet si vescantur carnibus ac piscibus, si vinum bibant &c. Sed hæ nugæ gerris Siculis ineptiores merito suis auctoribus relinquuntur. Quæ opera sabbato facienda Deus prohibuerit, id non solum ex aliis scripturæ locis, sed ex ipsis hujus præcepti verbis colligitur. *Non facies vllum opus*, scilicet servile, quod publici ministerii partes & cultum divinum impediat, præcedit enim vocabulum תַּעֲבֹד, & jubentur servi ac jumenta ab opere abstinere, Lev. XXIII. 7. כֹּל מְלֶאכֶת עֲבֹדָה לֹא תַעֲשׂוּ, *Omne opus servitutis sive servile non facietis.* Deut. V. 15. additur ratio: *Memento, quod & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus &c.* Ergo in memoriam istius beneficii jubet Deus, ut sabbato etiam servis ac jumentis quies a labore concedatur. Ubi denuo ceremonialia a moralibus hujus præcepti adcurate sunt distinguenda. *Morale* enim ac perpetuum est, opera illa prohiberi, quæ publici ministerii exercitium impediunt; interim opera ea, quæ ad cultum Dei, ad ceremonias sacras, ad dilectionem proximi & vitæ necessitatem pertinent, non sunt prohibita. Contra vero multa erant ceremoniali lege Judæis prohibita, quæ in nov. test. non amplius nos obligant. Exod. XVI. 29. *Sabbato non egrediatur quisquam e loco suo.* Atqui Christus sabbato sæpius iter fecit Matth. XII. 1. Sic Jer. XVII. 21. severe edicitur, *non esse portanda onera die sabbati.* Sed Joh. V. 8 jubet Christus tolli grabatum. Quidam hæc. verba *allegorice* interpretantur, quod non sint facienda sabbato opera nostra, hoc est, ea, quæ a vitiata nostra natura proficiscuntur; sed enim locum habet hæc allegoria in spirituali christianorum sabbato, quod est perpetuum, ac singulis vitæ diebus celebrari debet: at hoc loco aliena est, neque enim septimo tantum die, sed & sex illis intermediis diebus a talibus corruptæ carnis operibus abstinendum est.

§. CXXXIII. X.) Non facies sabbato ullum opus, *nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec servus tuus, neque ancilla tua &c. neque peregrinus tuus, qui est in portis tuis.* Colligimus ex his verbis: 1.) quamvis sanctificatio sabbati primario ac proprie non consistat in externa quiete, interim quia servilia opera veram sabbati sanctificationem impediunt, ideo disertis verbis hoc præcepto prohibentur, ex quo colligenda est regula quædam generalis in omnibus decalogi præceptis observanda, quod non solum peccata, sed etiam peccatorum occasiones lege Dei sint prohibitæ: quodque non solum virtutes lege Dei requirantur, sed etiam omnia ea, quæ virtutibus impedimento sunt, averruncari jubeantur. Patet etiam ex eo, quam præsenti animo, quam serio studio, quantave attentione sacra sint tractanda, qua spiritus alacritate ac libertate verbum Dei audiendum! 2.) Cum diserta mentio fiat filiorum, servorum ac peregrinorum, ex eo colligitur, a parentibus, patribusfamilias & magistratibus exigi, ut non ipsi solum sabbatum sanctificent, sed etiam a filiis, servis ac peregrinis curæ & fidei suæ commissis illud sanctificari curent. Quod religionis communicationem concernit, nulla est differentia inter parentes ac liberos, dominos ac servos, magistratus ac subditos, *unus omnium Dominus, una omnium fides, una omnium spes ac hæreditas*, Eph. IV. 4. & 5. 3.) Quod etiam advenæ jubentur septimo die ab operibus feriari, ex eo patet, quamvis peregrini non fuerint coacti ad religionem Israëliticam suscipiendam, tamen ab ipsis requisitum fuisse, ut in externis divinæ legi sese subjicerent, quod suo modo etiam christiano magistratui ad imitationem est propositum. Si advenis licuisset sabbato operari, non solum exemplo suo Israëlitis scandalo fuissent, sed etiam in fraudem legis per istos opera sua servilia exsequi potuissent.

Nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec servus tuus &c.

§. CXXXIV.

Nec jumentum suum.

§. CXXXIV. XI.) Jumentorum etiam in hoc præcepto Deus meminit, non quod *de bobus ipsi sit curae*, 1. Cor. IX. 9. hoc est, quod legem suam brutis tulerit, aut quasi sanctificatio sabbati etiam ad bruta pertinuerit; sed jumentis imperatur sabbato quies has ob causas: 1.) Quia labor jumentorum requirit gubernatorem hominem. 2.) Nisi expressa jumentorum facta fuisset mentio, potuissent Judæi in fraudem legis divinæ adcommodare eadem gentilibus ad opus faciendum. 3.) Quia non homines solum, sed & jumenta quiete aliqua indigent, ideo septimo die eadem refici Deus voluit. Quod autem hominum & jumentorum quietem conjungit, id facit ideo, ut ostendat, veram sabbati observationem non consistere in externa illa quiete a servilibus operibus, quæ homini cum jumentis communis est, sed requiri insuper sanctificationem, quæ est homini propria, & propter quam externa ista quies præcipitur. 4.) Quia Deus etiam brutis animantibus quietem aliquam concedit, ex eo discere debemus, quanto majori benignitate & clementia erga nos præditus sit? 5.) Ad humanitatis officia non solum servis & peregrinis, sed ipsis etiam jumentis exhibenda hoc verbo invitamur, quia per exercitia crudelitatis in bruta accenditur & augetur inhumanitas erga proximum, ut testatur Domitiani exemplum, qui ex quotidiano muscas confodiendi exercitio tyrannidem didicit. Prov. XII. 10. *Cognoscit justus animas jumentorum suorum, viscera autem impiorum sunt crudelia.*

Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram.

§. CXXXV. XII.) Revocantur Israëlitæ ad primævam sabbati institutionem, ideo ἀιτιολογικῶς subjungitur: *Sanctifica diem sabbati &c. Sex enim diebus fecit Iehovah cœlum & terram, & mare, & omnia, quae in eis sunt, & requievit die septimo*, idcirco benedixit Deus diei sabbati, & sanctificavit illum. Sabbatum inter cætera debebat esse perpetuum memoriale creationis, ideo revocantur Israëlitæ ad istum articulum. Quemadmodum Deus sex diebus omnia creavit, die autem septimo requievit, & vidit, quæ fecerat: ita sex diebus debebant operari, septimo autem quiescere, & cogitare de beneficiis in articulo creationis & providentiæ nobis præstitis. Quomodo vero quievit Deus, cum proprie loquendo in opere creationis non laboraverit? *ipse dixit, & facta sunt.* Resp. Quies dupliciter potest accipi, *vel* ut notet finem ac terminum actionis, *vel* ut refrigerium post laborem exprimat; priori modo Deo tribuitur quies, non autem posteriori. Ut in opere Dei nulla cogitanda defatigatio, ita in ipsius quiete nulla est ignavia. Deinde cessavit Deus a condendis novis creaturarum speciebus, interim a se conditas tuetur & gubernat. Joh. V. 17. dicit Christus: *Pater meus ἕως ἄρτι operatur, & ego operor.* Vide Augustinum lib. IV. de Gen. ad liter. cap. 12. Hæc alibi latius explicantur. Hoc loco observemus additam præcepto rationem. Die septimo post hominis creationem quievit Deus, utique ergo in Deo etiam quiescat homo, ut Deus quiescat in ipso. Cumque Deus ita quiescat die septimo, ut tamen non cesset ab omni opere, sed rerum universitatem conservet ac gubernet; ita quoque sabbati sanctificatio non consistit in ignavo otio, sed ut ea operemur, quæ ad Dei gloriam faciant.

Virtutes in tertio præcepto requisitæ.

§. CXXXVI. Ex his fundamentis facile potest colligi, quæ sint virtutes tertii præcepti. 1.) Lev. XXIII. 3. dicit Dominus ad Israëlitas: *Sex diebus fiet opus, die autem septimo sabbatum quietis est* מִקְרָא-קֹדֶשׁ, *convocatio sancta*, quod v. 7. 8. 21. 27. repetitur. Ergo lex de sabbato requirit, ut instituantur publici ecclesiæ congressus, ut fideles congregentur ad publicum ministerium. 2. Reg. X. 20. *Sanctificate cœtum ipsi Baal, & convocarunt*, ubi verba desumuntur ex tertio præcepto. 2.) In publicis illis congressibus propaganda est vera doctrina, verbum Dei prædicandum, & audiendum est, Lev. X. 11. *Sacerdotes in tabernaculo ecclesiae doceant filios Israël omnia statuta, quae locutus est Iehovah.* Luc. IV. 16. *Christus sabbato docet in synagoga Nazarethana.* Act. XIII.

14. & 15. *Paulus & Barnabas ingressi die sabbatorum sederunt, post lectionem autem legis & prophetarum miserunt principes synagogae ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.* v. 44. *sequenti sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei.* Act. XV. 21. *Moses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* 3.) In iisdem administrandæ ceremoniæ divinitus institutæ, præsertim sacramenta, quæ licet in novo testam. ad certum tempus ac locum non sint alligata, tamen convenit eorum administrationem in publico ecclesiæ cœtu potissimum vigere. 1. Cor. XI. 20. *Convenientibus vobis in unum, hoc non est dominicam cœnam edere.* Act. XX. 7. *Una sabbatorum, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disserebat eis.* 4.) Instituenda publica & solennis Dei invocatio ac celebratio, qua confessio, gratiarum actio & preces nostræ conjungantur cum ecclesia, Psalm. XXII. 23. *In medio congregationis* בְּתוֹךְ קָהָל *laudabo te.* v. 26. *a te laus mea in congregatione multa.* Act. XVI. 13. *die sabbatorum egressi sumus extra urbem, ubi videbatur oratio esse, & sedentes loquebamur mulieribus, quae convenerant.* 5.) Colligendæ eleemosynæ ad sustentationem pauperum. Esa. LVIII. 7. *Frange esurienti panem tuum, & egenos introduc in domum tuam, hos vocabitur sabbatum Domini sanctum &c.* 1. Cor. XVI. 1. *De collectis, quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiae, sic & vos facite.* v. 2. *In una sabbatorum quisque vestrum apud se reponat, recondens, quod ei placuerit.* Vide Justinum apol. II. p. 77. ubi ecclesiasticos cœtus sui temporis pulcerrime describit. Huc referenda etiam reliqua misericordiæ opera, quibus sabbatum minime profanatur. Christus sæpius die sabbati ægros sanavit, & contra Pharisæorum superstitionem hoc suum factum defendit. 6.) Abstinendum ab operibus manuariis, servilibus & mechanicis, quæ publicum divini cultus exercitium impediunt.

§. CXXXVII. Pugnat igitur cum tertio præcepto 1.) *Deserere congregationem* Hebr. X. 25. nolle publicis ecclesiæ congressibus interesse, abjecte de illis sentire, raro adesse sacris concionibus. 2.) Dies sacros consumere ignavo otio, lectionem, meditationem & auscultationem verbi negligere, inflectere doctrinam ad aliorum adfectus ac cupiditates. 3.) Sacramentorum administrationem atque usum intermittere, institutionem divinam mutare, excludere a communione sacrorum eos, qui erant admittendi; admittere eos, qui erant excludendi. Ezech. XXIII. 38. *Sabbata mea profanarunt, cum filios suos idolis immolarunt.* 4.) Publicas ecclesiæ preces contemnere, absque urgente causa ab eis se subtrahere, interesse quidem precibus publicis, easdemque recitare, sed absque adfectu & attentione, lingua ignota precari. 1. Cor. XIV. 17. *Tu quidem bene gratias agis, sed alter non aedificatur.* 5.) Vel parum vel nihil conferre ad pauperum sustentationem; *tuba canere, si quando eleemosynae dantur* Matth. VI. 2. hoc est, in illis erogandis se ostentare. 6.) Domesticis nullam concedere quietem; opera, quæ sabbati sanctificationem impediunt ac differri poterant, sabbato peragere. *Peccata contra tertium praeceptum.*

§. CXXXVIII. Ceterum cum non omnes possint prophetæ officio fungi, 1. Cor. XII. 29. ideo sanctione hujus præcepti statuitur discrimen inter *ministros* verbi & *auditores*, quibus singulis sua munia suæque partes adlignantur. *Ministrorum* officia sunt, 1.) veram & integram legis ac evangelii doctrinam gregi sibi commisso proponere. 1. Petr. IV. 11. *qui loquitur, loquatur ut eloquia Dei*, quo pertinet institutio rudiorum catechetica, ἔλεγχος eorum, qui veritati adversantur, παράκλησις adflictorum &c. 2.) Sacramenta secundum divinam institutionem recte administrare, 1. Cor. XI. 23. *A Domino accepi, quod tradidi vobis.* 3.) Disciplinam ecclesiasticam conservare, Matth. XVIII. 17. *Dic ecclesiae*, quo pertinent νουθεσία, ἐπανόρθωσις, ἐπιτιμησις, usus clavium in absolutione & excommunicatione. 4.) Preces pro tota ecclesia facere, 1. Sam. XII. 23. dicit Samuel: *Absit a me, ut peccem Jehovae, cessando orare* *Officia ministrorum verbi.*

orare pro vobis, ac docere vos viam bonam & rectam. 5.) Auditoribus probatæ vitæ exemplo præire. Tit. II. 7. *Per omnia te ipsum præbe exemplar bonorum operum &c.* qua de re in capite de ministerio dicetur uberius.

Auditorum. *Auditorum* officia sunt: 1.) verbum Dei ex ore ministrorum tanquam ex Dei ore audire, a pseudoprophetis sibi cavere. 2.) Uti sacramentis divinitus institutis. 3.) Obedire ministris, subtrahere se a fratribus inordinate ambulantibus, excommunicatis non dicere ave &c. 4.) Orare pro ministris, gratias Deo agere pro fidelibus verbi præconibus. 5.) Professionem doctrinæ morum honestate ornare. 6.) Denique ministros diligere, honorare, pacifice cum illis vivere, ipsis benefacere, conferre aliquid ad alendos docentes ac discentes in scholis, tolerare infirmitates ministrorum, quæ non enormiter corrumpunt aut impediunt officium, aut publicum præbent scandalum. Antithesis facile ostendet, quid ministris ac auditoribus cavendum sit, ne sui officii parum memores ac tertii præcepti transgressores audiant. Addendæ etiam promissiones ac comminationes, addenda exempla, quibus obedientiam hujus præcepti remunerari, inobedientiam vero puniri manifestum fiat (*).

§. CXXXIX. Quæritur I.) *quotuplex sit sabbatum?* Resp. 1.) Est sabbatum *creationis*, Gen. II. 2. quo Deus ab omni opere suo, quod fecerat, requievit, ac diei septimæ benedixit. 2.) Est sabbatum *Mosaicum*, quo septimus dies publico divini cultus exercitio & vacationi ab operibus œconomicis ac politicis fuit destinatus, Exod. XX. 10. Ceterum quia opera, quibus sanctificatur sabbatum, sunt finis ille, propter quem homo conditus est, ideo etiam tota reliquorum dierum hebdomada apud Hebræos dicitur sabbatum sive sabbata. Ad hoc Mosaicum sabbatum referendum etiam sabbatum *annorum*, quod erat septimus quisque annus, quo Israëlitæ agrorum ac vinearum culturam intermittere jubebantur, Lev. XXV. 3. & seqq. unde dicitur, *sabbatum terræ.* 3.) Est sabbatum *redemtionis*, quo Christus per integrum sabbati diem in sepulchro quievit, Luc. XXIII. 54. 56. Quemadmodum absoluto primæ creationis opere quievit Deus die septimo: ita absoluto ἀναστάσεως καὶ ἀναπλάσεως nostræ opere itidem quiescere voluit Christus in sepulchro, ut æternam quietem nobis a se partam demonstraret. Augustinus lib. IV. de Genesi ad lit. cap. 11. *Christus ipso die sabbati requievit in sepulchro, eumque*

Quotuplex sit sabbatum.

(*) Circa sabbatum in defectu peccant *Photiniani*, qui in nov. test. *illud ea ratione dicunt esse abrogatum, ut nihil* (& sic nec morale) *remanserit.* In excessu 1.) Judæi, qui adhuc hodie in nov. test. sabbati observationem statuunt necessariam. Fingunt, *omnes gentiles, qui sabbatum non servaverunt, horribiles cruciatus perpeti in inferno, & nolentes volentes cogi ad sabbatum etiam apud inferos servandum, videlicet damnatos eo momento, quo Judæi in terris sabbatum initiant, evocari ab angelo dato ad requiem signo, & statim, quo momento Judæi sabbatum finiant, revocari ad pœnas.* Helvicus tom. IV. Giss. disp. 9. 2.) *Ebionitæ* non tam ob rigorem Mosaicum, quam propter exempla apostolorum, quæ in actis eorum exstant, una cum dominica christiana etiam sabbatum judaicum coluerunt. Eusebius lib. III. hist 27. 3.) Illis se adsimulant *Christiani* nostra ætate *in Æthiopia* degentes, referente Bellarmino lib. III. de cult. sanctor. cap. 9. *Perkinsius* lib. II. casuum conse. cap. 16. quæstionem proponit: *Utrum sit in potestate ecclesiæ Dei in terris diem sabbati a die septimo ad diem ullum alium transferre?* ad quam respondet negate, modeste tamen addit, *se non absolute aliquid definire, sed tantummodo proponere illud, quod veritati & rationi maxime congruere sibi videatur.* Morosius necessitatem eflagitat Schonfeldius in syllogismo septimo D. Mentzero opposito, cujus minor propositio sic habet: *Christianæ juventuti decalogum integre* (sive verbo ad verbum, a litera ad literam) *tra, ut si ad, observato ceremonialium & moralium discrimine, loco sabbati ceremonialis diem septimum in genere* (id quod morale est) *& quidem diem quemque dominicum celebrandum.* Contra Mentzerus tom. II. Giss. disp. 1. th. 145. *Non est morale, diem quemvis septimum esse sabbatum, sed hoc morale est, ex diebus illis septem aliquem vel aliquos peculiariter tribuere cultui divino.* Lutherus tom. VIII. Jen. fol. 348. in translatione reddit *den Feyertag.* Confer *Balduinum* q. VI. in Col. II. *Mehlfurerum* in vindic. dom. XVII. post Trin. th. 46. GERHARDUS.

eumque totum diem habuit sanctae cujusdam vacationis, posteaquam sexto die, id est, parasceve, quem dicunt sextum sabbati, consummavit omnia opera sua, cum de illo, quae scripta sunt, in ipso crucis patibulo complerentur, nam & hoc verbo usus est, quando ait: Consummatum est (*). 4.) Est sabbatum *christianum*, quo juxta apostolorum constitutionem dies hebdomadis primus publicis ecclesiae congressibus destinatus est, qua de re plura suo loco. 5.) Est sabbatum *spirituale*, ac internum, quo a corruptae carnis nostrae operibus feriamur, ac Deum in nobis operari sinimus. Hoc sabbatum continuum ac perpetuum debet esse in renatis Esa. LVI. 2. *Custodiens sabbatum custodiet manus suas, ne faciat omne malum.* Esa. LVIII. 13. *non facias voluntatem tuam in die sancto meo &c.* Hebr. IV. 10. *Qui ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus.* Ignatius epist. III. ad Magnesianos. ὁ ἕκας᾽ ἡμῶν σαββατίζέτω πνευματικῶς, μελέτη νόμε χαίρων, ἀ σώματ᾽ ἀνέσει, δημιεργίαν θεῦ θαυμάζων &c. Augustinus lib. IV. de Gen. ad lit. c. 13. *Tempore gratiae nov. test. perpetuum sabbatum observat, qui spe futurae quietis operatur, quicquid boni operatur, nec in ipsis bonis operibus suis quasi habens bonum, quod non accepit, gloriatur &c. quiescit a pristinis operibus, ut jam in novitate vitae ambulans Deum in se operari cognoscat.* Isidorus Pelusiota lib. I. epist. 71. *Dies septimus sanctus vobis vocabitur, non facietis in eo opus ullum* λατρευτὸν, *servile, verum quaecunque fient omnia animae.* Per λατρείαν hoc loco servitutem intelligit. *Nihil igitur*, inquit, *servilium rerum ac vos ab otio in Dei cultu collocando tanquam servos abstrahentium die sabbati facietis, nec quod vos peccatorum pondere deprimat. Est enim recreationis ac remissionis dies, nec ipsius dignitatem vitiorum colligationibus dedecorari contumeliaque tadfici convenit. Quod autem sequitur, nimirum quaecunque fiunt ea animae fieri oportere, per haec verba ea omnia, quae animae lucrum adferunt, expleri praecepit, hoc est, precationem, quietem, admonitionem, beneficentiam, pudicitiam, continentiam, veritatem, puritatem &c.* Absque hoc spirituali sabbato non placet Deo externa sabbati observatio: quinimo in figuram istius spiritualis sabbati observatio ceremonialis sabbati fuit instituta. Irenæus lib. IV. c. 30. *Sabbata perseverantiam totius diei erga Deum deservitionis docebant.* 6.) Est sabbatum *aeternum*, in quo & anima & corpore a peccatis, calamitatibus & miseriis hujus vitae requiescemus. Esa. LXVI. 23. *Erit sabbatum ex sabbato* Hebr. IV. 6. *Superest introire quosdam in requiem.* v. 9. *Proinde relinquitur sabbatismus populo Dei.* Origenes homil. XXIII. in Num. *Ultra hunc mundum est veri Sabbati observatio.* Hoc sabbatum inchoatur in renatis per spirituale sabbatum hujus vitae, & consummabitur tandem in futura vita, in qua *Deus erit omnia in omnibus* 1. Cor. XV. 28. (**)

Quo fine sabbatum institutum.

§. CXL. Quæritur II.) *quo fine sabbatum Mosaicum fuerit a Deo institutum?* Resp. fines sunt complures: 1.) ut esset certus dies, in quo publici ecclesiae congressus instituerentur, ac doctrina de vera Dei agnitione publice proponeretur. Lev. XXIII. 3. *Die septimo est sabbatum quietis, congregatio sancta.* Quo pertinent sacrificia, preces, hymni &c. quibus vere sanctificatum fuit sabbatum. 2.) Ut perpetuum memoriale articuli de creatione exsta-

(*) Sipontinus vult sabbatum dici a שְׁבַע, quod est *septem*, eo quod sit dies hebdomadis septimus. Plutarchus lib. IV. sympos. a σαβάζειν vel a σάββαις, id est, *Bacchis*, sed male. Rectissime deducitur a שָׁבַת *quievit*. GERHARDUS.

(**) Quæritur, *an sabbatum fuerit ante Mosen usitatum?* Moses quidem dicit, *Deum septimo die quievisse*, sed non addit vel benedictionem vel sanctificationem creato homini per mandatum injunctam fuisse, nec ullum exstat vestigium sanctificationis diei septimi in Genesi ante promulgationem legis. Unde Rabbini in bereschit rabba dicunt: *Abraham non observavit sabbatum*, unde in ipsa promulgatione legis non tantum cessationis a creatione, sed etiam liberationis ex Ægypto memoriale statuitur. GERHARDUS.

exstaret, quo respiciunt verba hujus præcepti: Exod. XX. 10. 11. *Sex diebus operaberis &c. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, sed requievit die septimo.* 3.) Ut monumentum esset liberationis ex servitute Ægyptiaca, & gratiarum actionis Deo debitæ pro quiete a laboribus, quos in Ægypto sustinuerant gravissimos. Deut. V. 14. *Die septima sabbatum erit Iehovae*, v. 15. *& memineris, quod servus fueris in terra Ægypti, & eduxerit te Iehova, Deus tuus, ex ea, in manu forti & brachio extenso, idcirco praecepit tibi Deus, ut faceres diem sabbati.* 4.) Ut brutis ac hominibus concederetur quies corporalis, brutis quidem propter homines, hominibus autem propter cultum divinum Exod. XX. 10. *Non facies ullum opus, nec servus tuus, nec jumentum tuum.* 5.) Ut commonefierent Israëlitæ, de sabbato spirituali ac interno, de sabbato redemtionis, quod Christus egit in sepulchro ac de sabbato æterno. Exod. XXXI. 13. *Sabbatum meum custodietis, quia signum est inter me & vos.* Ezech. XX. 12. *Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos.* Augustinus IV. den. Genes. ad lit. c. 11. *Dici probabiliter potest, observandum sabbatum Judaeis fuisse praeceptum in umbra futuri, quae spiritualem requiem figuraret, quam Deus exemplo hujus quietis suae fidelibus bona opera facientibus arcana significatione pollicebatur.* Reuchlinus lib. III. de cabbala: Cabbalistæ dicunt, *sabbatum est mysterium Dei vivi. Exstat namque symbolum mundi superioris, id est, jubilaei aeternitatis, ubi cessat omnis labor. Quare gemino dicendi usu legibus indicitur.* Deut. V. Observa diem sabbati, *quod vult referri ad actiones exteriores juxta mundum inferiorem.* Dein Exod. XX. memora diem sabbati ad sanctificandum illum, *videlicet animae vires conjungendo menti ad contemplationis profectum juxta mundum superiorem.* Vide ibid. plura & conjunge Galatinum lib. XI. cap. 8. & seq.

§. CXLI. Quæritur III.) *cur in locum sabbati Judaici primus septimanae dies in novo testamento sacris sit destinatus?* Resp. de abrogatione sabbati dicetur inferius; hoc loco explicandum, quare primus septimanæ dies publico cultus divini exercitio ab apostolis (*) destinatus sit? (id quod peculiari constitutione Constantini fuit postea confirmatum, referente Eusebio lib. IV. de vita Constantini cap. 18.) Causa primaria ac potissima est, quod Christus eo die a mortuis resurrexit, ut colligitur ex historia evangelica Matth. XXVIII. 1. Marc. XVI. 1. unde primus septimanæ dies vocatur ἡμέρα κυριακὴ Apoc. I. 10. *Dies Dominicus.* 1.) Quemadmodum septimo die requievit Deus ab hexaëmero creationis opere, in cujus beneficii memoriam sabbatum in veteri testamento fuit institutum: ita primo septimanæ die post peractum redemtionis nostræ per mortem ac passionem mysterium Christus glorioso ex mortuis victor rediit, in cujus beneficii memoriam primus ille septimanæ dies in novo testamento celebratur. 2.) Quemadmodum in veteri testamento sabbatum institutum, ut esset memoriale liberationis ex Ægypto: Deut. V. 15. ita in novo testamento dies dominicus est memoriale spirituale nostræ liberationis ex regno & captivitate satanæ, per Christi resurrectionem nobis partæ, cujus typus fuit illa ex Ægypto Israëlitarum eductio. 3.) Per Christi mortem ac resurrectionem facta est ceremoniarum leviticarum ac umbrarum legalium abrogatio, inter quas cum & sabbatum numeretur; Col. II. 17. ideo mutatio sabbati in diem dominicum publicum est testimonium, liberatos esse Christianos ab umbris legalibus & discrimine dierum divinitus olim sancito. Ignatius epist. III. ad Magnes. ἑορταζέτω πᾶς ὁ φιλόχριστος τὴν κυριακὴν τὴν ἀναστάσιμον (resurrectioni consecratum) τὴν βασιλίδα τὴν ὕπατον (reginam

Cur in locum sabbati successerit dies primus septimanae.

(*) Apostolos primum septimanæ diem in celebrandis conventibus observasse, colligi potest ex Act. XX. 7. 1 Cor. XVI. 2. ubi μία σαββάτων est *primus septimanae dies.* Hæc dies præ cæteris esse hanc ob causam sacris conventibus videri potest convenientior, quia Christus octavo die post resurrectionem, scilicet hac prima die, congregatis suis discipulis solenniter ministerium apostolicum iterum concredidit, Joh. XX. GERHARDUS.

nam ac principem) πάσων τῶν ἡμέρων. Nec absurde additur, hac in parte ad articulum etiam creationis habitum fuisse respectum, siquidem primo septimanæ die lux a tenebris in prima creatione divisa est. Justinus apolog. II. p. 77. τὴν τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας κόσμον ἐποίησε, καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη. *Die solis communiter omnes conventum agimus, quia dies primus est, quo Deus tenebras & confusam materiam depellens mundum fecit, & Jesus Christus, salvator noster, eodem die ex mortuis resurrexit.* Augustinus serm. CXXXVI. de temp. tom. X. col. 186. *Universa sabbati gratia & antiqua illa festivitas populi Judaeorum diei istius* (dominicæ) *solennitate mutata est. Illi in sabbato non faciebant opus servile, nos in die dominica opus servile non facimus, quia peccatis & vitiis non serviimus. Illi de domibus suis non egrediebantur, & nos de domo Christi non egredimur. Sumus enim in ecclesia. Illi non accendebant ignem in die sabbati, nos e contrario accendamus in nobis ignem Spiritus sancti & omne vitium excoquamus peccatorum, de quo igne Dominus ait:* ignem veni mittere in terram. *Illi per diem sabbati non ambularunt in itinere, perdiderunt enim eum, qui dixit,* ego sum via. *Nos autem dicimus,* beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, &c. De prærogativis diei dominicæ late tractat Blasius Viegas in comment. Apoc. cap. I. p. 55. Origenes in cap. XVI. Exod. statuit, *die dominica primum manna in deserto pluisse,* idque ex Mose colligit, addens: *Si die dominica pluit manna de cælo, & in sabbato non pluit, intelligant Judaei, jam tunc praelatam fuisse dominicam nostram Judaico sabbato, & indicatum, quod in sabbato ipsorum gratia a Deo ad eos de cælo nulla descenderit.* Eadem est sententia Ambrosii in 1 Cor. X. Augustini serm. CCLVII. de temp. synodi Cæsarienſis, quam refert Beda epist. de celebr. pasch. Sex enim integris diebus continuo pluit manna, scilicet a die dominica usque ad feriam sextam inclusive. Forsterus in thes. catech. decad. I. probl. 8. *SS. Trinitas singulari studio & consilio diem septimanae primum in perpetuam beneficiorum suorum cardinalium ἀνάμνησιν solenniter consecrare voluit. Et pater quidem opere creationis, quod eo die cœptum; Filius vero opere redemtionis, quod die isto resurrectione sua absolvit. Spiritus denique sanctus opere sanctificationis, ad quod in discipulis Christi peragendum, eo die ὀφθαλμοφανῶς effusus fuit.*

§. CXLII. Quæritur IV. *num absolute & simpliciter opera hujus vitae, œconomica scilicet & politica, sabbato sint prohibita?* Resp. Judæi in observatione sabbati admodum superstitiosi sunt, sed meminerimus scopum hujus præcepti esse, ut sanctificetur, hoc est, sanctis operibus sabbatum transigatur: quæcunque igitur opera non impediunt vel remorantur publicum divini cultus exercitium, non sunt in hoc præcepto prohibita; ac in nov. test. majorem libertatem esse docet Christus Matth. XII. 1. Joh. V. 9. Luc. XIV. 5. quinimo si vel necessitas vel proximi dilectio quædam opera sabbato exigat, illis contra hoc præceptum non peccatur. Exstat hac de re versiculus complectens quatuor casus, in quibus sabbato operari liceat:

An simpliciter opera œconomica & politica sabbatho sint prohibita?

Parva, necessarium, respublica cum pietate.

Matth. XII. 1. *Discipuli in fame vellunt spicas sabbato.* v. 12. *Licet sabbatis benefacere.* Luc. XIII. 15. *Nonne unusquisque vestrum solvit bovem suum aut asinum a praesepio & ducit aquatum?* Luc. XIV. 5. *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahat eum die sabbati?* Irenæus lib. IV. c. 19. p. 244. *Continere se jubebat lex ab omni opere servili, id est, ab omni avaritia, quae per negotiationem & reliquo terreno actu agitatur: animae autem opera, quae fiunt per sententiam & sermones bonos in auxilium eorum, qui proximi sunt, adhortabatur fieri.* De his casibus intelligenda est l. omnes 3. C. de feriis. *Omnes judices urbanaeque plebes & cunctarum artium officia*

officia venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturae libere licenterque inserviant, (quoniam frequenter convenit, ut non aptius alia die frumenta sulcis aut vineae scrobibus mandentur) ne occasione momenti pereat commoditas caelesti provisione concessa. Et cap. pervenit de consecr. dist. 3. *Pervenit ad me, quosdam perversi spiritus homines prava inter vos aliqua & sanctae fidei adversa seminasse, ita, ut die sabbati aliquid operari prohiberent, quos quid aliud nisi antichristi praedicatores dixerimus, &c.* Extra casum necessitatis servilibus & œconomicis operibus profanatur sabbatum. Improbamus igitur serio, quod scribit Toletus Jes. instruct. l. IV. c. 25. *Licet iter facere (audito prius sacro) & venari, licet studere super lites propter pecuniam. Licet carnes vendere, animalia occidere ad victum propter pecuniam, licet in solennitatibus construere loca pro spectaculis, quando non possunt fieri nisi in festo.* (*)

§. CXLIII. Praeceptum quartum: *Honora patrem & matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Partes duae sunt: praeceptum & promissio. Praeceptum est, *honora patrem & matrem.* Promissio, *ut sis longaevus super terram.* 1.) Nominatur pater, qua adpellatione eum, a quo geniti sumus, denotari nemo ambigit. Sed Spiritus sanctus, hoc nomen aliis etiam tribuens, veram hujus praecepti explicationem nobis monstrat. Dicuntur enim patres omnes majores in linea adscendente: Joh. VI. 58. doctores ecclesiae: 2 Reg. XIII. 14. Gal. IV. 19. praeceptores: *Explicatio quarti praecepti.* *patrem*

(*) *Casaubonus* exerc. I. ad ann. Baron. cap. 9. p. 61. *In universum pronunciant Rabbini omne periculum praesens amittendae vitae impellere Sabbathum. Ipsi dicere solent* מסכנ"ת נפש דוחה שבת *Josephus p. 670. id ita dixit: ὑπὲρ μόνα τὰ σώματος ἀμύνονται νόμῳ τοῖς σάββασι* pro solo corpore etiam in sabbatis resistere licet, ubi corpus est, quod Rabbinis periculum animae. *Philo* in libro *περὶ ἀποικίας* refert, *fuisse nonnullos doctores, qui docerent, τὰς ἐντὸς νόμας ἄνω σύμβολα νοητῶν πραγμάτων, leges scriptas esse symbola rerum intellectualium.* Hi observationem sabbati secundum literam non magni faciebant, quos propterea Philo ibi reprehendit, & hortatur, ut sententiam mutent. Contra alii Judaei *τῷ ῥητῷ* nitentes cessandum sine ulla exceptione statuebant, ac ne hosti quidem jugulanti esse resistendum. Temperavit hunc rigorem Matathias Maccabaeus, quo auctore decretum, ut hoste vitam eripiente insuper habere sabbatum fas esset, ut refertur 1 Macc. II. 41. *Josephus* lib. XII. c. 8. *Matthaeus Parisius* ad ann. 1260. Eodem tempore apud Theocesbery quidam Judaeus cecidit in latrinam, sed quia tunc erat sabbatum, non permisit se extrahi nisi sequente die dominica propter reverentiam sui sabbati, quam ob rem Judaeum mori contigit in foetore. Similem historiam de alio Judaeo, qui in latrinam itidem die sabbati inciderat, narrat *Munsterus* ad cap. 12. evang. hebraici secundum Matthaeum. *Azorius* tom. I. lib. 7. instit. cap. 7. p. 551. *Intermissionem cultus divini concedit. Suarez* lib. II. de festor. observat. cap. 1. num. 3. fol. 153. statuit, *Deum diem septimum dedicavisse ad suum cultum in mente & proposito, non in executione.* Item, *Deum non posuisse obligationem aut legem sanctificationis sabbati. Cajetanus* in Thom. II. q. 122. art. 4. Suarez fol. 154. *Deum fecisse cultum sabbati in ipsa exteriori quiete ab operibus servilibus, & non praecepisse actum, sed tantum cessationem ab actu. Albericus Gentilis* lib I. de nupt. cap. 6. probat, *die sabbati licitum esse fruges invehere, si ecclesiastica non impediantur per l. 3. C. D. feriis.* 1.) *Dii facientem adjuvant*, Varro I. de re rust. *& oportet manus admoventem Deorum opem invocare.* 2.) Etiam festis quaedam exercere diebus, fas & jura sinunt. 3.) Non exiguntur necessario integri dies, qui cultui divino tribuantur, *Covarruvias* lib. IV. variar. resol. c. 19. 4.) Licet ovem erigere in sabbato, & esurientibus spicas frumenti excutere. 5.) *Licet diebus festis piscari propter necessitatem, & capere debitorem fugitivum.* Panormitanus cap. III. de consuet. 6.) *Sabbatum non mutatum in diem dominicum, sed abrogatum.* Bernhardus hom. XXX. in Cant. 7.) Sic nec mandatum, ut dominico abstinerent homines a laboribus quotidianis, tradunt theologi. 8.) Si licet vacare libris, cur non & aratris, num vocationum acceptio apud Deum? GERHARDUS.

ptores: 2 Reg. II. 12. magistratus: Gen. XLI. 43. domini: 2 Reg. V. 15. seniores: 1 Tim. V. 1. tutores ac curatores: Joh. XIX. 26. patroni: Job. XXIX. 16. artifices magistri: Gen. IV. 22. illi ergo omnes pertinent ad hoc quartum præceptum. 2.) Quamvis in genere omnes superiores honorandos esse, sancire Deus hoc præcepto voluerit, tamen parentum diserta fit mentio, quia œconomica societas est fundamentum politiæ, & quia hæc adpellatio admonet magistratus, præceptores, dominos ac superiores omnes, ut paternum erga inferiores fidei ac curæ suæ commissos animum induant, præsertim vero, quia paterna prærogativa peculiarem quendam adfectum requirit, unde primus locus in altera decalogi tabula datur parentibus, qui proximo post Deum loco sunt habendi ac honorandi. 3.) Patri additur mater, ne propter sexus imbecillitatem ac judicii infirmitatem levius de ea sentiatur. Eccles. VII. 29. *Dolorem matris tuae ne obliviscaris.* 4.) Non dicitur simpliciter: honora patrem & matrem, sed additur: honora patrem *tuum*, & matrem *tuam*, quibus vocabulis proponitur αἰτιολογία hujus præcepti; ideo honorabis patrem, quia est tuus pater, a quo genitus & educatus es: ideo honorabis matrem, quia ex ea non sine maximis difficultatibus ac doloribus in hanc vitam editus es. *Qui liberos ad vitam produxerunt, sunt effigies & simulacra divini numinis*, ait Philo de special. *ll.* pag. 489. 5.) Nulla additur conditio, quales parentes sint honorandi, sed simpliciter dicitur: *Honora patrem tuum & matrem tuam*; Qualescunque tandem sint, ideo honorandi sunt, quia parentes tui sunt. Qui parentes ideo honorat, quia divites, honorati ac potentes sunt, non tam prærogativam paternam, quam divitias, honorem ac potentiam in illis honorat. 6.) Jubentur parentes *honorari*. In hebræo est כַּבֵּד, quod importat ejus personæ seu rei, de qua dicitur, intensionem atque excellentiam. Debetur parentibus non solum honor, sed etiam dilectio, timor, obedientia, &c. Sed hæc omnia sapientissimus legislator uno honorandi verbo complexus est. Qui enim vere & ex animo parentes honorat, is eosdem diliget, verebitur, ac debitam obedientiam illis exhibebit. 7.) Denique quia præceptum de honorandis parentibus in secundam tabulam rejectum fuit, ex eo evidenter colligitur, deberi quidem parentibus honorem, obedientiam & dilectionem, interim tamen Deo, qui est *Pater spirituum*, Hebr. XII. 9. *Ex quo omnis paternitas in cœlis ac super terram nominatur*, Eph. III. 15. majorem honorem, obedientiam & dilectionem deberi.

& matrem

tuam

honora.

§. CXLIV. *Promissio* præcepto addita obedientibus vitam longævam promittit; *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut fis longaevus*, in hebræo est, *ut prolongentur*, vel *ut prolongent se dies tui super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* 1.) Hæc promissio accusat naturæ nostræ corruptionem, quod non nisi proposito præmio in honorandis parentibus Deo obsequimur, cum tamen ipsa natura dictitet, honorandos esse vitæ nostræ auctores. Mal. I. 6. *Nonne filius honorare debet parentem?* Valerius Maximus lib. V. memorab. c. 4. dicit: *Primam esse naturae legem, ut parentes diligamus.* 2.) Testatur, quanti faciat Deus honorem parentum. Expendit hoc apostolus Eph. VI. 2. *Honora patrem tuum, &c. quod est mandatum primum in promissione.* 3.) Observanda etiam promissionis æquitas ac legislatoris in ea promulganda sapientia. *Qui enim parentes honorat, is vitae suae corporalis auctores honorat, aequum igitur est, ut vita hac diu perfruatur:* Ita Lyranus hoc loco. 4.) Promissio hæc Eph. VI. 3. ita exponitur, *ut bene sit tibi, & fis longaevus*, quia longævitas, absque prosperitate ac felicitate, molesta potius, quam grata est. 5.) Distinguendum in hac promissione *speciale* a *generali*. Quod enim terra Canaan designatur, id speciale est, & ad solos *Israelitas* pertinet, ideo apostolus in repetitione promissionis pericopen illam omittit, ac simpliciter dicit, *ut bene sit tibi, & fis longaevus super*

Ut fis longævus super terram.

super terram, Eph. VI. 3. 6.) Quamvis promissio huic præcepto addita sit corporalis, tamen per eam non excluduntur promissiones futuræ vitæ, sed, ut apostolus pronunciat 1 Tim. IV. 8. *pietas* (cujus pars non postrema est parentum honor & reverentia, quæ ipso pietatis nomine εἰδικῶς accepto quandoque notatur) *habet præmia praesentis & futurae vitae*, ideo ex aliis scripturæ locis explicationes hujus promissionis colligendæ sunt, ex quibus manifestum fiet, non tantum corporalia, sed & spiritualia, non tantum terrena, sed & cœlestia ac æterna præmia manere eos, qui in honorandis parentibus debitum Deo obsequium præstant. 7.) Promittitur μακροβιότης in terra, quam Dominus Deus dabit, quæ est tacita admonitio, ut cogitent Israëlitæ, a Deo sibi contingere promissæ terræ occupationem, æquum igitur esse, ut debitum in ea præceptis divinis præstent obsequium, maxime cum Deus sibi reservaverit jus iterum adimendi Israëlitis regionem illam promissam, si præceptorum suorum parum memores esse velint.

Virtutes in quarto præcepto requisitæ.

§. CXLV. Ex his fundamentis facile colligitur, quæ sint *virtutes* quarti præcepti. Finis ac scopus præcepti est conservatio societatis œconomicæ ac politicæ in mutuis superiorum & inferiorum officiis. Superiores jubentur ab inferioribus honorari, & parentum nomine denotantur. Traditur igitur superioribus hæc regula, ut re ipsa parentes se exhibeant erga inferiores, ac tales se præstent, ut honorifice ac reverenter de ipsis sentiatur. Inferioribus hæc regula traditur, ut honorent superiores, ubi adpellatione honoris omnia omnino officia superioribus debita comprehenduntur. Parentum nomine proprie ac potissimum intelliguntur *patres carnis*, Hebr. XII. 9.

Parentum officium.

quorum *officium* Eph. VI. 4. revocatur ad hæc capita: 1.) *Educent liberos*, prospiciant illis de victu & amictu, defendant contra injurias. Matth. VII. 9. *Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei?* 1 Tim. V. 8. *Qui domesticis non providet, infideli deterior est.* 2 Cor. XII. 14. *Parentes debent filiis thesaurizare.* Huc referendum, quod tenentur parentes prospicere liberis de honesto artificio, quo se olim sustentent, de conjugio, &c. Basilius in enarr. Psalm. VII. *Parentum est colligere liberis, ut praeter hoc, quod ad vitam illos genuerunt, etiam vivendi subsidia subministrent.* 2.) Instituant in vera cœlestis doctrinæ cognitione, vel aliis instituendos tradant, neque enim nascitur nobiscum Dei notitia, sed teneris mentibus instillanda est. Huc referendum, quod tenentur parentes adducere secum liberos ad templa, ablegare eos ad scholas. 3.) Regant eos domestica disciplina, Prov. XXII. 15. *Stultitia colligata est in corde pueri, virga correctionis elongare faciat eam ab eo.* Prov. XXIII. 13. *Ne subtrahas a puero correptionem.* Confer c. XXIX. 17. Eadem sunt officia tutorum ac curatorum, qui in parentum locum succedunt. Pugnant cum his paterni officii partibus: *a)* non quærere aut suppeditare liberis necessaria, quod apostolus vocat τῶν ἰδίων & προνοεῖν, non tueri eos contra injurias, non adhibere ad labores, ad honesta opificia, &c. educare eos in luxu. *Actum est de civitate, in qua pueri vestiuntur purpura*, dicebat Plato. *b)* Non erudire liberos in vera doctrina, nec aliis erudiendos tradere, pessimæ vitæ exemplo eos corrumpere, delicta juventutis coram liberis recensere. *c)* Disciplinam domesticam negligere, quod rex sapiens vocat *virgae parcere*, Prov. XIII. 24. præpostera indulgentia ad delicta liberorum connivere, vel in castigatione non adhibere debitam moderationem, ob rem qualemcunque irasci ac debacchari in liberos, quod apostolus Eph. VI. 4. vocat παροργίζειν, nimia erga eos severitate uti, ac nimis dura tractatione animos eorum abalienare, diris eos devovere, quas imprecationes suum quandoque justo Dei judicio sortiri effectum, demonstrant exempla apud Lazium in geneal. Austriac. lib. II. & Camerarium in operis horar. subcisiv. part. I. cap. LXXXVI. p. 396. *Pudore & liberalitate retinere liberos satius esse, credo, quam metu*, dicit apud Comicum Mitio.

Liberorum officium.

§. CXLVI. Liberorum *officium* est parentes honorare, nimirum *sermone, opere ac patientia.* Eccles. III. 8. Requiritur igitur 1.) interior reverentia, qua parentum auctoritas divinitus constituta agnoscatur, Eph. VI. 1. *Filii obedite parentibus in Domino*, agnoscite, Deum hoc constituisse ac mandasse. 2.) Exterior honor ac reverentia in verbis ac gestibus, de quibus enim honorifice & reverenter sentimus, illos etiam exterius honoramus. Eccles. III. 8. *Qui timet Deum, honorat parentes sermone.* 3.) Amor, hic enim cohæret cum reverentia, & ex seria beneficiorum, quæ a parentibus contingunt, æstimatione oritur, Matth. X. 37. *Qui patrem aut matrem plus diligit, quam me, &c.* 4.) Obedientia, quæ est pars honoris: quos enim vere & ex animo honoramus, illorum etiam jussis obsequimur. Eph. VI. 1. *Filii obedite parentibus in Domino.* 5.) Ἐπιείκεια, qua patienter toleretur nævi ac infirmitates parentum, itidem oritur ex vero & sincero honore parentibus debito, Eccles. III. 8. *Qui timet Dominum, honorat parentes patientia.* 6.) Gratitudo, quæ non minus ad honorem illum requiritur, qua ἀμοιβαὶ redduntur τοῖς προγόνοις, definiente apostolo 1 Tim. V. 4. Græci pulcerrima appellatione nominant ἀντιπελαργίαν καὶ ἀντιπελάργησιν, *quia ciconiae senes volandi impotes nido se continent, ex his prognatae terra marique volitant, & cibos parentibus adferunt*, ut scribit Philo de decal. p. 483. Pugnat igitur cum his liberorum officiis *a)* Non agnoscere τὸ θεῖον in parentibus, non habere eos loco eo, in quem divinitus constituti. *b)* Nullam verbis vel gestibus reverentiam illis exhibere. *c)* Odio eos prosequi, non agnoscere beneficia, quæ per illos Deus nobis præstat. *d)* Parentibus immorigerum esse, eos lædere, percutere, furtim aliquid ipsis subtrahere, absque consensu ipsorum conjugium contrahere; vel etiam in rebus impiis ac illicitis obedientiam eis præstare. *e)* Parentes subsannare, infirmitates eorum exagitare, ac ignominiose traducere. *f)* Nullam illis gratiam rependere, senio adfectos non sustentare, ac pro virili juvare, &c.

Officium præceptorum ac discipulorum.

§. CXLVII. De *officiis* magistratus ac subditorum peculiari capite suo loco dicetur. Quæ sint præceptorum erga discipulos, dominorum erga servos, ministrorum erga auditores, & in genere superiorum omnium erga inferiores, vicissim etiam quæ inferiorum erga superiores *officia*, id per analogiam quandam ex illis, quæ dicta sunt, facili negotio colligitur. Præceptores induant parentum animum erga discipulos, cum sint veri animorum parentes. Vicissim discipuli amore ac reverentia filiali præceptores suos prosequantur. Quintilianus l. II. instit. c. 10. *Discipulos id unum moneo, ut praeceptores suos non minus quam ipsa studia ament, & parentes esse non quidem corporum, sed mentium, credant, multum haec pietas studio confert.* De officiis dominorum præcipitur Eccles. VII. 23. XXXIII. 30. & seqq. Col. IV. 1. Eph. VI. 9. &c de officiis servorum, Col. III. 22. Eph. VI. 5. & seqq. 1 Petr. II. 18. &c. de senioribus, Tit. II. 2. & seqq. de junioribus, 1 Tim. V. 1. Tit. II. 6. 1 Petr. V. 5.

An etiam spurii obligentur ad honorandos parentes.

§. CXLVIII. Quæritur hoc loco: I.) *an etiam spurii obligentur hoc praecepto ad honorandos parentes?* Resp. Sane maxima ignominia spurii a parentibus adficiuntur: jure civili Hebræorum *non licebat eis ingredi in concionem* Deut. XXIII. 2. hoc est, publicum aliquod officium civile vel ecclesiasticum administrare; jure civili prohibentur patri succedere, adeo, ut ne alimenta quidem petere possint *l. ex complexu C. de incestis nuptiis.* Unde videri possent tales parentes nullo amore digni; sed enim quia manet obligatio naturalis & conjunctio sanguinis, ideo æquum est, ut tales liberi dissimulata parentum injuria præstent ea, quæ sunt sui muneris. *Si enim injuriam à proximo illatam eidem condonare christiana religione jubemur, quanto magis parentibus haec dilectio fuerit exhibenda*, ut scribit Rungius in cap. XX. Exodi.

§. CXLIX.

Quando parentes sint odio habendi.

§. CXLIX. Quæritur II.) cum jubeantur parentes honorari, quare & quo sensu dicat Christus Luc. XIV. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, &c. non potest esse meus discipulus?* Resp. *Christus non venit, ut solveret legem*, Matth. V. 17. quinimo legem de honorandis parentibus contra Pharisæorum corruptelas disertis verbis urget & explicat Matth. XV. 4. & seqq. ergo verba Christi Luc. XIV. 26. non abolent, sed determinant honorem ac obedientiam parentibus debitam, nimirum quod in casu confessionis honor parentum postponendus sit honori Dei, *odisse* enim non hostilem quendam adfectum notat, sed parentum amori dilectionem cœlestis patris præferendam esse monet, usitatum enim est, in lingua hebræa verba & nomina quandoque poni pro contrariis negatis. Sic odisse dicitur, qui non amat vel obtemperat. Hanc explicationem suorum verborum tradit Christus ipse Matth. X. 37. *Qui patrem & matrem plus diligit, quam me, non est me dignus. Amandus est genitor, sed præponendus est creator, nec debet plus amari beneficium, quam benefactor*, ut scribit Ambrosius in cap. XII. Lucæ. Huc pertinet, quod apostolus jubet *obedire parentibus in Domino*, Eph. VI. 1. non solum propter Dei mandatum, sed etiam ut Deo magis obediatur, quam parentibus, Act. V. 29.

An μακροβιότης beneficii loco habenda?

§. CL. Quæritur III.) *num possit beneficii ac præmii loco μακροβιότης haberi, cum haec vita sit labor ac dolor, a quo citius liberari, beneficii loco potius sit habendum?* Resp. Sane non potest omni ex parte negari, verum esse, quod Nazianzenus scribit orat. funebri de fratre Cæsar. *Longius vitae spatium nobis hoc adferre, ut plura mala partim videamus, partim sustineamus, partim perpetremus:* quibus malis cito defunguntur, qui obstetricante morte ad veram in cœlo vitam præmature transferuntur, sed hoc ex accidenti est, interim longævitas in se ac per se est Dei donum, piis loco præmii promissum. Quamvis enim in hac vita pii sint subjecti variis calamitatibus, ut hac ratione vitæ productio videatur calamitatum prolongatio: tamen in ipsa cruce sentiunt Dei præsentiam & auxilium, quin & norunt, *passiones hujus temporis non esse condignas ad futuram gloriam*, Rom. VIII. 18. unde etiam *gloriantur in adflictionibus*; Rom. V. 3. utpote τῇ ἐλπίδι χαίροντες, Rom. XII. 12. Adde, quod piis etiam in hac vita calamitates mitigentur, quod sua confessione ac vitæ exemplo alios ad veram doctrinam invitent, quod in veritatis cœlestis cognitione ipsimet crescant & confirmentur, quod variis Dei beneficiis corporalibus ac spiritualibus perfruantur. Vita æterna majus bonum est, interim longævitas hujus vitæ non desinit esse bonum, inde 1 Tim. IV. 8. *hujus & futurae vitae praemia* conjunguntur, ut admoneamur, earenus præsentis vitæ commoda exspectanda esse, ut majorem interim æternorum habeamus rationem; propter pædagogiam legalem populo Israëlitico terrena plerumque promissa proponebantur, sed in nov. test. potissimum cœlestia bona promittuntur, quamvis interim utrobique tam in vet. quam nov. test. verum sit apostolicum illud pronunciatum, quod *pietas habeat praemia praesentis & futurae vitae.*

Cur morigeri liberi quandoque non sint longævi.

§. CLI. Quæritur IV.) *qua ratione consistat liberis morigeris vitae longaevitatem praemii loco promitti, cum quandoque contingat morigeros non esse longaevos, contra vero immorigeros esse longaevos?* Resp. Observandi hac de re canones theologici. Promissiones bonorum corporalium intelligendæ sunt cum exceptione castigationis & crucis. Item potissima præmia ac pœnæ differuntur ad futurum judicii diem. Mors præmatura, si contingat piis ac morigeris liberis, non est iræ divinæ indicium, sed potius gratiæ exuberantis signum. Sap. IV. 7. *Justus, etiamsi praematura morte obeat, quiete tamen perfruetur.* v. 10. *Quoniam Deo placuit, carus ei fuit, & cum inter peccatores viveret, translatus est.* v. 11. *Raptus est, ne malitia mentem ejus immutaret, &c.* Unde beneficii loco quibusdam

contingit *colligi in pace, ne videant oculi illud malum, quod adduxit Deus super terram,* 2. Reg. XXII. 20. Esa. LIII. 1. & 2. Sin vero impii ac immorigeri præmatura morte e regione viventium abscindantur, locum habet illud Psalm. LV. 24. *Viri sanguinarii & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Prov. XX. 20. *Qui maledicit patri aut matri suae, ejus lucerna exstinguetur in mediis tenebris.* Prov. XXX. 17. *Oculum, qui subsannat patrem, effodient corvi torrentis.* Duplici autem nomine impiis malum ac ingratum est cito ex hac vita excedere; *primo*, quia privantur deliciis carnis, quibus se tradiderunt, *deinde*, quia ad æterna supplicia citius rapiuntur, quemadmodum e contrario piis duplici nomine bonum est cito ex hac vita migrare, *tum* ut ex vitæ hujus miseriis liberentur, *tum* ut ad veram quietem ac felicitatem transferantur.

Explicatio quinti præcepti.

§. CLII. Præceptum quintum: NON OCCIDES. Finis ac scopus præcepti est, mutua charitatis officia præscribere, quibus homines invicem juventur; nam ex negato colligendum est adfirmatum: prohibere autem ea, quibus salus & incolumitas vitæ humanæ læditur. 1.) Absque ulla vel personarum vel modi vel numeri vel instrumenti specifica determinatione occidere prohibemur: neque enim dicit legislator: *Non occidat vir, non occidat mulier, &c. non occides parentem, non civem, &c. Non occides publice, non occides gladio vel fuste, non occides multos;* sed in genere: *Non occides*, ut cædes in universum prohibita intelligatur. 2.) Negativi præcepti sententia accusat naturæ nostræ corruptionem, per quam ad occidendum proni sumus. 3.) Cum delicti gravioris adpellatione prohibeantur ira, odium, invidia, &c. significatur, quo loco habeantur coram Dei judicio illa peccata, quæ existimamus esse leviora. 4.) Diserta interpretatio hujus legis, Matth. V. 21. & seqq. a Christo tradita, ostendit, non externam tantum, sed etiam interiorem cædem prohiberi, non manui tantum, sed & cordi præcipi, ne occidat, hoc est, ne ad cædem propendeat, ne quærat occasiones ac media cædis, &c. 5.) Cum præceptum de non occidendo subjungatur illi, quod tradit parentes honorandos esse, quorum nomine etiam magistratus intelliguntur, ex eo adparet, magistratum, quatenus est persona publica, & juxta Dei legem de sceleratis sumit supplicium, non peccare contra hanc legem, id quod evidentius probatur ex Gen. IX. 6. Exod. XXII. 18. Rom. XIII. 4. &c.

§. CLIII. *Adfirmativa* hujus præcepti sententia proponitur in illa totius secundæ tabulæ epitome Lev. XIX. 18. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Negativam* pulcerrime exponit Christus Matth. V. 22. *Qui irascitur fratri, reus erit judicio; qui dixerit fratri suo: racha, reus erit consilio; qui dixerit ei, fatue: reus erit gehennae ignis.* v. 24. *Reconciliare fratri tuo.* v. 25. *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via;* ubi ostenditur, non solum externis operibus, sed etiam interioribus cordis motibus, verbis ac gestibus hoc præceptum violari. Requiritur ergo in hoc præcepto: 1.) corde diligere proximum, id est, complecti eum vera benevolentia, adfici vero ac serio calamitatum sensu, quas in proximo videmus, mansuetum esse ac placabilem, amare concordiam, grato animo agnoscere beneficia a proximo nobis præstita, tolerare proximi infirmitates. 2.) Verbis diligere proximum, hoc est, comem atque affabilem se præbere, juvare consilio, erigere consolatione. Quo pertinent etiam amici ac benevoli gestus. 3.) Opere diligere proximum, hoc est, re ipsa testatum facere interiorem dilectionem. Quo pertinent multæ insignes virtutes, utpote justitia particularis, quæ nullius corpus ac vitam lædit; beneficentia, quæ exercet opera charitatis; condonatio fraterna, quæ offensas remittit; justitia distributiva puniens, qua magistratus divina auctoritate circumdatus animadvertit in facinorosos; fortitudo bellica & togata, quæ suscipit pericula & labores pro defensione reipublicæ ac propugnat justitiam; amicitia, quæ ex vera & sincera benevolentia honestorum officiorum communicationem instituit.

Virtutes in quinto præcepto requisitæ.

§. CLIV.

Peccata contra quintum præceptum.

§. CLIV. Pugnat cum hoc quinto præcepto 1.) Corde occidere proximum, hoc est, temere eidem irasci, ipsum odisse, ipsi invidere, mala contra ipsum cogitare ac machinari, ardere cupiditate vindictæ, inimicitias ac simultates fovere, abjecte de proximo sentire, malis ipsius non adfici, nolle ipsi reconciliari, nolle offensas remittere, ἐπιχαιρεκακεῖν, &c. 2.) Lingua occidere proximum, hoc est, ipsi convitiari, malum imprecari, temere ipsum judicare & condemnare, invicem sese mordere, verborum pugnas concitare, deesse consilio & consolatione, miseriæ proximi illudere. Huc pertinent irati gestus, quibus odium ac malevolentia erga proximum ostenditur, quos Christus complectitur voce *racha*. 3.) Ipso externo opere proximum occidere, quod variis modis contingere potest, non tantum manu, gladio, fuste, lapide, jaculo, sed etiam veneno. Quinimo, qui efficacem causam mortis dedit, occidisse judicandus est, utpote qui impediunt conceptionem, qui abigunt fœtus per abortionis pocula, qui percutiunt prægnantes, qui libidinibus, luxu aliisve modis vitæ suæ nocent, qui absque judicio ignari artis medicæ ægrotis medicamenta præscribunt, &c. quod vocant homicidium casuale. Referendi ad hanc classem, qui vel consilio vel opere vel falsis testimoniis adjuvant cædes, qui non defendunt eos, quos tueri a cæde poterant & debebant. Catalogus virtutum ostendit etiam alia peccata, quibus contra hoc præceptum delinquitur; Sic justitiæ particulari adversantur injuria, violenta vel fraudulenta proximi læsio; beneficentiæ & amicitiæ adversantur simulata amicitia, inimicitia, gratificatio in rebus illicitis. Condonationi fraternæ adversantur inhumanitas, malevolentia, vindicta privata. Justitiæ distributivæ punienti adversa sunt crudelitas, tyrannis, nimia lenitas ac indulgentia, προσωποληψία. Fortitudini adversantur timiditas, deserens eos, quibus debetur defensio, ac temeritas periculis non necessariis sese objiciens. Hæc omnia dictis & exemplis scripturæ sunt illustranda, addendæ etiam promissiones ac comminationes de præmiis ac pœnis temporalibus & æternis, in anima, corpore & fortunis, &c. *Disputare enim de peccatis sine comminationibus non est legem docere, sed solvere*, ut graviter scribit Chemnitius p. II. locorum in explicat. 5. præcepti p. 195.

An αὐτοφονία sit peccatum?

§. CLV. Quæritur hoc loco I.) *an αὐτοφονία sit peccatum contra quintum præceptum?* Resp. Utique! (*) prohibetur enim in sacra scriptura homo hominem occidere, jam vero, qui se occidit, utique hominem occidit. Quemadmodum non sumus domini ipso nullus innocens occiditur. *Ea quippe cogitatione, qua occidere se ipsum molitur, innocentia prius spectatur, ut cum se occidit, non innocens moriatur.* Idem lib. XIX. de civit. Dei cap. 4. *Utrum, obsecro, Cato ille patientia, an potius impatientia se peremit? non enim hoc fecisset, nisi victoriam Cæsaris impatienter tulisset. Ubi est fortitudo? nempe cessit, nempe succubuit atque adeo superata est.* Videatur Lactantius lib. III. instit. cap. 18. De Lucretia quidam sic cecinit:

Si fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter,
Immerito ex merita præmia morte petis.
Sin potius casto vis est illata pudori,
Quis furor, alterius crimine velle mori?
Frustra igitur laudem captas, Lucretia, namque
Vel scelerata cadis, vel furiosa ruis.

(*) In nota margini adscripta de αὐτοχειρία sequentem in modum differit GERHARDUS: „αὐτοχειρία, inquit, pugnat: 1) cum lege divina: *Non occides.* 2.) Cum lege naturæ. 3.) Cum præceptis moralibus, violatur enim fortitudinis officium. 4.) Cum politia, tollitur civis reipublicæ. 5.) Cum jure civili, αὐτόχειρες sunt infames. Si odium sui ipsius est illicitum, secundum illud *Eph. V. 29.* utique multo magis αὐτοχειρία.

Martialis.

Nolo virum facile redimit qui sanguine vitam,
Hunc volo laudari, qui sine morte potest.
Rebus in adversis facile est contemnere mortem,
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Augustinus lib. II. ad epist. Gaudentii secundam, cap. 5. *Cum multi innocentes ab aliis occidantur, a se*

mini vitæ alienæ, ita nec poteſtatem accepimus noſtræ, ut in eam pro lubitu injurii, ejusdemque prodigi ſimus. *Nemo eſt dominus ſuorum membrorum* l. 3. ff. ad leg. Aquil. In acie hic ſtamus, non licet injuſſu ſummi imperatoris atque agonothetæ ea excedere. Reipublicæ imo eccleſiæ cives ſumus, non licet utilem reipublicæ civem e medio tollere. Auguſtinus lib. I. de civit. Dei cap. 17. & ſeqq. diligenter tractat hanc quæſtionem, & adſignat varias cauſſas, propter quas αὐτόχειρας ſe ipſos interimere contingat, videlicet calamitatis vel acceptæ vel inſtantis impatientiam, peccati alieni deteſtationem ac fugam, vehementem de proprio peccato pœnitudinem, inanis gloriæ ſtudium, vitæ melioris deſiderium &c. ſed nullam harum juſtam ac ſufficientem eſſe oſtendit, cap. 26. ſcribens: *Hoc dicimus, hoc adſerimus, hoc modis omnibus adprobamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter ſua peccata praeterita, propter quae magis hac vita opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari: neminem velut deſiderio vitae melioris, quae poſt mortem ſperatur, quia reos ſuae mortis melior poſt mortem vita non ſuſcipit.* Vide eundem lib. II. contra Petilianum c. 49. epiſt. 60. & 40. & 204. Proinde non probatur nobis, quod Adelhelmus abbas Malmesburienſis diſputat, virgines illas beatas prædicandas, quæ ſibi ipſis ob metum ſtupri violentas manus intulerunt. Rectius Hieronymus in epiſt. ad Marcellum de obitu Bleſillæ ſub perſona Dei. *Non recipio tales animas, quae me nolente exierunt e corpore.* Chryſoſtomus in cap. I. Gal. vocat αὐτόχειρας *ſceleratos & pejores homicidis* (*). Exemplitas. Sententiam eorum paſſim explicat SENECA, inprimis *epiſt. LVIII.* ubi ait, *ſi qua dolor impedimento futurus ſit ad omne, propter quod vivitur, exeundum e vita eſſe.* Adjungimus eidem CICERONEM, qui *libr. III. de finib. cap. XVII.* ex mente Stoicorum hac de re ſequentem in modum diſſerit: *Cum ab his, quae ſecundum naturam fiunt, omnia proficiſcantur officia, non ſine cauſa dici, ad ea referri omnes noſtras cogitationes, & in his & exceſſum e vita & in vita manſionem. In quo enim plura ſunt, quae ſecundum naturam ſunt, hujus officium eſſe, in vita manere; in quo autem ſunt plura contraria, aut fore videntur, hujus officium eſſe, e vita excedere.* Adeat, qui plura hanc in rem legere voluerit, PLUTARCHUM *de Stoicorum repugn. tom. V. p. 10.* & STOBÆUM, *eclog. eth. l. II. c. IV.* Jungendi ex recentioribus JUSTUS LIPSIUS in *manuduct. ad philoſ. Stoic. diſſert. XXII.* TH. GATAKERUS, in *præloq. ad Antonin. p. 11.* & b. BUDDEUS, in *diſſert. IV. de erroribus Stoicorum in philoſ. moral. §. V.* in *analect. hiſt. philoſ. p. 192.* Varia quoque exempla virorum magnorum philoſophiæ Stoicæ addictorum paſſim deprehenduntur in hiſtoriarum monumentis, qui ſe ipſos vita privarunt, ex quibus exemplum CATONIS Uticenſis heic commemoraſſe ſufficiat.

Nec tantum inter gentiles, ſed & chriſtiani nominis profeſſores exſtiterunt olim nonnulli, qui

(*) Ejusmodi *homicidæ*, qui ſibi ipſi violentas intulerant manus, olim communi nomine *biothanati* fuerunt adpellati, cumque ii, qui hocce ſcelus perpetraverant, pœna adfici haud poſſent, antiquior eccleſia chriſtiana juſtum ſuum dolorem de facto teſtabatur, negando reis ſolemnes chriſtianæ ſepulturæ cærimonias, eosdemque ſinendo jacere excommunicatos, & omni commemoratione in precibus ſuis poſt mortem privatos. Peculiaris hanc in rem canon exſtat in actis concilii *Bracarenſis I.* anno *DLXIII.* celebrati. Vid. BINGHAMUM, in *antiquitat. eccleſiaſt. vol. VII. libr. XVI. cap. X. §. VI. p. 400.* Nec tantum a chriſtianis, ſed & aliis, αὐτοχειρίαι tam communi conſenſu olim fuit damnata, ut tum apud Græcos, tum apud Ebræos iis honeſta denegata fuerit ſepultura, qui violentas ſibi manus intuliſſent.

De Ebræis tamen obſervavit H. GROTIUS, nonnullos ex eorum magiſtris de lege ſe non interficiendi unam cauſſam excepiſſe, tanquam εὐλογον ἐξαγωγην *laudabilem exceſſum, ſi quis videat, ſe deinceps victurum in probrum ipſius Dei.* Vid. ejusdem opus *de jure belli ac pacis libr. II. cap. XIX. §. V. num. 4.* Nec defuerunt ex gentilibus philoſophis, qui autochiriam multis in caſibus licitam eſſe, pronunciarent. Fecerunt id cumprimis *Stoici*, ſtatuentes, fas eſſe viro ſapienti, ex vita excedere, ſi ita ſibi vivendum videat, ut nulla ad humanam felicitatem, cui unice homines natos dicebant, redundaret utilitas. Sententiam eorum paſſim explicat SENECA, inprimis *epiſt. LVIII.* ubi ait, *ſi qua dolor impedimento futurus ſit ad omne, propter quod vivitur, exeundum e vita eſſe.* Adjungimus eidem CICERONEM, qui *libr. III. de finib. cap. XVII.* ex mente Stoicorum hac de re ſequentem in modum diſſerit: *Cum ab his, quae ſecundum naturam fiunt, omnia proficiſcantur officia, non ſine cauſa dici, ad ea referri omnes noſtras cogitationes, & in his & exceſſum e vita & in vita manſionem. In quo enim plura ſunt, quae ſecundum naturam ſunt, hujus officium eſſe, in vita manere; in quo autem ſunt plura contraria, aut fore videntur, hujus officium eſſe, e vita excedere.* Adeat, qui plura hanc in rem legere voluerit, PLUTARCHUM *de Stoicorum repugn. tom. V. p. 10.* & STOBÆUM, *eclog. eth. l. II. c. IV.* Jungendi ex recentioribus JUSTUS LIPSIUS in *manuduct. ad philoſ. Stoic. diſſert. XXII.* TH. GATAKERUS, in *præloq. ad Antonin. p. 11.* & b. BUDDEUS, in *diſſert. IV. de erroribus Stoicorum in philoſ. moral. §. V.* in *analect. hiſt. philoſ. p. 192.* Varia quoque exempla virorum magnorum philoſophiæ Stoicæ addictorum paſſim deprehenduntur in hiſtoriarum monumentis, qui ſe ipſos vita privarunt, ex quibus exemplum CATONIS Uticenſis heic commemoraſſe ſufficiat.

Exemplum Catonis (*) ethnicum est, Samsonis (**) heroicum, Raziæ (***) extra canonem, Jonæ prophe-

qui autochiriam promiscue licitam esse, verbis factisque propugnare haud dubitarunt. Huc pertinent cumprimis *circumcelliones*, seculi quarti hæretici, Donatistarum partibus addicti, qui non tantum atrocissima in partem sibi adversam facinora commiserunt, sed & subinde in se ipsos sævierunt, martyriique prætextu, violentas sibi manus haud raro intulerunt. De furiosa hac ac sanguinaria turba ita scribit AUGUSTINUS *de hæres. cap. LXIX. Ad hanc Donatistarum hæresim in Africa pertinent, qui adpellantur circumcelliones, genus hominum agreste, & famosissimæ audaciæ, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi insana feritate parcendo. Nam per mortes varias, maxime præcipitiorum, & aquarum, & ignium se ipsos necare consueverunt, & in istum furorem, alios quos potuerint utriusque sexus seducere, aliquando ut occidantur ab aliis, nonnem, nisi fecerint, comminantes &c.* Conferenda, quæ laudatiss. AUGUSTINUS, *libr. I. contra Gaudentium cap. XXVII. & XXVIII.* de furiosis hisce hominibus adnotavit, ex quibus simul perspicimus, hosce hæreticos furorem suum exemplo RAZIÆ defendere voluisse, quem secundus Maccabæorum liber sese gladio percussisse memorat, & e muro dedisse præcipitem, suaque deinde intestina discerpsisse. Mentionem quoque horum hominum facit PHILASTRIUS *hæres. XXXVII.* qui vero eos non *circumcelliones*, sed *circuitores* adpellat. *Sunt*, inquit, *in Africa, qui* circuitores *dicuntur. Hi circumeunt terras, & quos inveniunt in via, cogunt eos, ut interficiantur ab illis.*

Recentiori ætate JO. DONNE, scriptor Anglus, αυτοχειριαν peculiari libro Londini *MDCLXIV.* Anglico sermone edito defendere ausus est. Index libri est: Βιαθανατος, *a declaration of that paradox, or thesis, that self homicide is not so naturally sin, that it may never be otherwise.* 8. Confutavit vero eundem JO. ADAMI, in *tract. de autochiria.* Ex Gallis αυτοχειριαν multis in casibus licitam esse evincere conatus est JEAN DU VERGER DE HAURANNE, qui in ecclesia Romana sub nomine *abbatis S. Cyrani* magnam consecutus est celebritatem. Edidit is Parisiis libellum quendam hac inscriptione insignitum: *question royale, où est montré, en quelle extremité, principalement en tems de paix, le sujet pourroit être obligé de conserver la vie du Prince aux dépens de la Sienne.* 12. Contenta hujus libelli recensentur *dans les memoires chronologiques & dogmatiques pour servir a l'histoire ecclesiastique tom. II. p. 111.*

Præcipuæ rationes contra αυτοχειριαν, quas philosophia suppeditat, eleganter edisseruntur *dans les essais* de MONTAGNE, *livr. II. chap. III.* Scripsit quoque SAM. RACHELIUS, peculiarem *dissertat. de morte voluntaria.* Add. WATTII *Vertheidigung vor die Versuchung vom Selbstmord*, & b. MOSHEMII *Sittenlehre, part. VI. p. 248. seqq.* Ut alios taceamus.

(*) CATONI Uticensi præcepta philosophiæ Stoicæ, quam a teneris imbiberat, non poterant non αυτοχειριαν suadere, eo præsertim tempore, quo cum desperatione ipsi erat luctandum. Vid. PLUTARCHI de eo narrationem in *vitis parallelis, tom. V. operum p. m. 635.* add. FLORUM, *libr. IV. cap. 2.* & SENECAM *epist. XXIV. de provident. cap. 2.* Filiam ejus PORCIAM, quæ inter Stoicas fœminas numerari solet, pariter voluntariæ mortis genere obiisse, hacque ratione probasse, se ex Stoico philosopho natam educatamque fuisse, præter PLUTARCHUM narrat VALERIUS MAXIMUS *libr. IV. cap. 4.* Conf. PETR. BÆLIUM in *dict. hist. & crit. tom. III. art. Porcia, not. (e)*

(**) Factum SIMSONIS enarratur a scriptore sacro *Jud. XVI. 29, 30.* Ii, qui αυτοχειριαν licitam esse contendunt, inde patrocinium quærunt suæ sententiæ. Hos inter est JO. DONNIUS in *libro* anglico supra *excitato p. 172.* Alii vero, qui αυτοχειριαν habent pro re illicita, Simsonem quidem ejus reum pernegant, sed insimul ejus factum neutiquam adprobandum, sed potius in vitio ponendum esse adserunt. Iis, qui ita sentiunt, viam prævit ANASTASIUS Sinaita, scriptor Græcus seculo VI. clarus, cujus hanc in rem verba recitavit JO. MARCKIUS, in *fasciculo dissertat. philologic. exeget. p. 230.* Rursus alii factum Simsonis defendunt, ejusdemque vindicias a *dispensatione* divina *repetunt*; id quod præter alios fecit laud. MARCKIUS *loc. cit.* Singularis plane est JO. CLERICI sententia in *comment. ad h. l.* Summa ejusdem huc redit: I) licitum fuisse tum temporis, ultionem sumere ab hostibus Israëlitarum. II) Simsonem columnas adprehendisse, cum spe evadendi, adeoque mortem suam directe non intendisse. III) in omnem eventum ipsi quoque hanc deliberatam constitisse sententiam, ut, si Deo ita visum fuerit, paratus etiam sit ad propriam mortem subeundam. IV) Deum

pheticum. Si exempla valere debent, proponimus patriarchas, prophetas, apostolos, martyres, qui cum omnia gravissima perpeterentur, nunquam tamen manum sibi intulerunt. Exempla Achitophelis, Judæ, Pilati (apud Eusebium lib. II. hist. c. 7.) infamem faciunt αὐτοχειρίαν, neque tamen indistincte omnes αὐτόχειρες æternæ morti adjudicandi sunt, qua de re peculiari scripto tractat Celichius.

An supplicia a magistratu irrogata pugnent cum quinto præcepto.

§. CLVI. Quæritur II.) *unde demonstrari possit, facinorosorum supplicia a magistratu irrogatis non peccari contra hoc præceptum* (*)? Resp. exstat manifestum divinæ sententiæ rescriptum, quo magistratui jus gladii conceditur Gen. IX. 6. *Qui effuderit humanum sanguinem, ejus sanguis effundetur per hominem.* Rom. XIII. 4. *Non gerit gladium frustra.* Quemadmodum igitur magistratus non hominis, sed *Dei judicia exercet*; 2. Paral. XIX. 6. ita quoque non humana, sed divina auctoritate pœnas irrogat. Minister Dei est, ad cujus voluntatem gladium divinitus datum sic administret, ut, quos ille voce legis occidi jubet, occidantur: quos servari constituit, defendantur; hoc si fecerint, non solum non peccant occidendo, sed peccarent potius non occidendo. Gladius magistratus, quo facinorosi occiduntur, tantum abest, ut contra hujus præcepti sanctionem stringatur, ut potius illi serviat, & ad eundem scopum cum eo collimet. Finis enim hujus præcepti est, ut securitati humanæ vitæ consulatur. Eodem spectat, quod hostes generis humani, quietis publicæ turbatores, ac vitæ nostræ insidiatores gladio ultore puniuntur, ac sanguis noxius legitime funditur, ne innoxius illegitime fundatur. Augustinus lib. I. de civ. Dei cap. 21. *Non ipse occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius est utenti. Ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est:* Non occides; *qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicae potestatis, secundum ejus leges, hoc est, justissimae rationis imperium, sceleratos morte puniverunt* (**).

§. CLVII.

Deum hoc modo pœnam sumsisse ab hostibus Israëlitarum. V) eum eandem simul sumsisse de Simsone ipso propter amores meretricios. Verum multa esse, quæ in hac CLERICI sententia jure meritoque desiderari queant, ostendit DAN. MAICHELIUS in erudita dissertatione, cui titulus: *factum Simsonis ab αυτοχειριας crimine vindicatum* §. XX. *p. 26.* JO. GEORG. WALCHIUS, theologus Jenensis celeberrimus, in eam descendit sententiam, factum Simsonis tam esse singulare, ut cum nulla certitudine de illo judicari possit. Vid. ejusdem *lexicon philosoph.* sub tit. *Selbstmord, p. 2367.* Nos cum GERHARDO statuimus, factum hocce fuisse plane *heroicum*, atque Simsonem, qui illud perpetravit, ab αυτοχειριας crimine omnino absolvendum esse. Quidquid enim heic egit, non agit auctoritate privata, sed publica & vel maxime divina. Patet id tum ex ipsa natura atque indole hujus facti, quod non fuit res virium naturalium, sed ipsius Dei, tum ex prævia supremi numinis invocatione, quam mox philistæorum strages, una cum ipsius Simsonis morte, est insecuta; tum denique ex luculento testimonio Spiritus S. qui Simsonem *Ebr. XI. 32.* inter fidei heroës refert eorumque accenset numero, qui promissionem vitæ æternæ acceperunt, quod sane locum non haberet, si is fuisset αυτοχειρ, adeoque in tam gravi ac mortali peccato vitam finiisset, prout recte observat laud. MAICHELIUS, *loc. cit.* §. *XXVII. p. 31.* Conf. CHRIST. ROEHRENSEE dissert. *de Simsone ab autochiria absoluto*, quæ Wittebergæ A. *MDCCVIII.* prodiit.

(***) RAZIÆ, senatoris Hierosolymitani, se ipsum, ne in hostium potestatem veniret, interficientis, facinus recensetur laudaturque in libro apocrypho 2. *Macc. XIV. 37. seqq.* Sunt equidem, qui illud excusare adnituntur, sed recte observavit AUGUSTINUS, illud cum lege divina, vitæ conservationem nobis commendante, manifesto pugnare. Vid. ejusdem *libr. I. contra epistolam Gaudentii, cap. XXXI. tom. IX. operum, p. m. 445. seqq.*

(*) Hancce controversiam uberius tractat GERHARDUS in loco de conjugio §. *CCXCVI — CCCVII.*

(**) Quod arithmetica proportio in irroganda pœna homicidii debeat observari, 1) absolute dicitur. *Quicunque profuderit sanguinem humanum,*

Quid ſtatuendum de homicidio caſuali.

§. CLVII. Quæritur III. *quid de caſuali homicidio ſtatuendum ſit?* Reſp. (*) Duplici modo caſualia homicidia contingere poſſunt, quandoque enim datur opera rei illicitæ, vanæ ac ludicræ, quandoque vero licitæ & honeſtæ: ex utriusque ſtudio caſuale homicidium contingere poteſt. *Prioris* exemplum eſt, ſi ebrius gradibus decidendo puerum opprimat, ut moriatur, ſi temeraria ſclopeti emiſſione proximus lædatur. *Poſterioris*, ſi *quis abeat cum proximo ſuo in ſylvam ad caedendum ligna, & impulſa fuerit manus ejus in ſecurim ad caedendum lignum, elapſum autem fuerit ferrum ex ligno, inveneritque proximum ſuum, & moriatur*, Deut. XIX. 5. In *priore* caſu, quamvis non ſit dicendum voluntarium homicidium concurrere, tamen non abſolvitur ab omni culpa is, cujus illicito vel temerario ſtudio proximus occiditur. *Poſterior* caſus non poteſt homicidii proprie ſic dicti damnari, aut pœnis homicidii vel latæ culpæ ſubjici, unde in hoc caſu Deus ipſe civitates refugii in lege conſtituit, (**) Exod. XXI. 13. Num. XXXV. 6. Deut. XIX. 6. Joſ. XX. 2. Quamvis vero homicidium caſuale ordinariæ pœnæ in republica non ſit ſubjectum, tamen non eſſe coram Dei judicio rem bonam vel indifferentem, patet ex eo, quod talis homicida extra civitatem ſuam in urbibus refugii uſque ad mortem ſummi ſacerdotis, habitare cogebatur, Num. XXXV. 25. Joſ. XX. 6. quo denotatum fuit, remiſſionem aliam hujus peccati per mortem Chriſti, qui eſt ſummus ſacerdos nov. teſt. pœnitentibus ex fide contingere. R. Salomon hanc adducit legis hujus rationem, *quod effuſio ſanguinis, ſi vel maxime caſualis ſit, abbreviet vitam, & ſit horrida coram Deo.*

Quid de homicidio defenſorio ſtatuendum.

§. CLVIII. Quæritur IV.) *quid de homicidio defenſorio ſtatuendum ſit?* Reſp. Defenſorium homicidium duplex eſt: Publicum & privatum. *Publicum*, quando auctoritate magiſtratus legitimum bellum geritur, cujus requiſita ſuo loco enumerabuntur (***). *Privatum*, quando quis injuſta vi oppreſ-

num, ejus ſanguis effundetur. 2) προσωπολημψία in lege divina ſimpliciter prohibetur. Lev. XIX. 15. Deut. I. 17. 3) Judex unicuique ratione officii id, quod ſuum eſt, tribuere tenetur, unde dicitur δίκαιος quaſi διχαιος *per medium tranſiens*, propterea quod obſervet æqualitatem. 4) Saul proprium ſuum filium capitali ſupplicio adjudicavit. 1 Reg. XIV. David Abſolonem perſecutus. 2 Reg. XIII. 5) Niſi id fiat, multa mala conſequuntur, teſtis eſt Polonia, in qua cædes multiplicatæ. 6) Viri honorati bis peccant, non facto ſolum, ſed & exemplo. Quod geometrica, ſive harmonica proportio ſit obſervanda. 1.) Exod. XXI. homicida capite plectitur, ſed Dominus ſervum ſeverius caſtigando occidens a pœna illa liberatur. 2.) Leges omnes ſubverterentur, quia infinita locorum, temporum, perſonarum varietas cauſarum diſſimilitudinem judicibus adfert. 3.) Saul filium ſuum ſecundum jus æquum ad interceſſionem populi abſolvit. Pro deciſione diſtinguendum eſt: arithmetica proportio obſervari poteſt, ſi adſit qualitas extrinſeca facti naturam non attingens, ut divitiæ, paupertas, generis obſcuritas: geometrica, ſi adſit conditio factum vel adgravans, vel elevans. Diſtinguitur etiam inter ἀκριβοδικαιον & ἐπιεικειαν jus *ſtrictum* & *æquum*. Quoad jus ſtrictum nulla perſonarum adhibenda eſt diſtinctio, ſed omnes æqualiter puniendi &c. GERHARDUS.

(*) Toletus lib. V. cap. 6. p. 349. eum, qui motu repentino correptus, adeo, ut rationis non ſit compos, alterumque occidat, a peccato mortali liberat & abſolvit. GERHARDUS.

(**) De hiſce civitatibus refugii legi meretur CONR. ICKENII, theologi quondam Bremenſis, erudita diſputatio *de homicida involuntario, exſulante in urbe refugii uſque ad mortem pontificis maximi*, Brem. *MDCCXXXI.* edita. Reliquos ſcriptores, qui hocce argumentum excuſſerunt, diligenter recenſent JO. ALB. FABRICIUS, in *bibliograph. antiquaria cap. IX. §. XXVI. p. 422.* edit. recentiſſ. & JO. CHRISTOPH. WOLFIUS, in *aduotat.* quas LUNDII *jüdiſchen Heiligthümern, cap. XXX. p. 979.* ſubjecit.

(***) Requiſita iſta enumeravit GERHARDUS in *loco de magiſtratu politico §. DCCCXXXVI. ſeqq.*

oppressus necessitate defensionis cogitur, ut vitæ suæ vel suorum conservandæ causa alterius vitam lædat. De *priore* nulla est dubitatio, quin sit licitum, nisi cum anabaptistis legitima bella improbare velimus. *Posterius* an sit licitum, graviter controvertitur. Sed enim cum defensio proprii corporis ac nostrorum non solum cum jure naturæ, sed & caritatis lege conveniat, ideo servatis conditionibus debitis, præsertim vero moderamine inculpatæ tutelæ, tale defensorium homicidium licitum esse, plerique omnes statuunt. (*) Exod. XXII. 2. *Si effringens fur domum in*

(*) Ita sane statuunt omnes doctores juris naturæ, ex quibus nominasse sufficiat H. GROTIUM *de jure belli ac pacis, libr. I. cap. III. §. 2. & libr. II. cap. I. §. 3.* SAM. PUFENDORFIUM *de jure nat. & gent. libr. II. cap. V.* & in libello *de officio hominis & civis libr. I. cap. V. §. XVI. seqq.* JO. BARBEYRACIUM, in *notis ad Pufendorf.* & CHRISTIAN. THOMASIUM, in *institut. jurisprud. divinæ libr. II. cap. II. §. 80. seqq. p. 165. seqq.* Quibus ex theologorum ordine addimus JO. ADAMUM OSIANDRUM, cancellarium Tubingensem, in *observat. ad Grotium.* JO. HOCHSTETTERUM, *in collegio Pufendorf. exercit. V. §. IV. p. 221. seqq.* JO. FRANCISC. BUDDEUM, in *institut. theolog. moralis part. II. cap. III. sect. III. §. XX. p. 571. seqq.* & JO. GEORG. WALCHIUM in *dem philosophischen Lexico, art. Nothwehr, p. 1905. seqq.* Legi quoque meretur PHIL. JAC. SPENERI responsum ad quæstionem: *ob man sein Leben gegen einen Trunckenbold durch dessen Entleibung retten dörffe?* quod exstat in ejusdem *consiliis theolog.* germanico sermone editis, *part. IV. cap. VII. art. II. sect. XVII. p. 392. seqq.*

Non defuerunt tamen tum antiquiori, tum recentiori hocce ævo, qui in longe aliam heic abierunt sententiam, defensionemque sui violentam prorsus illicitam pronunciarunt. Huc pertinet ex priscis ecclesiæ christianæ doctoribus TERTULLIANUS, scriptor seculi II. jurisconsultus primum, deinde presbyter Carthaginensis, postremum Montani adsecla, vir pietate quidem strenuus, at tristis simul atque austerus, qui omnem contra injustum invasorem defensionem improbandam censuit, notatus eapropter a BARBEYRACIO in erudita præfatione operi Pufendorfiano *de jure nat. & gent.* præmissa. Tertulliano ad latus ponimus AMBROSIUM, episcopum Mediolanensem, seculo IV. clarum, qui suam hac de re mentem hisce verbis expressit: *Christianus, etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non potest; ne, dum salutem defendit, pietatem contaminet.* Nec alienus est ab hac sententia AUGUSTINUS, celeberrimus iste Hipponensium præsul, qui ait: *legem quidem non reprehendo, quæ tales* (latrones & alios invasores violentos) *permittit interfici, sed quo modo istos, qui interficiunt, defendam, non invenio.* Alium ex ejusdem scriptis locum producit H. GROTIUS *loco cit.* qui ita habet: *de occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, accepta legitima potestate.* In eandem sententiam descendit quoque BASILIUS cognomine *magnus*, antistes Cæsareensis, qui eodem floruit seculo. Is enim in *secunda ad* AMPHILOCHIUM *epistola*, disertis verbis pronunciat: *homicidii reum esse, qui alteri vulnus letale inflixerit, si vel maxime id fecerit ad sui ipsius defensionem*; provocans inter alia ad verba servatoris: *si quis tibi colaphum in dextram malam impegerit, ei obverte & alteram, Matth. V. 39.* Ad eandem sententiam recentiori ætate proxime accedunt *Anabaptistæ*, seu *Mennonitæ* a MENNONE SIMONIS ita dicti, itemque *Quackeri*, quin & SOCINI sectatores, qui ex oraculo servatoris modo recitato aliisque sacræ scripturæ locis colligunt, fas non esse homini christiano contra alterius vim se defendere.

Verum eos graviter hallucinari, ac violentam sui defensionem, etiam cum interfectione periculum inferentis conjunctam, omnino licitam esse, variis iisque gravibus rationibus dudum comprobarunt viri in doctrina morali egregie versati. Urgent 1) legem charitatis in ipso decalogo nobis injunctam, secundum quam unusquisque sibi ipsi proximus est, vitamque suam omni modo conservare tenetur. Addunt 2) nullam adparere causam, cur in collisione, alterius, & quidem injusti adgressoris vitam meæ debeam præferre, & cum utraque lex simul observari nequeat, cur illa potius obliget, quæ alterum non lædere, quam quæ me conservare jubet. Neque enim 3) præsumi posse, Deum voluisse hominem ad id obligare, quod communi omnium animantium instinctui e diametro repugnat. Urgent 4) quod obligatio de nemine lædendo sit mutua, quæ si ab altero proterve violetur, is nullo jure postulare queat, ut ego adversus ipsum eam observem; itemque 5) quod bona irrepara-

in ipsa perfossione inventus fuerit & percussus, ac vulnere accepto mortuus, non erit percussor morti obnoxius. Interim tamen cum in hoc casu facillime transiliri potuerint ea, quæ ad moderamen inculpatæ tutelæ requiruntur, præsertim cum studium vindictæ, ac irarum flammæ

parabilia, quale vita est, frustra nobis a Deo forent concessa, si defensionem vitæ suæ adversus sceleſtos invasores suscipere haud liceret; ac denique 6) quod mirum in modum turbaretur socialitas, quæ juris naturæ fundamentum constituit, si viris probis modestisque incumberet necessitas, extrema quævis ab hominibus improbis, exitium nobis intentantibus, perpetiendi.

Nec in contrarium huic urgeri potest interdictum decalogi: *non occides*; quod si enim hæc verba sine omni restrictione intelligantur, non magis defensio sui violenta, quam supplicia capitalia forent prohibita, quod tamen secus sese habere, ipsæ sanctiores litteræ nos condocent. Majori specie a dissentientibus urgeri solet effatum servatoris *Matth. V. 39.* quod supra recitavimus. Provocant ad illud cumprimis SOCINI adsectæ, adferentes, quamvis in veteri testamento cædes invasoris fuerit licita, christianis tamen, quibus perfectior lex data sit, eam minime licere, idque expressis Christi verbis, quæ *loc. cit.* leguntur, luculenter comprobari posse. Verum hanc objectionem non omni specie destitutam dudum copiose solideque confutarunt theologi recte sentientes. Nos in rerum præsentia sequentia paucis notamus: 1) argumentum Socinianorum niti falsa hypothesi de Christo novo legislatore & perfectiore quadam lege evangelica, quem errorem dudum profligarunt purioris fidei doctores, 2) ipsos adversarios diffiteri haud posse, verba servatoris: *ne resistatis malo*, non *proprie* & secundum litteram esse intelligenda, siquidem alias ipsemet Christus sanctissimique ejus legati peccassent, qui malo restitisse leguntur, *Joh. XVIII. 23. Actor. XXIII. 3. XXV. 11.* 3) ex absoluto horum verborum sensu multa sequi absurda, veluti impunitatem scelerum, prohibitionem exercendæ in sacinorosos justitiæ, oppressionem innocentiæ, summam confusionem, & divini humanique juris eversionem. Unde & JULIANUS imperator, qui spretis christianis paganam religionem pristino splendori suo restituere adnisus est, ex hoc servatoris oraculo nimis crude ac perverse intellecto christianam religionem rei publicæ noinsciis quandoque obrepant, ideo in foro conscientiæ tutissimum est, propter effusionem illam sanguinis magis dolere ac lugere, quam gloriari vel animo efferri, factum suum coram Dei judicio magis accusare, quam excusare, a Dei misericordia remissionem propter Christum potius

 petere,

xiam esse criminatus est. Nihil itaque aliud supereſt, quam ut 4) dicamus, Christum *loc. cit.* loqui de injuriis levioribus, quæ sine nimio incommodo perferri queunt, non autem de injuriis gravioribus, immo gravissimis, quibus ipsa hominis vita in discrimen adducitur; neque adeo heic prohiberi resistentiam conservandæ vitæ nostræ unice intentam prorsusque necessariam, sed resistentiam duntaxat vindicativam eandemque privatam, ad vitæ nostræ bonorumque eidem æquivalentium conservationem minus necessariam, malumque ac perniciem proximi unice intendentem. Conf. *Rom. XII. 17.* Prætermittimus reliquas dissentientium objectiones, quarum solutionem dederunt theologi Tubingenses, JO. ADAM. OSIANDER in *observat. ad* GROTII *libr. II. de jure b. ll. ac pac. cap. I. §. 3.* & JO. ADAMUS HOCHSTETTERUS, in *collegio Pufendorfiano p. 222. seqq.*

Disputatum quoque fuit inter viros eruditos: an defensio sui violenta, non tantum jure divino sit licita, sed & præcepta? Posteriorem sententiam ex theologis nostris amplexi sunt b. cancell. OSIANDER, HEDINGERUS, SPENERUS aliique; itemque ex JCtis VITRIARIUS, STRYCKIUS, STRUVIUS, TITIUS, alii. Immo sunt ex iis, qui hocce præceptum eousque extendunt, ut eum, qui se, cum resistere posset, occidi permittit, damnari posse pronuncient, non aliter, ac si ipsemet violentas sibi manus intulisset. Vid. ALBERTI in *compend. jur. nat. part. II. cap. III. §. 13.* Ast CHRISTIANUS THOMASIUS, JCtus quondam Halensis, qui eandem in *jurisprudentia divina* adoptaverat sententiam, mentem suam postea mutavit in *fundamentis juris naturæ & gent.* hancque defensionem licitam duntaxat esse contendit. Nos iis accedimus, qui eandem, pro diversitate circumstantiarum, interdum præceptam, interdum licitam, interdum vero plane prohibitam statuunt. Illicita profecto est defensio ista violenta, si imperans, vel princeps subditum invadat. Fundamentum hujus sententiæ inde petimus, quod ratio & tranquillitas rerumpublicarum generatim exigat, ut persona prin-

petere, quam in conſpectum Dei illud proferre. Totam hanc quæſtionem diligenter tractat D. Chemnitius p. II. locorum cap. de vindicta. (*)

Explicatio ſexti præcepti.

§. CLIX. Præceptum ſextum: NON MOECHABERIS. 1.) נָאַף, propriè ſignificat *adulterium committere*, ab *agitando* vel *ſubagitando*, ſynecdochice hoc loco ponitur pro omni illicitarum libidinum ſpecie, quod oſtendit interpretatio hujus præcepti per prophetas & apoſtolos tradita, unde Matth. XV. 19. conjungit Chriſtus μοιχείαν καὶ πορνείαν (**). 2.) Non ſolum exteriora delicta ſcortationis, adulterii &c. ſed etiam interiores flammæ libidinum hoc præcepto prohibentur, Matth. V. 28. *Qui adſpicit mulierem ad concupiſcendum eam, jamtum mœchatus eſt in corde ſuo.* 3.) Quin & omnia illa prohibentur, quæ augent vel excitant illicitas libidinum flammas, ubi damnatur effectus, ibi etiam cauſam damnari intelligimus. Ezech. XVI. 49. *Ecce iſta fuit iniquitas Sodomae ſororis tuae, ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia otii fuit ei & filiabus ejus.* 4.) Peccata interiora & exteriora caſtitati adverſa exprimuntur delicti craſſioris nomine, ut quo loco coram Dei judicio habeantur, manifeſtum fiat, ne corruptioni cordis noſtri blandiamur. 5.) Cum omnem impuritatem Deus extreme deteſtetur, nominatim prohibet tori conjugalis violationem, ut intelligamus, conjugii ordinem divinitus ſancitum lege confirmari ac dignitatem ejus aſſeri. 6.) Absque ulla ſpecificatione vel determinatione omnibus prohibetur adulterium, ne quis perſonæ vel ſtatus exceptione utatur. 7.) Accuſatur voce legis prohibentis extrema naturæ noſtræ corruptio, qua ad omnis generis libidines proni ac proclives ſumus. 8.) Ex negato colligendum eſt adfirmatum, ut adpareat, finem ac ſcopum hujus præcepti eſſe conſervationem caſtitatis & conjugii munitionem.

§. CLX.

principis ſancta ſit atque inviolabilis. Vid, JO. NICOL. HERTIUM, cancellarium atque JCtum quondam Gieſſenſem, *de colliſione legum, ſect. I. §. 21.* Diſſentiunt tamen STRUVIUS *de vindicta privata cap. IV. aph. I. num. 8. & aph. IV. num. I.* JO. ANDR. VAN DER MÜHLEN in *comment. ad Grot.* aliique.

magiſtratus opitulari nequit; cuivis enim animanti natura inſevit vitæ adpetitum & ſtudium illam conſervandi &c. 4.) a *magiſtratus conceſſione.* Manifeſtam vim in defectu auxilii publici aliquem pro virili repellere, & ſe ſuosque tueri ſit ſecundum leges cum adprobatione legitimæ & divinitus ordinatæ poteſtatis. Ergo non debet talis defenſio tanquam privata vindicta reprehendi. 5.) a *defectu interdicti divini.* Chriſtus non venit, ut tolleret politias & mutaret leges naturæ, nec in nov. teſt. quicquam exſtat, quod furem & graſſatorem nocturnum impune occidi poſſe, mutatum probaret. Hæc ex MEISNERI *refut. Socin. p. 203.* adnotavit GERHARDUS.

Nos præcipua, quæ pro defenſione ſui violenta militant argumenta ſupra *p. 332.* adduximut.

(*) Probatio defenſionis violentæ petitur: 1.) ab *exemplo Abrahæ* Gen. XIV. 14. qui erat peregrinus in terra Canaan, nullumque gerebat magiſtratum, nec in Sodomæos habebat aliquam poteſtatem, nihilo tamen minus ad defenſionem ſui nepotis, armat familiam, inſequitur & trucidat hoſtes, quæ defenſio non diſplicuit Deo. Quod ſi licuit Abrahamo privato nepotem ſuum in caſu neceſſitatis per hoſtium occiſionem defendere, multo magis licebit propriam vitam tueri. 2.) ab *adprobatione divina*, Exod. XXII. 2. Homicidium, quo fur aut graſſator noctu veniens, nobisque inſidias ſtruens ob neceſſariam familiæ propriique corporis defenſionem interficitur, Deus ipſe a pœna abſolvit. Et tale homicidium divinæ voluntati non eſt ſimpliciter contrarium. 3.) a *lege naturæ.* Inſcriptum eſt naturæ inſculptumque cunctorum cordibus, ſicut nemini nocendum, ita proprium corpus contra injuſtam vim defendendum, vel ordinariis imperiis, vel propria defenſione, cum

(**) Quidam exiſtimant נאף eſſe *ſcortari* Job. XXIV. 15. Jer. III. 9. Sed exempla ſcripturæ oſtendunt נאף proprie ſignificare *adulterari* Lev. XX. 10. Prov. VII. 19. Oſ. IV. 13. Apud Jobum non de ſcortatore, ſed de adultero proprie ſermo eſt, quia ſcortatores non adeo quærunt latebras, ut adulteri. Jer. III. 9. conjunguntur duo verba זנה & נאף non tanquam συνώνυμα ſeu ἰσοδυναμοῦντα ſed prius tanquam generalius per poſterius tanquam ſpecialius declaratur. GERHARDUS.

Virtutes in sexto præcepto requisitæ.

§. CLX. Ex his fundamentis facile constitui potest, quæ sint *virtutes* hoc præcepto requisitæ. Primaria ac principalis virtus hujus præcepti est castitas, quam dici volunt a κάζω, hoc est, *orno*, quia castitas maximum est hominis ornamentum, cum sit virtus, qua, ex vero Dei timore & dilectione, mundities animi & corporis conservatur, ac vitantur omnes libidines a Deo prohibitæ. 1 Thess. IV. 4. pulcerrimo nomine vocatur ἁγιασμὸς. Gal. V. 22. ἐγκράτεια Psalm. LI. 12. mundities &c. Est autem duplex castitas pro ratione diversorum subjectorum. Castitas vitæ *caelibis* & *conjugalis*. *Illa* est non solum corpus impollutum servare, sed & animum ab incendiis libidinum habere liberum, ita namque definit apostolus 1 Cor. VII. 34. *ut sit sancta & corpore & spiritu*. *Haec* vero est corpus suum uni conjugi legitime sociato castum & sanctum servare, leges conjugii divinitus sancitas reverenter tueri. Hæc virtus sedem habeat in corde, eluceat in gestibus & sermone, adpareat tandem in opere. 1.) In corde sit serium castitatis studium; agnoscatur, Deum esse mentem castam, & severe exigere a nobis castitatem, absint flammæ libidinum, absint pravæ concupiscentiæ. 2.) In verbis & gestibus regnet pudor ac verecundia, qua testemur, nos abhorrere ab omni turpitudine, caveantur spurci sermones, impudici gestus, lascivia oculorum &c. 3.) In opere demonstretur castitas, ut corpus servetur purum & impollutum, caveatur abusus seminis, omnisque corporum illegitima commixtio & contaminatio. Huic virtuti inservit temperantia, quæ in cibo, potu, somno, otio &c. observet ordinem naturæ, honestati & rectæ rationi convenientem, ne πάθη concupiscentiæ & flammæ libidinum incendantur. Ceterum cum in conjugio sit vera ac Deo placens castitas, ideo conjugii ordo divinitus hic sancitur. Pertinent igitur ad hoc præceptum leges conjugii, Gen. II. sancitæ, & postea sæpe repetitæ, ut & officia maritis ac uxoribus præscripta, qua de re suo loco plenius dicetur.

Peccata contra sextum præceptum.

§. CLXI. Antithesis ostendit, quæ *peccata* pugnent cum hoc præcepto. 1.) Pravæ concupiscentiæ in corde, flammæ libidinum, quas apostolus vocat πυρώσεις 1 Cor. VII. 9. *Ex corde exeunt stupra, adulteria, cogitationes malae.* 2.) In verbis spurcities, turpiloquium, obscœnitas. In gestibus quævis signa lasciviæ, oculorum concupiscentia, Eccles. XXVI. 12. *Fornicatio mulieris in oculis & palpebris agnoscitur*, impudici amplexus & oscula, Jer. V. 8. *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* 3.) In opere variis modis peccatur contra hoc præceptum, per fornicationem inter personas solutas, per adulterium inter conjuges, per raptum, quando per vim stuprum infertur mulieri, per incestum, quando fit commixtio cum consanguineis & affinibus in gradibus prohibitis, per sodomiam, bestialitatem, pæderastiam, mollitiem sive seminis voluntariam effusionem, de qua Thomas pronunciat, quod *sit ipsa scortatione gravius peccatum*, per concubinatum meretricium. Cumque vitare peccata, sit vitare occasiones peccati, ideo peccatur contra hoc præceptum intemperantia, ebrietate, luxuria, levitate vestium, choreis impudicis, otio & securitate, impura lectione, amatoriis cantilenis, lupanarium erectione ac tolerantia. Denique cum in hoc præcepto sanciatur conjugium, ideo peccatur contra illud vituperatione conjugii & fœminei sexus, temerariis divortiis, simulata castitate extra conjugium, prohibitione conjugii in personis idoneis, item neglectu officiorum, quæ conjugibus scriptura præcipit. Hæc omnia dictis & exemplis e divinis tabulis sunt illustranda, addendæ promissiones & comminationes: item exempla præmiorum ac pœnarum, enumerandæ sunt causæ impulsivæ, quæ ad castitatem nos adhortari debeant, ostendendum, quam atrox & detestandum sit adulterii ac scortationis peccatum, sed hisce immorari non est nostri instituti.

Quid proprie sit adulterium?

§. CLXII. Quæritur hoc loco: I.) *Quid proprie sit adulterium?* Resp. R. Salomon dicit, *non esse adulterium, nisi in uxore cujuspiam*

piam fieri, hoc est, adulterium committi tantum cum maritata, non autem cum soluta. Eum sequitur Lyranus, cum definit mœchiam, quod sit *copula carnalis cum uxore alterius viri, quae reputatur una caro cum ipso.* Sed rectius statuunt, qui committi docent adulterium, quacunque tori ac fidei conjugalis violatione, sive cum soluta, sive cum maritata nefanda illa commixtio fiat. Lex conjugii hæc est: 1 Cor. VII. 4. *Vir non habet potestatem sui corporis, nec mulier;* ergo adulterium est, si alteruter conjugum potestatem sui corporis alienis permittat. Unitatis conjugalis corruptio dicitur adulterium, quia admissu alieni corporis, quod integrum erat, adulteratur ac corrumpitur, si vel ad alterius thorum non accedatur. Prov. VII. 5. etiam illa adulterii accusatur, quæ juveni potestatem sui corporis facit. Recte autem constituuntur duæ species adulterii; *simplex*, quando thorus conjugalis proprius violatur, utpote si maritus rem habet cum soluta, ac si solutus polluit uxorem alterius; *duplex*, quando non solum thorus conjugalis proprius, sed etiam alienus violatur, utpote si conjugatus alterius thorum corrumpit, vel conjugata marito alteri potestatem sui facit.

An lupanaria toleranda?

§. CLXIII. Quæritur II.) *an lupanaria tolerare sit peccatum contra hoc sextum praeceptum?* Resp. *Lutherus* in cap. XIX. Gen. fol. 229. præcise negat. Paulus III. olim ostendebat, se aliquam ecclesiæ emendationem meditari, dedit negotium quibusdam cardinalibus & episcopis, qui ceteris habebantur puriores, quid autem illi senserint, exstat in III. volumine conciliorum. *Queruntur, tantam esse Romae potentiam meretricium, quanta alias nusquam.* An Paulus III. hoc emendavit? in Tridentina quoque synodo pollitici sunt Romanenses magnam aliquam emendationem, sed nec effecerunt, nec quicquam conati sunt. Cur non imitantur potius & sequuntur Justiniani leges? is in authent. tit. de lenonib. vult *meretrices prorsus eliminatas e civitatibus, nec adstringi aut teneri, si quid lenonibus promiserint, imo si juraverint, se fore meretrices ad aliquot tempus, a juramento absolvit.* Ast Romanus præsul non solum tolerat lupanaria, sed etiam annuum censum a scortis accipit, quem ad aliquot millia florenorum quotannis excurrere compertum est, Stanislaus Orichonius in libro de lege cælibatus, & Hieronymus Marius in Eusebio captivo referunt, quod anno 42. Paulus III. in tabulis habuerit numero 45. meretricum millia, ex quarum fornicatione singulis mensibus censum exegit, contribuente qualibet secundum pulcritudinis suæ excellentiam. Atqui omnes illæ detestationes scortationis, quæ in scriptis prophetici ac apostolicis occurrunt, rectissime etiam contra lupanaria publica, quæ sunt scholæ omnis impuritatis ac immunditiei, vibrantur. Deut. XXIII. 17. *Non sit ulla meretrix aut prostituta in Israel.* Nec est quod dictum Augustini lib. de ordine (*Tolle meretrices, & omnia implebuntur libidinibus*) obvertatur, siquidem *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, Rom. III. 8. Scripsit hoc Augustinus adhuc catechumenus, nec dum in religione satis institutus. Per inversionem rectius dicitur: *Ale meretrices, & implebis omnia libidinibus*, quia ut Basilius in Psalm. I. dicit: *Scortatio non consistit in uno homine, sed totam civitatem pervadit, accedit enim ad scortum unus quispiam juvenis, ille adsciscit sibi socium, & ille item alterum, unde sicut ignis accensus in civitate, si ventus graviter incubuerit, non sistit incendium in una vel altera domo, sed longe lateque vagatur, & magnam secum ruinam trahit, ita hoc malum semel accensum per omnes partes urbis grassatur.* Leges quidem civiles de pretio seu mercede meretrici data aut promissa non dedignantur aliqua statuere l. Idem etsi ff. de condict. ob turpem causam l. Adfectionis ff. de donationib. ex quo quidam colligunt, legibus civilibus non auferri meretrices e Romana ditione, sed respondemus ex Hieronymo in epitaphio Fabiolæ, ubi de hac ipsa re agens sic scribit: *Non tam studiose citanda sunt jura civilia, alia scribit Papinianus, alia Paulus.* Divina legis sanctio manifesta est Deut. XXIII. 18. *Non adduces mercedem meretricis in domum Iehovae Dei tui, quia abominatio Iehovae est.*

§. CLXIV.

Quale ac quantum peccatum sit adulterium?

§. CLXIV. Quæritur III.) *Sitne adulterium pro enormi ac detestando scelere habendum?* Resp. Alexander III. cap. At si clerici, extra de judiciis, rescripsit Salertiano archiepiscopo *de adulteriis & aliis criminibus, quae sunt minora, posse episcopum cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare,* ex quo adparet, quod Romanus Pontifex habeat adulteria pro levioribus criminibus. Sed aliter pronunciandum est ex codice divini juris, quod non solum morte puniri jubet adulterum, Lev. XX. 10. Deut. XXII. 22. sed & regno Dei eum excludit, 1 Cor. VI. 13. Gal. V. 21. Adversatur hoc delictum tabulis fœderis conjugalis, quod coram Dei & ecclesiæ facie fuit initum, utique ergo adulter pro fœdifrago habendus est, unde etiam propter adulterium matrimonium solvi posse Christus pronunciat Matth. V. 32. Chrysostomus homil. LXII. in Joh. adfirmare ausus est, *adulterium gravius esse scelus idololatria*, quod quamvis simpliciter & absolute non videatur adfirmandum, magna tamen cognatio est inter idololatriam & adulterium, unde idololatræ spiritualis adulterii a Deo peraguntur rei. Per adulterium ipse fons & radix humani generis contaminatur, turbantur familiæ, thorus ipse, liberis magna fit injuria, violatur honestas publica, peccatur in proprium corpus, cœcitas mentis attrahitur, innumeris periculis incurritur, templum Spiritus sancti profanatur, ex membris Christi membra meretricis ac adulteræ efficiuntur. Fructus adulterii plerumque sunt homicidium ac veneficium. Inde sapientissimi legumlatores gravissimas adulteris pœnas statuerunt. Suetonius in vita Julii Cæsaris refert, quod libertum sibi gratissimum ob adulteratam equitis Romani uxorem, quamvis nullo accusante, capitali pœna adfecerit. Julius Capitolinus refert, Macrinum imperatorem adulterii reos vivos simul incendisse junctis corporibus. Aurelianus imperator, referente Vopisco, militem, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligatas subito dimitti jussit, ut discissus ille utrinque penderet. Constantinus M. legem tulit, qua violatores conjugii gladio plecti jubentur. Parthos nulla delicta, quam adulterium, gravius vindicasse, auctor est Justinus. At ubi nunc lex Julia dormis?

An pollutio nocturna sit peccatum?

§. CLXV. Quæritur IV.) *An pollutio nocturna sit peccatum?* Resp. De onanitico scelere coram castis auribus dicere pudore prohibemur; quæramus ergo de nocturno illo involuntario seminis profluvio, quod in somno quandoque contingit (*). Scripsit vero hac de re peculiarem tractatum Johan. Gersonius cancell. Parisiensis parte II. operum fol. 211. ubi formatas has propositiones. *Nulla pollutio inchoata & perfecta in somno est peccatum mortale, quia quod non est voluntarium, illud non est peccatum, at si quis vigilans impurum haberet desiderium se polluendi, quo vigente caderet in somnum, aut si pollutionem in somno cœptam expergiscens male consummaret, opus illud obscœnum imputaretur ad culpam. Item posset aliquis peccare postmodum complacendo sibi in tali voluptate probrosa, quam habuit, ac per crapulam posset aliquis in hanc sorditiem delabi, tunc culpam haberet vigilia, non somnus.* Addit Gersonius consid. 6. *Pollutio corporalis in somno contingere potest non solum absque peccato mortali praecedente, imo & ex merito, nimirum si fiat apud invitos ac renitentes, si eveniat ex arcta abstinentia in pane & aqua, si propter finem utilem de eo vigilans cogitavit, si fiat daemonis illusione &c.* Vide ibidem plura. Hisce disputationibus occasionem præbuerunt coacta

(*) Deut. XXIII. 10. *Si fuerit in te vir, qui non fuerit mundus ob accidens noctis, egredietur extra castra, & non ingredietur intra castra.* v. 11. *Et cum declinaverit vespera, lavabit se in aquis, & cum occubuerit sol, ingredietur intra castra.* De hac pollutione nocturna gravem querelam instituit *Augustinus* lib. X. confess. cap. 30. ac de iisdem lib. XII. de Genes. cap. 15. & lib. XI. de Trinit. cap. 4. fert sententiam. GERHARDUS.

coacta virginitas, auricularis confessio & impositæ satisfactiones. Lege ceremoniali seminifluus immundus habebatur, Lev. XV. 2. quamvis vero non possit ex legali contaminatione inferri, quod sit peccatum, cum & menstruatæ mulieres, & qui mortuum tangebant, ceremonialiter ac legaliter immundi fuerint habiti, tamen cum fluxus ille seminalis rarissime vel nunquam fiat absque delectatione, vel prægressa, vel comitante, vel subsequente, tutissimum est, coram Dei judicio peccatum hoc agnoscere & deplorare, atque uti remedio conjugii divinitus constituto. Serio enim improbandum; quod ex Thoma disputat Toletus Jes. lib. V. instruct. c. 13. *Si quis desideret habere pollutionem ob finem bonum aut ob sanitatem, aut ad levandas tentationes carnis, quibus interdum adstigitur, non est peccatum.*

Explicatio septimi præcepti.

§. CLXVI. Præceptum septimum. *Non furaberis.* 1.) Rabbini existimant de furto hominis sive plagiatu hoc præceptum agere; sed interpretatio in scriptis propheticis & apostolicis tradita ostendit, quodvis furtum in genere prohiberi. גנב proprie significat *clanculum* aliquid moliri ac subducere, ut conscientia illius, cujus interest, fallatur, sicut Gen. XXXI. 26. *Iacob dicitur furatus cor Laban, cum ipso inscio abiret.* 2.) Quamvis non solum furta, sed etiam, imo multo magis rapinas ac deprædationes hoc præcepto Deus prohibere voluerit, tamen disertam furti mentionem facit, ut sub prohibitione minoris, majus hoc ipso longe magis prohibitum esse intelligamus. Præterea rapinis ac prædis auctoritate magistratus ac renitentia obviam iri potest, sed furtum clam admissum diu quandoque conscientiam judicis & aliorum hominum fugit. 3.) Finis ac scopus præcepti est, externas facultates munire, ne fraudibus, malis artibus, ac rapinæ hominum sint expositæ. 4.) Ex negato igitur colligendum est adfirmatum, videlicet sanciri hoc præcepto omnes virtutes, quibus res proximi juvantur & conservantur, adprobari certam dominiorum distinctionem, justam rerum & facultatum acquisitionem, possessionem & legitimum usum.

Virtutes in septimo præcepto requisitæ.

§. CLXVII. Ex his fundamentis facile colliguntur *virtutes* hujus præcepti. 1.) Si non est furandum, utique ad acquirenda ea, quæ vitæ sustentandæ ac nostris alendis necessaria sunt, labores vocationis diligenter sunt perficiendi. Est igitur prima hujus præcepti virtus *sedulitas*, in faciendis laboribus vocationis, qua, reconciliati Deo per fidem in Christum, certi sumus vocationem & labores vocationis nostræ ipsi placere, ac prælucente hac fide opera vocationis nostræ sedulo perficimus, exitum Deo commendantes, benedictionem & successum ab ipso petentes, ac omnia nobis necessaria ex ipsius manibus humiliter exspectantes, Eph. IV. 28. *Qui furatus est, non amplius furetur, sed laboret manibus.* 2.) Si non est furandum, utique distinctiones rerum ac dominiorum non sunt turbandæ; altera igitur hujus præcepti virtus est *justitia commutativa*, quæ in contractibus servat æqualitatem rectæ rationi & honestis legibus congruentem. Contractuum variæ sunt species, ut emtio & venditio, permutatio, locatio, societas, ἐμφύτευσις &c. quorum omnium æquitatem, recta ratio & honestæ leges moderantur. Ad hanc virtutem pertinet redditio depositi, solutio debiti, redditio eorum, quæ furto vel rapina subtracta. 3.) Si non est furandum, utique oportet illis facultatibus, quas per honestos labores vocationis Deus nobis concedit, contentos esse, proinde tertia hujus præcepti virtus est αὐτάρκεια, qua sorte nostra contenti gratuitam Dei benedictionem agnoscimus, onus paupertatis moderate ferimus, & alienam felicitatem oculo irretorto adspicimus, 1 Tim. VI. 6. *Magnus est quæstus pietas cum animo sua sorte contento.* 4.) Si non est furandum, utique res propriæ custodiendæ sunt & utiliter collocandæ, vitandi sumtus non necessarii; ne paupertate sponte attracta ad fraudes & rapinas postea impellamur: quarta igitur hujus præcepti virtus est *parsimonia*, qua caventur largitiones non necessariæ, custodiuntur res propriæ, nec nisi necessitate vel honestate

fiate exigente sumtus fiunt. Ad hanc virtutem etiam pertinet *frugalitas*, debitam in victu moderationem observans. 5.) Si non est furandum, sed potius proximo egenti quippiam conferendum, ergo quinta hujus præcepti virtus est *beneficentia ac liberalitas*, quæ communicat facultates & operas debitas non obligatione civili, sed naturali & divina, ubi & quando decet. Ad hanc pertinet officium mutui, gratuita donatio, hospitalitas &c.

Peccata contra septimum præceptum.

§. CLXVIII. Antithesis ostendit *peccata*, quibus contra hoc præceptum delinquitur: 1.) ignavia, polypragmosyne, mendicitate non necessaria, artibus illicitis vel curiosis, fiducia nostræ industriæ ac diligentiæ. 2.) Injustitia, quæ est quævis injusta rerum translatio, sive fiat vi, sive fraude; illa dicitur rapina, hæc furtum. Furti species variæ sunt. Simplex furtum est ablatio rei alienæ insciо vel invito domino, qui est homo privatus. Ad hanc speciem furti pertinent omnes fraudes in contractibus, quibus in negotio proximus circumvenitur, sive id fiat mercibus vitiosis, sive inæquali pretio, sive pondere ac mensura injusta, sive moneta adulterina, sive fraude verborum aliisque impostoris. Apostolus vocat ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν 1. Thess. IV. 6. Peculatus est furtum admissum in re ad rempublicam spectante. Sacrilegium est ablatio rei sacræ. Stellionatus sunt injusti contractus. Usura est lucrum, quod accipitur solius mutuationis causa; ἀνδραποδισμὸς est hominis furtum. Peccatur etiam contra justitiam commutativam denegatione mercedis operariis debitæ, denegatione reddendi depositi, malitiosa dilatione, vel negatione persolvendi debiti, denegata alieni restitutione. 3.) Avaritia, πλεονεξία inordinato divitiarum amore, *quo cor eis adponitur*, Psalm LXII. 11. ficta recusatione eorum, quæ ex necessitate debentur, vel ex honestate offeruntur. 4.) Illiberalitate, ac sordibus. Item prodigalitate ac profusione, quæ est proxima ad avaritiam ac fraudes via. 5.) Inhumanitate, immisericordia, obduratione aurium ad clamorem pauperis, temeraria mutui denegatione. Nec illi solum contra hoc præceptum peccant, qui ipsimet furantur, sed etiam qui alterius furto communicat, sive id fiat consilio, sive mandato, sive consensu, sive occultatione, sive permissione. Servus negligens pejor dicitur manifesto fure, & infidelis operarius integrum laboris pretium mala fide exposcit.

An omne furtum prohibitum?

§. CLXIX. Quæritur hoc loco I.) *An omne furtum simpliciter prohibitum?* Resp. Musculus in locis utitur hac distinctione, quod eorum, quæ *divina lege prohibentur*, *quaedam ita comparata sint, ut nunquam absque culpa perpetrentur, utpote omnia illa, quae in prima decalogi tabula prohibentur, quaedam etiam in secunda, ut adulterari, dicere falsum testimonium adversus proximum &c. quaedam vero ita comparata esse, ut quandoque non solum sine delicto fieri possint, sed etiam nisi fiant, delictum committatur. Iubemur honorare parentes, interim si quid contra cœlestis Patris mandata praecipiant, honor ille cessat. Iubemur non occidere, interim magistratus facinorosos e medio tollendo non peccat, sed peccaret non tollendo. Ita quoque in hoc praecepto rem se habere*, 2. Reg. XI. 2. *cum Athalia mater Ahasiae omne semen regium perderet, Iosaba filia regis Ioram, soror Ahasiae, Ioas filium Ahasiae furata est e medio filiorum regis, qui interficiebantur, & occultavit illum. Hoc genus furti haudquaquam reprehendendum, quo referendum etiam Israëlitarum furtum, quo aurum, argentum & vestes Ægyptiorum jussu Dei secum absulerunt.* Exod. XII. 35. Sed enim si adcurate loqui velimus, hæc non fuerunt furta proprie dicta, cum occultatio illa futuri olim regis prudens defensio contra tyrannicam crudelitatem sit judicanda. Israëlitarum facto itidem non convenit proprie furti definitio, quia Ægyptii iniquissime oppresserant & exhausserant Israëlitas, æquissimum igitur erat fieri refusionem, accedente præsertim summi judicis, Dei scilicet, qui omnium bonorum proprietarius est, auctoritate. Si in foro civili non judicatur esse furtum, quando magistratus debitori solutionem justam dene-

ganti tot bona vi juste adimit, ut creditori satisfieri possit, quanto minus hæc æquissima Dei dispositio furti adcusanda. Adde, quod Ægyptii non inviti sua dabant Israëlitis, sed Deus ipsorum corda movebat ac inflectebat Exod. XII. 36. hinc quidam notant in descriptione hujus spolii non extare verbum גָּנַב, sed נָצַל, quorum illud *furari*, hoc *eripere* (*) significat. Exod. III.

§. CLXX. Quæritur II.) *An furtum sit natura prohibitum?* Resp. omnino 1.) quia lex moralis nihil aliud est, quam publica & solennis repetitio legis naturæ; jam vero lege morali prohibetur furtum. 2.) Leges civiles diserte hoc edidérunt. l. 1. §. 3. ff. de furt. *Furtum est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia vel ipsius rei vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est, admittere.* l. probr. 42. ff. de verb. sign. *Probra quaedam natura turpia sunt, quaedam civiliter & quasi more civitatis, ut puta furtum, adulterium natura turpe est.* l. nam hoc 14. ff. de condict. indeb. *Natura aequum est, neminem cum alterius damno locupletiorem fieri.* l. ex hoc jure 5. ff. de just. & jur. dicuntur *jure gentium dominia distincta.* Nec obstat, quod apud Lacedæmonios ingeniosa furta fuerint laudata, quodque Ægyptii multa commiserint furta absque ulla honestatis læsione, referente Alexandro ab Alex. lib. VI. genial. c. 10. quia barbaries illa quarundam gentium legem naturæ nequaquam tollit aut immutat, & solennis illa legis divinæ repetitio hoc fine instituta est, ut corruptelæ, quibus lex naturæ a gentibus depravata est, submoverentur. Quod Prov. VI. 30. dicitur: *Non est grandis culpa, si quis furetur*, id accipiendum est κατὰ λόγον συγκρίσεως dictum, comparatione enim adulterii, minus peccatum dicitur, cum in se ac per se sit longe maximum. Porisma hujus quæstionis est, nullo necessitatis prætextu furtum excusari, cujus contrarium docet Maldonatus Jesuit. in summ. quæst. VIII. art. 3. *Pauperes non faciunt furtum, cum pressi extrema necessitate rem alienam capiunt, quia res tum proprie non est aliena, sed communis vitae periclitantis, nec necessitas extrema est, quae jam fere non potest admittere remedium, ut cum pauper exhalat animam, sed cum vix alia ratione potest subveniri.*

An furtum sit natura prohibitum?

§. CLXXI. Quæritur III.) *An justum sit fures suspendio puniri?* Multis hoc nimis durum ac rigidum videtur, cum lex divina quadrupli vel quintupli pœnam statuat, Exod. XXII. 1. cum nulla sit comparatio inter bona & vitam hominis, cum exasperatio pœnarum non debeat egredi earum genus (**). Ex quibus patet, fures præsertim effractores, qui cum telo veniunt, capitali pœna adfici, non esse improbandum. Præterquam enim, quod Wesenbecius in parat. probat, capitalem pœnam omnibus fere populis placuisse, observandum est, quod in republica Mosaica propter frequentiam furtorum tandem ad pœnam septupli, vel etiam omnium

An justum sit fures suspendio puniri?

(*) Hinc nonnulli ita vertunt: & *eripuerunt*, sive *liberarunt* Ægyptum (nimirum, a plagis). Vid. *Ezech. XIV. 14.*

(**) Vid. Zepperus, Piscator, Anton. Matthæus JCtus, Keckermannus disp. XXXII. curs. philos. q. 2. Rationes severitatis illius Carolinæ in fures hæ sunt. 1.) *Magistratus christiani liberas.* Magistratus christianus non ita stricte alligatus est ad leges forenses, prout magistratus populi Israelitici, proinde sanctio eorum non est ad illas adeurate examinanda. Si enim libertatem suam in aliis pœnis servant, utpote contumaciam filiorum gladio non mulctare, hæreticos non interficere &c. utique etiam in exasperandis furum pœnis ipsis aliqua relinquitur libertas, cum de similibus sit similiter judicandum. 2.) *Utilitas*, quæ multiplex est: a.) fortunæ civium melius custodiuntur: b.) malum e medio citius tollitur: c.) alii ab hujusmodi facinore felicius deterrentur. 3.) *Æquitas.* Communis regula juris est: *Crescentibus delictis crescunt pœnæ.* Jam vero furta adeo creverunt in Romano imperio, ut nulli fere res suæ tuto maneant loco. 4.) *Necessitas.* Nullus legislator aut imperator, qui spectat salutem & felicitatem subditorum suorum, tam crudelis & severus sine crimine præsumi potest aut debet, quod supplicium mortis constituat, nisi necessitate compulsus fuerit. *Meisnerus* p. II. phil. p. 586. GERHARDUS.

omnium bonorum confiscationem descensum sit Prov. VI. 31. *Reddet septuplum, si deprehensus fuerit, & tradet omnem substantiam domus suae.* Quinimo Exod. XXII. 2. Deus ipse constituit, furem, in quo animus grassandi præsumitur, posse etiam extra judicium occidi. *Si in effossione inventus fuerit vir & percussus, mortuusque fuerit, non erit percussor morti obnoxius.* Furto hominis itidem adsignatur capitis supplicium, Exod. XXI. 16. *Qui furatus fuerit aliquem, vendiderit que illum, & inventus fuerit in manu ejus, morte moriatur.* Ex quo fundamento procul dubio petita Davidis decisio, 2. Sam. XII. 5. *Filius mortis est vir ille, qui pepercit accipere de ovibus & bobus suis, & tulit agnam viri pauperis:* fuit igitur in manu judicum positum, ut pœnas augerent vel minuerent pro circumstantiarum varietate. Quare cum publica magistratus auctoritate pœna illa furti hodie sit sancita, ut patet ex constitutione Caroli *in der peinlichen Halsgerichts-Ordnung* artic. 160. merito constitutis legibus, non de illis, sed secundum illas judicandum, maxime cum hac in parte non tam res, quæ violatur, quam delicti qualitas & magistratus prohibentis auctoritas sit respicienda. l. capitalium 28. §. Grassatores, ff. de pœnis. *Grassatores, qui praedae caussa id faciunt, proximi latronibus habentur, & si cum ferro adgredi & spoliare instituerunt, capite puniuntur, utique si saepius atque in itineribus hoc admiserunt, ceteri in metallum dantur, vel in insulas relegantur.* Interim tamen in furtis levioribus, iisdemque nondum repetitis, præsertim extremæ necessitatis impulsu perpetratis ἐπιείκειαν adhibere, christiani magistratus esse dicimus. De eleemosyna, de rerum communione, de usuris suus erit postea dicendi locus.

Explicatio octavi præcepti.

§. CLXXII. Præceptum octavum. *Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.* Postquam præcedente septimo præcepto facultates proximi munitæ sunt, consequenter famæ ipsius hoc octavo providetur, ne mendaciis vel calumniis ea dehonestetur 1.) עָנָה *respondere* significat, nominatim igitur de ea testimonii specie agitur, quod in judiciis de causa aliqua interrogati proferimus. עֵד, usurpatur tum de *persona*, quæ testificatur, tum de *re*, hoc est, testimonio, quod testis profert. Est autem ea testimonii natura, ut de veritate ac re certa, quam quis cognovit, vidit & audivit, testetur, cui alios fidem habere oportet, qui non cognoverunt nec viderunt. 2.) Non prohibemur simpliciter testimonium dicere, quia usu testificandi humana societas carere nequit, sed falsum testimonium proferre mandato Dei prohibemur. 3.) Nec prohibemur dicere testimonium contra proximum, siquidem amore Dei ac studio veritatis & justitiæ quandoque contra proximum in judiciis testimonium dicere cogimur, sed falsum contra eum proferre testimonium prohibemur. 4.) Quia falsum in foro proferri testimonium hoc præcepto prohibetur, utique ordinem judiciorum & actiones forenses eodem muniri manifeste intelligitur. 5.) *Synecdochice* sub una falsi testimonii forensis specie (quod reliquis pestilentius) continetur in genere detestatio omnis mendacii. Lev. XIX. 11. *Non furabimini, nec mentiemini, nec fallaciter agetis quisque cum proximo suo*, Matth. XIX. 18. Marc. X. 19. Rom. XIII. 9. ἃ ψευδομαρτυρήσεις. 6.) Scopus igitur ac finis hujus præcepti est conservatio veritatis in humana societate.

Virtutes in octavo præcepto requisitæ.

§ CLXXIII. Ex his fundamentis facile intelligitur, quod veritas seu veracitas sit *primaria* ac principalis virtus hujus præcepti, quæ lucere debet 1.) in corde, ut serio amore ac studio veritatis ducamur, 2.) in lingua, ut veritatem libere, intrepide ac constanter profiteamur, 3.) in gestibus, ut insidiosas simulationes & occultationes caveamus, 4.) in opere, ut pacta & promissa inviolata servemus. Cæterum cum veritatis usus in communi vita latissime pateat, ideo ratione objectorum talis potest constitui catalogus virtutum hujus præcepti. Veritas sermonis propria servari debet: a.) in judiciis & quidem ab omnibus illis

personis, quæ in foro versantur, vel ad judicia requiruntur. Judex justam de re cognita & utraque parte audita debet proferre sententiam. Actor justam intendat accusationem. Reus, delicti sibi conscius, illud nec neget nec palliet. Testes nec incomperta nec falsa proferant, nec veritatem malitiose occultent. Advocati nec malas causas defendendas suscipiant, nec bonas malitiose eludant. b.) In consiliis, ut veritas, gloria Dei & salus proximi in eis spectetur. c.) In fœderibus & contractibus, ut ἄνευ δόλου καὶ ἀπάτης juxta veterum formulam in eis agatur. d.) In doctrinis & artibus humanæ vitæ utilibus ac necessariis. e.) In tota civili societate, ut vera de proximo dicantur, innocentia ejus defendatur, ambigua in meliorem partem interpretatione moderata convertantur.

Peccata contra octavum præceptum.

§. CLXXIV. Pugnat igitur cum hoc præcepto, 1.) amare mendacium, delectari falsis testimoniis: 2) dicere mendacium vel in judiciis, quando judex profert falsam sententiam, quando parte utraque nondum sufficienter audita judicium fertur, quando ex δωροφαγία, προσωπολημψία, metu periculi, captatione gratiæ, judicium pervertitur, quando legitimus judiciorum ordo ac processus turbatur: quando actor falsam accusationem reo intendit, quando levi de causa forenses actiones instituit: quando reus delictum negat, vel contra conscientiam causam suam palliat: quando testes veritatem negant vel depravant, vel occultant, quando de re non satis comperta testificantur: quando advocati malæ causæ patrocinium suscipiunt, lites proprii commodi causa alunt, causas bonas malitiose eludunt; vel in consiliis, quando prava consilia dantur; vel in fœderibus & pactis, quando fraudulentis & ambiguis verbis concipiuntur; vel in doctrinis & artibus, quando malitiose depravantur: vel in civili societate, quando proximi famæ per convitia vel calumnias detrahitur, quando adulationibus verum judicium pervertitur, quando ex ambitione vel vanitate etiam verum crimen proximi propalatur, quando ambigue dicta vel facta sinistris interpretationibus pervertuntur. 3.) Insidiosis occultationibus ac simulationibus in vita ac moribus uti. 4.) Fœdera ac pacta violare &c. Referenda etiam ad hunc locum peccata omissionis, atque ea, quibus alienorum peccatorum participes reddimur, quæ ex commemoratis speciebus facile intelliguntur.

§. CLXXV. *Secundariae* ac minus principales hujus præcepti virtutes sunt, quæ linguam hominis moderantur, utpote 1.) *taciturnitas*, quæ arcana probe tenere novit, & non necessaria vel non utilia dictu reticet, cui repugnant garrulitas, futilitas, proditio ac nimium silentium. 2.) *Comitas & affabilitas*, quæ libenter & cum significatione benevolentiæ audit, respondet ac loquitur, ubi opus est sermone gratiæ sale condito, cui repugnant morositas cum fastidio alios audiens & duriter respondens, & simulata comitas. 3.) *Urbanitas*, quæ est veritatis condimentum, figurate ac jocose dictis ad alios monendos, delectandos, vel taxandos, servata personarum, loci ac temporis ratione utens, cui repugnant scurrilitas, jocos obscœnos & contumeliosos spargens, mordacibus dictis alios reprehendens & insultans, quæ est intempestiva urbanitatis adfectatio. 4.) Referunt etiam huc *candorem, simplicitatem, constantiam, modestiam, gravitatem, eloquentiam, docilitatem, appetitionem veræ gloriæ &c.* Sed hæc omnia nihil aliud sunt, quam surculi & propagines veritatis seu veracitatis.

§. CLXXVI. Virtutes & vitia hujus præcepti itidem dictis & exemplis scripturæ sunt illustranda, addendæ promissiones & comminationes, exempla præmiorum & pœnarum &c. sed instituti nostri ratio hanc operam hoc loco a nobis sumi non permittit. Quæramus igitur I.) *An omne omnino mendacium sit peccatum contra octavum praeceptum?* Resp. Finis ratione distinguitur mendacium in *perniciosum, officiosum & jocosum.* Augustinus in enchirid. ad Laur. cap. 22. Lombardus III. sentent. distinct. 38. c. Ne quis 22. q. 2. *Pernicioſi* finis est lædere, *officioſi* prodesse, *jocoſi* delectare. Mendacium perniciosum hoc præcepto

An omne mendacium sit peccatum?

pto prohibitum esse, nemo dubitat. Sed de officioso & jocoso multi dubitant, an in peccatorum censum referenda sint, qua de re Augustinus in L. de mendacio ad Consentium (*), & epist. I. ad Hieron.

(*) Disputat in hocce libro AUGUSTINUS contra *Priscillianistas*, a PRISCILLIANO, seculi IV. hæretico, ita dictos, qui mendacia & perjuria tempore persecutionis adprobasse dicuntur. Eousque autem progreditur AUGUSTINUS, ut omnem fictionem, ac veritatis dissimulationem tanquam peccaminosam prorsus rejiciat. Eandem sententiam, præter GERHARDUM nostrum, ex recentioribus scriptoribus defendendam susceperunt ZACH. URSINUS, in *catechisino Heidelbergensi*, ejusdemque *explicationib.* JO. LA PLACETTE *dans les divers traités sur des matières de conscience, tract. I. cap. III. p. 12. seqq.* BENEDICT. PICTETUS, theologus quondam Genevensis, *dans la morale chretienne, tom. V. libr. II. cap. XIII.* JO. HOORNBEKIUS, theologus Ultrajectinus, in *theologia practica, part. I. libr. III. cap. I.* JAC. BERNARDUS, in *dissertat. de mendacio* gallice scripta, ejusdemque tractatui *de l' excellence de la religion* adnexa; PHIL. NAUDÆUS, in peculiari epistola *classi I. biblioth. Bremens. p. 518.* inserta, aliique, cumprimis ex reformatæ ecclesiæ doctoribus. Verum, cum præsens vitæ humanæ conditio non ferat, ut omnis simulatio & fictio prorsus abesse queat, alii satius esse arbitrati sunt, hanc, si quidem innoxia sit, admittere, quam doctrinam a vita alienam profiteri. Legenda, quæ hanc in rem scripserunt H. GROTIUS, *libr. III. de jure belli ac pac. cap. I. §. 12. seqq.* (refutatus eapropter a NICOL. AERAHAMO, professore Pontomussano, libro *de veritate & mendacio*, Parisiis edito) SAM. PUFENDORFIUS, *libr. IV. de jure nat. & gent. cap. I. §. 9. seqq. pag. 436. seqq.* & *de officio hominis & civis libr. I. cap. X. §. 8. seqq.* JO. BARBEYRACIUS, in *adnot. ad Pufendorf.* SAM. HUBERUS, *libr. II. de jure civitatis, sect. VI. cap. II. §. 2. seqq. p. 516. seqq.* (ubi & ZIEGLERUM, qui in *notis ad Grot.* Augustini propugnavit sententiam, refellit) CHRISTIAN. THOMASIUS, in *jurisprud. divin. libr. II. cap. VIII. §. 59. seqq.* & CHRISTIANUS WOLFIUS, *in den vernünftigen Gedancken von der Menschen Thun und Lassen §. 985. 986.* alibique passim; quibus ex theologorum ordine ANDR. ADAMUS HOCHSTETTERUS, in *collegio Pufendorf. exerc. VII. §. XIV. p. 286. seqq.* JO. FRANC. BUDDEUS, in *institut. theol. moralis, part. II. cap. III. sect. F. §. 33. p. m. 631. seqq.* JO. LAURENTIUS MOSHEMIUS, in *dissertat. theolog. de officio hominis christiani circa veritatem in loquendo*, Helmstad. *MDCCXXXV.* edita, aliique jungi merentur.

Hi, ut majorem argumento huic adfunderent lucem, rejecta veterum inter mendacia *jocosa*, *officiosa* & *perniciosa* distinctione, quam supra commemoravit GERHARDUS, aliam inter *mendacium* & *falsiloquium* constituerunt, atque ope hujus distinctionis opinionem eorum, qui non omnes fictiones illicitas esse pronunciant, commodius defendi posse credidere-runt. Statuerunt nimirum, in iis tantum casibus licitum esse, ficto sermone uti, ubi alterius jus haud lædatur, nec lex obligationem nobis imponat, sensa animi nostri aliis patefaciendi. Secus sese rem habere, si alter cogitata mentis nostræ ex nobis intelligendi jus aliquod habeat. *Prius* adpellarunt *falsiloquium*, quod subinde vitio carere queat; *posterius* vero *mendacium*, quod semper vitium involvat, inque scripturis sanctioribus disertis verbis damnetur, *Levit. XIX. 11. Proverb. VI. 16, 19. XIII. 5. Ephes. IV. 25. Coloss. III. 9.* Rem omnem paucis verbis expedit FRIDEMANNUS BECHMANNUS, theologus quondam Jenensis, in *adnotationib. ad institut. catecheticas* CONR. DIETERICI, *p. 85. Notandum*, inquit, *quod aliud sit mentiri, aliud veritatem quandoque occultare; illud culpa non caret, sed peccatum est; hoc vero non semper est peccaminosum. Accidit enim interdum, ut quis non teneatur ex mente aliorius respondere, ubi cum veritatem occultat, non peccat.* Præcipuum, cui hæc sententia innititur, argumentum desumi solet ex *fine* sermonis eoque ultimo, qui est nostra aliorumque salus, ac cumprimis gloria supremi numinis. Quoties itaque nostra aliorumque utilitas id exigit, neque tertii jus læditur, neque gloria Dei detrimentum inde patitur, toties veritatem occultare, fictoque uti licet sermone. Absurdum enim foret, *medium*, sermonem nimirum, qui utilissimum & plane necessarium societatis humanæ vinculum est, eo modo adhibere, quo *fine* suo esset cariturum. Huic argumento aliud adjungunt doctrinæ moralis doctores, quod ab *exemplis sanctorum* est desumtum. Hi quippe nonnullis in casibus a veritate sibi potius recedendum esse censuerunt, quam imprudenti veritatis manifestatione, vel se, vel alios summo exponere periculo. Huc referri solet factum meretricis *Rahabæ*, *Jos. II. 3.* commemoratum, atque laudatum

Hieron. ex professo tractat. Quamvis vero jocosum mendacium non multum nocumenti adferat, officiosum insuper etiam prodesse videatur, quo nomine (cum caritati tantopere non adversentur, quam pernicioſum) longe minora peccata censenda sunt; interim tamen in classem adiaphororum vel etiam virtutum neutiquam sunt referenda, siquidem abusus signorum non solum in pernicioso, sed etiam officioso ac joco so mendacio concurrit. Voces sunt animi ac rerum symbola, abutuntur igitur vocibus, qui per eas aliud significant, quam rem se habere animo

datum *Ekr. VI. 31.* itemque illustre *Samuelis* exemplum, quod legitur *1 Sam. XVI. 2.* cui addi meretur factum *Eliæi 2 Reg. VI. 14-20.* quod ipsemet Deus haud improbavit. Ut complura alia sacræ scripturæ testimonia, huc spectantia, brevitatis studio taceamus.

Id unicum adjicimus, de mendaciorum natura nostra quoque ætate in ecclesia Romana acriter fuisse disputatum, occasionem huic controversiæ præbente CAROLO AMBROSIO CATTANEO, societatis Iesu sacerdote, gente Italo, qui librum titulo *lectionum sacrarum* insignitum edidit, quem vero, post obitum auctoris, confutare adgressus est JOSEPH. AUGUSTINUS ORSIUS, monachus S. Dominici familiæ adscriptus, qui rigidiora heic adoptavit principia. Historia hujus controversiæ edisseritur *dans la bibliotheque Italique, tom. VIII. IX. X. XI. XII.* & *XIV.* Nec tantum in Romana, sed & Reformata ecclesia, speciatim Belgica, de hocce argumento recentiori hocce ævo fuit disputatum. Excitavit hancce controversiam JACOBUS SAURINUS, ecclesiæ Wallonicæ Hagiensis quondam pastor, edita dissertatione gallica *sur le mensonge*, inserta ejusdem operi biblico, quod inscribitur: *discours historiques, critiques, theologiques & moraux sur les evenemens les plus memorables du vieux & du nouveau testament.* Equidem ea in tractando hocce argumento moderatione usus est vir iste doctissimus, ut adlatis ab ambabus partibus argumentis arbitri officium lectori reliquerit, ingenueque fassus sit, clara ac distincta satis sacrarum litterarum testimonia hac de re adferri haud posse, atque hanc ipsam ob rationem æquum omnino esse, ut se se invicem tolerent dissentientes. Atque hanc ipsam dissertationem, facto meretricis *Rahab*, exploratores Israëlitarum fraude atque dolo manibus regis Hierichontini eripientis, subjungere primum constituerat auctor, ejusdemque in hoc nexu spectatæ adprobationem, antequam ederetur, a cœtibus Wallonicis, Arnheimensibus & Bredensibus impetravit. Verum, cum is postea, mutata mente, alium huic dissertationi locum in opere suo biblico adsignaret, eandemque ad factum Samuelis adplicaret, qui, jussu divino, Bethlehemitis præcipuum adventus sui finem occultavit, *1 Sam. XVI. 2.* ægre id tulit ARMANDUS DE LA CHAPELLE, qui sacrorum munere in ecclesia Wallonica Hagiensi tum temporis fungebatur, librumque SAURINI acriter perstrinxit *dans la bibliotheque raisonée, tom. II. part. I. art. VII.* ubi inter alia ita scribit: *S'il n'y avoit, que les hommes, qui prissent interêt à cette affaire, je verrois sans peine & sans surprise, que l'auteur ne decidât point une question, qui d'elle même est certainement des plus epineuses. Mais, apres avoir mis Dieu de la partie, il m'est douloureux, je l'avoue, de ne savoir pas, si le Dieu, que j'adore, est innocent où coupable, & je voudrois bien, que Mr Saurin eut prononcé definitivement sa sentence.* Licet vero scriptor quidam anonymus caussam Saurini defendendam in se susciperet *dans les lettres serieuses & badines sur les ouvrages des savans &c. tom. II. part. I.* tantum tamen aberat, ut CHAPPELLIUS pristinum rigorem tantisper mitigaret, ut potius calamo acerbiore contra SAURINUM uteretur, ejusdemque dissertationem scriptum maxime profanum adpellaret, in quo quippe ipsemet Deus criminis mendacii adcusaretur. Re tandem ad synodum Hagiensem delata, hæc unanimi decreto revocationem dissertationis *de mendacio* imperavit SAURINO, qui postea edita declaratione publice testabatur, se in opusculo hocce historici duntaxat partes egisse, nec de hocce argumento quidquam definivisse. In qua quidem declaratione synodus tandem adquievit, insimulque tamen JO. LUDOV. BONVOUSIO, verbi divini apud Ultrajectinos præconi, munus demandavit, in peculiari libro controversiæ hujus theologicæ rationes caussasque exponendi, atque receptam in ecclesiis Reformatis sententiam propugnandi; quod & exsecutus est edito libro, cui index: *le triomphe de la verité & de la paix, ou reflexions sur ce, qui s'est passé de plus important dans le dernier synode au sujet des Messieurs Saurin & Maty.* Prodiit hocce scriptum Trajecti ad Rhenum *MDCCXXXI.* 8. Uberius historiam hujus litis ex nostris enarravit MOSHEMIUS, supra jam laudatus, in *dissertat.* jam *adlegata cap. I. §. XIX. p. 27. seqq.*

animo conceperunt. Augustinus epist. II. ad Hieron. *Ad sanctas scripturas si admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis?* Et iterum: *Quae tandem de scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosae falsitatis conteratur improbitas? statim enim ut protuleris, si aliter sapit, quia contra nititur, dicit illud, quod prolatum erit, honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum.* Idem de mendac. cap. 14. *Quisquis, esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum.* Item. *Nullo pacto, nullo fine, nulla dispensatione humana vel divina, potest licite mendacium dici.* Hieronymus mitior est, sic enim scribit in comm. Gal. II. *Utilem simulationem & in tempore adsumendam, Iehu regis Israel nos doceat exemplum, qui non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi se finxisset idolum colere velle* 2 Reg. X. Thomas 2. 2. q. 110. artic. 3. *Mendacium est malum ex suo genere, est enim actus cadens super indebitam materiam, cum enim voces sint signa naturaliter intellectum, innaturale est & indebitum, quod aliquis voce significat, id quod non habet in mente.* Juvandus quidem proximus, sed licitis ac legitimis mediis, nec bona intentio actiones sua natura vitiosas reddit bonas. Apostolicum praeceptum est: *Mala non esse facienda, ut eveniant bona.* Rom. III. 8. Si propter commodum proximi liceret mentiri, utique pro Dei gloria idem multo magis liceret. Concesserim equidem illud mendacium, cui voluntas seu intentio fallendi non est conjuncta, non esse peccatum mortale, interim tamen jocosa ac officiosa mendacia plane non esse peccata, ex eo minime sequitur. Praeterquam enim, quod abusus signorum etiam in his mendaciis concurrit, hoc insuper vitium habent, ut qui talibus mendaciorum generibus utitur, auctoritatem sibi abroget, ut postea non possit cum fructu admonere, arguere, aut consilium dare, audientes enim existimabunt ipsum officiose mentiri, ut ipsos in viam revocet, non quasi revera res se ita habeat. Gesnerus in cap. XXVII. Gen. *Non est plena definitio mendacii, qua dicitur falsa esse significatio vocis cum intentione fallendi.* Augustinus in enchir. cap. 6. & de mend. cap. 22. *Sed hoc insuper addi oportet, quod mendacium e privata cupiditate carnis aeque proprie mendaciorum non ex instinctu Spiritus S. promanet, quodque directum sit vel in contumeliam Dei, vel in detrimentum proximi, quem laedere & circumvenire iniquum sit, vel alioquin ex ingenii vanitate proficiscatur.* De *exemplis sanctorum*, qui officiose vel jocose mentiti sunt, observandum, quod nec temere damnanda, nec temere imitanda sint. De obstetricibus Ægyptiacis respondet Augustinus, *non mendacium ipsarum, sed fidem & timorem Dei ac misericordiam erga Israeliticos infantes Domino placuisse.* Reliqui vel ex humano spiritu vel adflatu divino ea, quae cum re non consentiunt, protulerunt; si prius, humani aliquid passi sunt: si posterius, eorum dicta & facta mirabimur, non autem imitabimur. Sic Biel III. sent. distinct. 38. quaest. 11. primo in genere respondet, *non esse necessarium, ut ab omni mendacio officioso & jocoso sanctos excusemus, aut ab omni peccato, cum non fuerint perfectiores apostolis, qui peccarunt venialiter etiam accepto Spiritu sancto.* Item: *Potuisse illos dicere talia familiari consilio Spiritus sancti, per quod lex revocetur:* Postea in specie ad singula exempla respondet. *Abraham dicit, se reversurum, nimirum, quia credidit filium post immolationem morte suscitandum, ergo non protulit aliquid contra id, quod in mente habuit. Isaac uxorem vocat sororem, more illius gentis, quo omnes cognatae dicebantur sorores. Iacob vocat se Esavum, quia revera erat Esavus, non quidem in persona; tamen in officio & dignitate: quaerebat autem Isaac de eo, cui debebatur benedictio. Ioseph vocat se augurem exprimendo opinionem populi, qui eum talem esse existimabant, vel, secundum Alensem, verbum augurandi sumitur communiter pro scientia futurorum. Rachab exploratores abiisse dicens non propter mendacium, sed propter pietatem commendatur. Iehu mendacium fuit perniciosum, quia mortis procurativum. Iudithae non mendacia, sed adfectio ad populi libe-*

rationem commendatur. Hactenus Biel. Sed enim cum nec officioso nec jocoso mendacio conditiones mendacii proprie dicti conveniant, ideo in illis condemnandis haudquaquam præcipites nos esse convenit.

An omnis simulatio prohibita?

§. CLXXVII. Quæritur II.) *An omnis simulatio sit prohibita?* Resp. Distinguunt inter simulationem. *Unam* esse dicunt, quæ deceptionem tantum spectet, hanc esse peccati arguendam, nemo dubitat. *Alteram*, quæ non eo tendit, ut aliquis fallatur, sed consilia tantum occultat, ne impediantur, quo referunt exemplum Christi simulantis, se longius iturum, Luc. XXIV. 28. (*) Bonaventura dicit: *Est quaedam simulatio cautelae, quaedam doctrinae, quaedam deceptionis. Prima fuit Josuae & Davidis, secunda Christi, qua docuit discipulos officium hospitalitatis, tertia est hypocrisis.* Sed enim quamvis non semper exigatur, ut id, quod novimus, in aperrum proferamus; Eccl. XIX. 8. *Nec apud amicum, nec apud inimicum mores alienos enuncies, & si non redundat in te peccatum, ne detegas:* tamen probe cavendum, ne simulatione utamur, quando confessio veritatis exigitur, nec calliditas prudentiæ specie nobis imponat. (**) De exemplo Christi quidam statuunt, significatum eo fuisse, quam procul a cordibus istorum discipulorum adhuc abesset, uti & abitum suum ad cœlos eo fuisse adumbratum, ac proinde in illa simulatione non inveniri mendacium, cum rei significatæ factum probe adæquetur. Augustinus lib. II. qq. evang. quæst. 51. *Quod scriptum est de Domino*, finxit se longius ire, *non ad mendacium pertinet, non enim omne, quod fin-*

(*) Huncce locum *Priscillianistæ* olim ad defendendum *mendacium* adlegarunt, prout notat AUGUSTINUS *libr. contra mendac. ad Consent. cap. XIII.* urserunt, Christum *finxisse, se longius ire*, hanc autem *fictionem* esse *falsam significationem* per *factum*, sicut *mendacium* per *verbum*. [Sunt quoque ex Jesuitarum sodalitate nonnulli, qui exinde inferunt, *licite posse quempiam æquivoco sermone* uti, cum ipsemet servator heic simulatione usus sit.

Ast dudum responderunt theologi, in hocce exemplo nullam deprehendi speciem vel *mendacii* vel *æquivocationis*, siquidem simulatio non fuerit in *verbis* veritati contradicentibus, sed in *gestibus* veritati consentientibus. Christus enim e mortuis redivivus præ se ferebat gestus *viatori*, pro quo habebatur, convenientes, *agebar*que, ut qui iturus esset longius, & revera iturus fuerat, nisi rogatus fuisset a discipulis, alia fortassis ratione se iis manifestaturus. Lectu digna sunt, quæ ad hunc locum adnotavit GROTIUS. Alii dicunt, simulationem hanc fuisse tentatoriam, æque ac illam, quæ in Abrahami historia a scriptore sacro commemoratur *Genes. XXII.* 2. Vid. GLASSIUM in *philol. sacr. p. 1520.* In eandem sententiam descendunt BEAUSOBRE & L'ENFANT, qui in notis gallicis ad *Luc. XXIV.* 28. ita scribunt: *C'est un feinte innocente & pleine d'amour, par la quelle Jesus-Christ veut éprouver la foi de ses disciples. Ainsi en usent les Medicins à l'egard des malades, & les Peres à l'égard de leurs enfans. Ces sortes de feintes ne sont jamais mises au rang des mensonges.*

(**) Hunnius in qq. super cap. 18. Gen. *Deus hypothetice dicit*: Si vixero, veniam ad te, *ut inserviat suo instituto, nondum enim volebat agnosci, se esse Jehovam. Neque haec est simulatio, sed dissimulatio, quae cum Dei natura non pugnat.* 1.) *Quis enim merito accusaverit eum, si maxime Abrahamo se tum non aperuisset plane, quisnam esset, cum non ex debito teneatur se aperire Abrahae?* 2.) *Ad haec quia sub initium adparitionis illius sine ullo suo periculo Abrahamus ignorare potuit, eum esse Dominum, qui adparebat, idcirco Deus agnitionem sui in eum differt temporis articulum, quem suo instituto judicabat maxime accommodum, nam quia perissimum hac vice propter Saram adparuerat, ideo exspectabat, donec illa cordis sui diffidentium proderet, ut tum redarguendi, tum in fide confirmandi eam occasionem haberet commodorem. Angeli simulant se in platea pernoctaturos, ut inservirent instituto, & excitarent in Lotho adfectum retinendi ipsos, sicut & Salvator fecit;* Luc. XXIV. *quae non est species ullius mendacii, cum haec a Christo & Angelis fiant, non ad fallendum quenquam, neque ad nocendum cuiquam, neque ex dolo malo, sed hoc dumtaxat fine & consilio, ut augeant in illis, a quibus discessuri videntur, sui detinendi studium ac desiderium.* Idem in cap. XIX. Gen. Atque haec ex Hunnio adnotavit GERHARDUS.

fingimus, mendacium est, sed quando id fingimus, quod nihil significat, tunc est mendacium, cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis, alioquin omnia, quae a sapientibus & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figurate sunt dicta, mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intellectum non subsisiit veritas in talibus dictis &c. Sicut autem dicta, ita etiam facta finguntur sine mendacio ad aliquam rem significandam. Syrus reddidit, *faciebat eos putare, quod quasi ad locum longinquum proficisceretur.* (*)

An liceat in judicio vel confessione aequivocationibus uti?

§. CLXXVIII. Quæritur. III.) *An liceat in judicio vel in casu confessionis aequivocationibus uti, ac veritatem occultare?* Resp. Jesuitæ id sibi licere putant(**). Sic enim Toletus libr. IV. instruct. sacerd. cap. 21. *Aliquando licet uti aequivocatione, & decipere audientem, non semper, sed quando judex contra justitiam petit juramentum, licet uti aequivocatione & jurare secundum suam mentem contra mentem judicis, ut puta, quaerenti judici, feciſtine illud? Respondeat, non feci, intelligendo inter se, ut dicam tibi, vel hoc tempore, vel quid simile. Et si vir uxorem quaerat, an sit adultera? ista potest dicere, non sum, quamvis verum fuerit, intelligendo, ut tibi revelem. Sic, qui cogitur jurare alteram in sponsam accepturum, intelligendo, si postea placuerit. Et a latronibus comprehensus juraverit, se postea daturum centum aureos, ut liberetur, & aequivoce jurans, inter se dicens, si postea libuerit, tunc non tenetur solvere. Sic a custode injuriose detentus, ut dimittatur, jurans se redituram postea, potest uti aequivocatione, & non tenetur redire.* Campianus in epist. ad Generalem societatis ex Anglia scripta & Treviris anno 1583. typis evulgata pag. 86. *Catholicorum conditio in Anglia gravissima; animis nihil liberum, nihil integrum relinquitur, non vox, non religio, loquendum tibi est cum aliis, adfirmandum juramento, quod ceteri adfirmarunt, etiamsi conscientia plane contrarium senseris.* (nimirum juxta doctrinam Basilidis hæretici, qui, uti refert Eusebius lib. IV. histor. eccles. cap. 7. ex Agrippa Castore docere non erubuit, fidem persecutionis temporibus incunctanter etiam perjurio negandam.)(***)

(**) Gesnerus in cap. 27. Gen. quæst. 1. *Quando de fictione & simulatione agitur, semper confessio & religio excipienda est, de qua verissime sentit* Augustinus libr. de mend. cap. 14. *capitale est mendacium longeque fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci. Sed extra tempus confessionis in rebus ad hanc vitam pertinentibus saepe negotia ita comparata sunt, ut id, quod fieri æquum est, absque aliqua fictione, occultatione & solertia consequi nequeamus. Rebecca absque odioso jurgio cum marito & totius familiæ perturbatione benedictionem Jacobo citra hanc astutiam impetrare nequivisset. Infantium in Ægypto vitam obstetrices citra tale honestum commentum tueri, Gabaonitæ absque astutia Israelitarum amicitiam comparare, Nathan Davidem absque commento ad agnitionem delicti adducere, Chusai Achitophelis scelerata consilia explorare, femina Davidis nuncios abscondere, Rahab exploratores dimittere & denique Josua, David & reliqui principes absque stratagematum adminiculo res magnas gerere non potuissent.* GERHARDUS.

(**) De æquivocationibus & reservationibus, ut loquuntur, mentalibus, quas societatis Jesu sacerdotes eo usque extendunt, ut easdem promiscue, etiam in judicio, & ubi interrogans jus quæsitum veritatem explorandi habet, locum invenire, contendant, legi merentur LUDOV. MONTALTIUS, seu, qui sub hoc nomine latitat BLASIUS PASCALIUS, in *litteris provincialibus de morali & politica Jesuitarum disciplina, epist. IX. p. m. 341. seqq.* PERRAULTUS, in libro, cui titulus: *la morale des Jesuites, extraite fidellement de leurs livres, tom. I. p. 135. seqq.* aliique ex ipsis pontificiis, maxime recentioribus, qui doctrinam moralem Jesuitarum scriptis impugnarunt, eandemque summæ impietatis damnarunt. Add. ex theologis protestantibus BALTHAS. MEISNERUM, in differt. *de papisticis æquivocationibus*, Wittemb. *MDCXXIII.* THEOD. THUMMIUS, in tractatu *de juramentis & Jesuitarum æquivocationibus*, Tubing. *MDCXXV. 4.* ANDR. RIVETUM, in *explicat. decalogi, oper. tom. I. p. 1280.* & JO. LA PLACETTE, *dans les divers traités des matières de conscience, tract. I. cap. VIII. seqq.* Ut alios haud memoremus.

(***) Quod BASILIDES docuerit, ETIAM PER-

Gregorius de Valentia tom. III. pag. 1346. æquivocationem vocat *prudentem defensionem.* Thomas Mortonus Anglus in apol. cathol. libr. II. cap. 13. adlegat verba sacerdotum Wisbycensium in epistola, quam ad catholicum generosum inscripserint, in qua sic loquuntur: *Ars est nostrorum Jesuitarum, ut in juramentis suis magistratus illudant: cum a magistratibus quaeritur: es ne sacerdos? tum sacerdoti* (dicunt) *licebit respondere: non sum talis (sed addita hac intentione, intus in animo concepta, non ore prolata) qualem me esse cupitis, aut ut narrem tibi, aut aliquid simile.* Sed hæ sunt doctrinæ fraudum ac perjuriorum; quando in judiciis tanquam testes examinamur, vel confessio religionis exigitur, tenemur absque ullis æquivocationum involucris nudam ac simplicem veritatem profiteri. De juramentis præclara exstat Isidori sententia c. Qui pejerare. causa XXII. q. 5. *Quacunque arte verborum quis juret, Deus sic accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.* Ibidem. *Deus duplicitatis aspernator simplicem intentionem utriusque considerat, & tam ex parte recipientis, quam ex parte praestantis verborum artem adspernatur & odit.*

Explicatio noni & decimi praecepti.

§. CLXXIX. Præceptum nonum: *Non concupisces domum proximi tui.* Præceptum decimum. *Non concupisces uxorem proximi tui, nec servum ejus, nec ancillam ejus, nec bovem ejus, nec asinum ejus, nec omnia, quae illius sunt.* 1.) Ostendimus superius th. 45. geminum concupiscentiæ genus his præceptis prohiberi, *actualem* scilicet ac *originalem;* id quod ex verbis horum præceptorum & collatione aliorum scripturæ locorum ibidem evicimus. 2.) Acculantur igitur his præceptis non tantum vitiosi adfectus, ad quos plenus ac deliberatus accedit consensus; sed & prava inclinatio, primi illi vitiosæ concupiscentiæ motus, imo etiam ipsa habitualis concupiscentia, per quam peccatum originale ab apostolo definitur. 3.) Obstruitur igitur fons peccatorum in hisce ultimis præceptis, siquidem *ex corrupto corde nostro exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ,* Matth. XV. 19. 4.) Christus ipse in explicatione legis Matth. V. ostendit, ita interpretanda esse hæc duo ultima præcepta, ut ducantur per omnia decalogi mandata. 5.) Distinguendi autem necessario adpetitus naturales & ordinati a vitiosis concupiscentiæ motibus; non enim illos, sed hos lex divina prohibet. Apostolus aliam profert distinctionem Gal. V. 17. inter concupiscentiam carnis & spiritus. Nec naturalis, nec spiritualis, sed corruptæ carnis concupiscentia lege Dei prohibetur. 6.) Deut. V. fit objectorum transpositio, uxor enim primo loco, domus secundo recensetur, ex quo adparet, distinctionem horum præceptorum non posse ex objectis primo ac proprie peti. 7.) Concupiscentia non continet se in illis objectis, quæ in his præceptis enumerantur, sed latius vagatur, ideo additur generalis clausula: *non concupisces quicquam eorum, quae sunt proximi:* & cum Christus Luc. VIII. 14. inter spinas numerasset curas hujus seculi, deceptionem divitiarum & voluptates addit Marc. IV. 19. καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι Gal. V. 17. Opera spiritus, contra quæ caro concupiscit, enumerantur ex utraque decalogi tabula. Ideo autem nominatim uxorem, domum, servos, ancillas, agros, boves, asinos proximi concupiscere prohibemur, quia hæc in usu vitæ humanæ quotidie oculis nostris obversantur. 8.) Apostolus involucris illis Mosaicis de non-concupiscenda domo, uxore, agro &c. omissis, præcepta hæc sine circumstantiæ additione vel objectorum specificatione proponit Rom. VII. 7. XIII. 9. *Non concupisces.*

§. CLXXX.

PERJURIO fidem persecutionis temporibus negandam esse, non tradit EUSEBIUS *loco supra citato.* Hoc tantum ex Agrippa Castore *loc. cit.* refert, Basilidem docere, *quod indifferens sit victimas diis immolatas degustare, & persecutionum tempore licenter fidem abnegare.* Conf. ven. C. W. F. WALCHII *vollständige Historie der Ketzereyen, part. I. p. 304.*

§. CLXXX. Requiritur igitur in his duobus præceptis interior perfecta harmonia omnium adpetitionum cum norma legis divinæ perfecte congruens, concreata totius naturæ integritas, spiritualis & numeris omnibus absoluta obedientia: contra vero accusantur omnes cogitationes, inclinationes, impetus & adfectus contra Dei legem; quorum omnium cum fons & scaturigo sit peccatum originis, ideo apostolus illud vocat concupiscentiam. Agnoscamus proinde extremam naturæ nostræ corruptionem, qua ad omnis generis pravas concupiscentias effreni impetu ferimur, propter quas etiam post regenerationem quotidiana peccatorum remissione indigemus; Psalm. XXXII. 6. quibus ipsa bona opera inficiuntur & maculantur, quo minus Dei judicio opponi possint; agnoscamus, inquam, hasce nostras sordes, & seriis gemitibus eas deploremus, petamus, merito Christi easdem in nobis tegi, repugnemus illis virtute spiritus, carnem cum suis concupiscentiis mortificantes, & ad plenam in æterna vita exspectandam integritatem ac perfectionem intimo cordis desiderio adspiremus.

An lex Dei perfecte impleri possit?

§. CLXXXI. Præmissa hac decalogi expositione probe observata, facile adparebit, *an perfectam illam obedientiam, quam Deus in lege a nobis requirit, viribus naturae vel gratiae, hoc est, vel ante regenerationem, vel post regenerationem, in hac vita praestare possimus.* Gravis hic constituta nobis adversaria cum pontificiis, quibus persuasum, perfectam legis impletionem vires hominis, præsertim renati, non excedere. Nos contra statuimus, homines nondum renatos *externam* quidem disciplinam præstare posse, quam scriptura vocat *justitiam carnis;* Hebr. IX. 10. sed *interiorem* obedientiam cordis sine fide & Spiritu sancto ab eis non posse inchoari, nedum præstari aut impleri, atque ipsam illam externam non renatorum disciplinam Deo non placere, nec esse vere bonum opus. Ad renatos quod attinet, dicimus, legem ab illis impleri duobus modis, *primo* fide & imputatione, *quod enim impossibile erat legi, eo quod infirmabatur per carnem, hoc Deus misso filio praestitit, & de peccato damnavit peccatum, ut justificatio legis impleretur in nobis,* Rom. VIII. 3 & 4. *Finis legis Christus est ad justitiam omni credenti,* Rom. X. 4. *Deinde* inchoatione seu nova obedientia ex fide orta, ideo enim credentibus imputatur perfecta legis obedientia a Christo præstita, non ut secundum carnem libere vivant, sed ut in præceptis Dei ambulent: hæc renatorum nova obedientia non tantum in externis operibus consistit, sed etiam interiorem obedientiam complectitur, siquidem interiores cordis concupiscentias & desideria carnis mortificat, inchoatis novis cum lege Dei consentientibus motibus, interim tamen a perfecta illa legis impletione, quam Deus requirit, procul adhuc abest, id quod sequentibus demonstramus argumentis.

Argumenta pro parte negante. 1. Scriptura diserte reclamat.

§. CLXXXII. I.) Scriptura manifestis ac perspicuis verbis adserit, legem Dei requirere adeo perfectam ac numeris omnibus integram obedientiam, ut plena ejus persolutio sit nobis in hac vita impossibilis. Joh. VII. 19. *Moses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem.* Act. VII. 53. *Accepistis legem in dispositione angelorum, & non servastis.* Act. XIII. 38. *Per Christum annunciatur vobis peccatorum remissio & ab omnibus, quibus non potuistis justificari per legem Mosis.* Act. XV. 10. *Quid tentatis Deum, imponendo jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Rom. VIII. 3. *Quod impossibile erat legi, eo quod infirmabatur per carnem, praestitit Deus misso filio suo.* v. 7. *τὸ φρόνημα σαρκὸς legi Dei non subjicitur, imo ne potest quidem.* Gal. III. 21. *Non est data lex, quae posset vivificare.* Socinus contra dictum Rom. VIII. *Quod impossibile erat legi,* excipit part. II. de servatore cap. 23. f. 194. *infirmari legem per carnem esse idem, quod alibi dicitur hominem a servitute peccati liberari.* Resp. contextus ostendit, aliud significare, mirum, quod lex sit impossibilis homini carnali, adeoque salutem præstare nequeat. Nam in præcedentibus

opponit legem Spiritus vitæ in Christo legi peccati & mortis, ac dicit, quod *lex Spiritus vitae Christi liberaverit eum a lege*, id est, quod in Christo inveniat legis impletionem. Excipiunt alii in genere, hæc dicta intelligenda esse de non renatis, qui non possunt naturæ viribus legem Dei implere, interim renatos viribus gratiæ id posse. *Resp.* dicta hæc sunt generalia, ac ratio eorum itidem generalis est. Ideo lex est jugum, quod portare nemo nostrum potest, quia requirit perfectam omnium virium & actionum integritatem, nec patitur sibi satisfieri vel qualicunque externa vel inchoata interiore obedientia, sed dilectionem perfectam ab omni concupiscentiæ labe immunem requirit, quam cum nemo hominum etiam renatorum possit præstare, siquidem *primitias tantum Spiritus accipiunt*, Rom. VIII. 23. *& volentibus ipsis facere bonum adjacet malum*, Rom. VII. 21. Ideo vox legis est universale Dei judicium, quo *omnes* omnino *concluduntur sub peccatum*, Gal. III. 22. *ut omne os obstruatur, & ὑπόδικος fiat omnis mundus Deo*, Rom. III. 19. hinc Christus dicit Joh. V. 45. *est, qui vos accusat, Moses, in quo vos speratis.* Israëlitæ per circumcisionem recipiebantur in fœdus gratiæ, dabatur eis spiritus υἱοθεσίας & renovationis, interim tamen fatentur apostoli, non gentibus solum, sed & circumcisis Judæis legem fuisse tale jugum, quod portare non potuerunt. Bellarminus lib. IV. de justif. cap. 14. excipit, apostolos tantum de ceremoniali lege loqui, quod probare conatur 1.) ex occasione illorum verborum: Scribit enim Lucas, *surrexisse quosdam ex discipulis, qui dicerent, oportere gentiles conversos circumcidi*, atque illam fuisse causam, cur apostoli concilium egerint, ut viderent de verbo hoc, ergo de circumcisione aliisque id genus ceremoniis Petrus loquitur. 2.) Ex verbis decreti: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, a sanguine, suffocato & scortatione.* Hæc sola dicuntur necessaria ex lege ceremoniali, non simpliciter ex omni lege, alias liceret christiano mœchari, occidere, furari, &c. 3.) Ex summa decreti & verborum: Volunt apostoli removere jugum legis a cervicibus apostolorum; si per τὸ removere jugum legis intelligitur abrogatio legis quoad obligationem, necessario de sola ceremoniali lege id intelligendum, moralis enim adhuc obligat. Si vero per τὸ removere jugum legis intelligitur tollere opinionem justificationis, sequetur, legem ceremonialem quoad obligationem nondum esse sublatam. *Resp.* ex v. 5. patet, duplicem fuisse quæstionem motam a pseudoapostolis: a.) an circumcisio adhuc gentes obliget? b.) an observatio legis moralis ad justificationem sit necessaria? *Surrexerunt* (ait Lucas) *quidam ex haeresi Pharisaeorum, qui crediderunt, dicentes, quod oporteat eos circumcidi, praecipere quoque, ut servent legem Mosis.* Apostoli distincte respondent, *primo* circumcisionem non amplius obligare gentes, volunt tamen paucas quasdam ceremonias legales de sanguine & suffocato a gentibus observari propter evitationem scandali, quod Judæis oboriri poterat; hisce adjungunt ex lege morali continentiam a fornicatione, quæ apud gentiles non habebatur pro peccato. *Deinde* legem moralem dicunt obligare quidem conversos ex gentibus ad obedientiam; interim tamen opera ejus non valere ad justificationem, quæ pendeat ex sola Dei gratia in Christo nobis proposita. Hoc decreti scopo observato, facile adparet, quid respondendum sit argutiis Bellarmini, neque enim de observatione tantum legis ceremonialis quæstio erat, sed etiam de lege morali, an ex ejus observatione sperari possit justificatio & salus? Apostoli respondent, legis ceremonialis observationem esse in nov. test. penitus sublatam, & ex lege Mosis non posse nos justificari aut salvari, cum sit jugum importabile, ideo in sola Dei gratia omne perfugium, atque omnem spem salutis nobis constitutam esse. Si de sola ceremoniali lege fuisset quæstio, cur diceretur jugum importabile? externi isti ritus non excedunt hominis etiam non renati vires. Frustra excipit Bellarminus, dici jugum importabile, quoniam ægre ac difficulter portabatur, non enim de difficultate, sed de impossibilitate hoc loco agi, ipse verborum sonus arguit. Stapletonus in antidotis pag. 325. *propter adjunctam legem moralem cere-*

ceremoniarum multitudinem fuisse onus difficile disputat, fateatur igitur non de ceremoniali tantum, sed etiam morali lege apostolos loqui. Quod si lex ceremonialis fuit jugum importabile, multo magis tale jugum fuit lex moralis, siquidem Luc. XI. 42. & Matth. XXIII. 23. confert Christus inter se opera legis ceremonialis & moralis, atque hæc illis graviora βαρύτερα esse pronunciat, quod probe observari velim. Præterea subjungitur v. 11. *per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & patres nostri*, ex quo colligimus hoc modo. Illa Dei gratia, qua justificamur & salvamur, opponitur non solum observationi ceremoniarum, sed etiam operibus legis moralis. Ergo non ceremonialis tantum, sed etiam, imo multo magis, legis moralis observatio dicitur jugum importabile. *Antecedens* patet ex epistolis ad Romanos & Galatas, in quibus illius legis opera ab articulo justificationis excluduntur, *ex qua est peccati agnitio*: Rom. III. 20. *quae omnes homines peccati arguit, & universum mundum damnat*: v. 19. *quae mentibus hominum inscripta*: Rom. II. 15. *quae data est propter transgressores*: Gal. III. 19. *de qua dictum; Qui fecerit ea, vivet in eis.* v. 10. At hæc omnia legi morali competunt; ergo non tantum ceremonialis, sed & moralis legis observatio ad justificationem ac salutem est inefficax. Conjunge his omnibus disputationem Pauli in epist. ad Galatas, ubi itidem contra illos pseudo-apostolos demonstrat, nos justificari sola fide absque operibus legis, etiam moralis, ut suo loco plenius ostendetur. Ex eo colligimus, quæstionem fuisse motam non de ceremoniali tantum lege, sed etiam de morali: an opera legis moralis ad justificationem requirantur?

2. *Natura legis non pervittit.*

§. CLXXXIII. II.) *Alteram* argumentorum classem petimus a natura legis. Bellarminus quidem lib. V. de grat. & lib. arb. c. 4. §. 7. scribit: *Praecepta*: Non occides, *&*: Non furaberis, *nihil aliud imperant, nisi voluntariam omissionem externi operis homicidii & furti. Concupiscentia enim rei alienae & odium proximi praeceptis aliis prohibentur. Itaque non praevaricatur praecepta*: Non furaberis *&* non occides, *sed illa observat secundum substantiam operis, qui abstinet manum a furto & a caede, etiamsi forte praevaricetur praeceptum*: Non concupisces rem proximi tui: *Et* ne oderis fratrem in corde tuo. cap. 9. *Non est necesse, omnia in Deum referri explicite, satis est, si opus referatur in finem proximum, tunc enim per se dirigetur in Deum, ut ultimum finem.* Sed *lex est spiritualis*, dicit apostolus Rom. VII. 14. non externam tantum, sed internam etiam spiritus obedientiam requirit, talem integritatem ac perfectionem postulat, ut nihil carnale sit, aut sentiatur in viribus nostris, quod vel alio inclinet & trahat, vel impediat, quo minus totus homo sit spiritualis & motus dilectionis ardentissimus. Lutherus. *Praeceptum quodlibet est ita spirituale, ut non solum opus, & fructum & folia & ramos, hoc est, opera, verba, signa prohibeat, sed etiam radicem & succum, id est, cupiditatem, ex qua talia veniunt.* Deut. VI. 5. proponitur summa legis moralis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex omnibus viribus tuis, & proximum, sicut te ipsum.* Jubemur Deum diligere *ex corde* non dimidio, sed *integro* ac perfecto, ut in amore nihil ei vel præponamus, vel adæquemus, ut ipsum solum diligamus, & si quid aliud diligimus, id propter ipsum, sub ipso, in ipso & juxta voluntatem ejus diligamus. Jubemur Deum diligere *ex tota mente*, ut ea semper cogitemus, quæ nos ad ipsius dilectionem inflammare possint, ut in omnibus studiis & actionibus nostris ipsius gloriam nobis habeamus propositam. Jubemur Deum diligere *ex tota anima*, ut maximo studio exsequamur, quæ novimus Deo grata & accepta esse, ut perfecto odio prosequamur omne id, quod novimus ipsi ingratum & adversum. Jubemur Deum diligere *ex tota virtute*, ut totis ipsi adhærentes viribus nullis minis vel blanditiis ab ipso nos divelli patiamur, ut omnes animæ vires, omnia corporis membra dilectioni Dei & mandatorum divinorum observationi inserviant

viant (*). Hoc præceptum de dilectione Dei est regula & mensura obedientiæ in præceptis *adfirmativis*, quemadmodum præceptum de non concupiscendo est regula & mensura obedientiæ in præceptis *negativis*. Quamdiu *caro concupiscit adversus Spiritum* Gal. V. 17. & *lex in membris nostris est rebellans legi mentis nostrae* Rom. VII. 23. Deum non ex toto corde nostro, anima, viribus, cogitatione diligimus, sed ex parte, ideoque minus, quam debemus: quicquid autem minus fuerit, quam esse debeat, in vitio est, siquidem mandatum ejus violat, Deut. IV. 2. XII. 32. Augustinus de doctr. chr. c. 22. *Diliges Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa, quae confers. Cum ait:* toto corde, tota anima, tota mente, *nullam vitae nostrae partem relinquit, quae vacare debeat & quasi locum dare, ut alia velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.* Idem de spir. & lit. c. 26. *Fortasse quispiam putaverit, nihil nobis deesse ad cognitionem justitiae, quod Dominus verbum consummans & brevians super terram dixit*, in duobus præceptis totam legem prophetasque pendere, *nec ea tacuit, sed verbis apertissimis promisit:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum tanquam te ipsum. *Quid verius, his impletis impleri omnem omnino justitiam? Veruntamen qui hoc attendit, etiam illud attendat, quam in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere vel non displicere, quod facimus, & postea per scripturam ejus, sive certa & perspicua ratione commoniti cum didicerimus, quod ei non placeat, poenitendo deprecamur, ut ignoscat. Plena humana vita est documentis talibus, unde autem minus novimus, quod ei placeat, nisi quia & ipse minus notus est nobis? Videmus enim nunc per speculum, &c. Ad illam vitam immortalem pertinet:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute tua. *Ad hanc autem*, non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis illius: *ad illam:* Non concupisces ad istam; post concupiscentias tuas non eas. Idem de perf. justitiæ ad ratiocin. 17. *In plenitudine caritatis, nimirum in patria praeceptum illud implebitur:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; *nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiae, quod vel continendo frenetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus; tunc, cum nulla lex erit in membris, ex toto corde diligemus Deum* (**). Ex quibus omnibus concludo, si vel maxime mandatis Dei obedire in hac vita incipi-

(*) *Triplex* dilectionis *totalitas* requiritur. 1.) *Objecti diligibilis*, ejusque tum primarii, ut diligamus totum Deum, & quæcunque ad eum pertinent: tum secundarii, ut diligamus proximum inimicum pariter & amicum 1. Joh. IV. 21. Matth. V. 24. & quidem juxta integrum decalogum, Jac. II. 10. 2.) *Modi ex parte diligentis*, ut nostra erga utrumque dilectio ex limpido & puro totius cordis, quod adfectuum sedes, fonte derivetur, id est, ut non solum Deum super omnia, præferendo illum omnibus aliis juxta *Becanum* p. 465. vere, non ficte, non simulate, juxta *Bellarminum* lib. II. de monach. c. 13. p. 634. recto corde, pro virium nostrarum modulo, secundum *Costerum* c. IV. p. 245. sed toti juxta omnia membra, omnes omnino animæ & corporis vires sinceriſſime diligamus & impensissime, adeo, ut omnes cogitationes, omnis vita & intellectus in illum conferatur, a quo habemus ea ipsa, quæ conferimus; *Augustinus* de doctr. christ. c. 22. ut omnes cordis actus, motus & adfectus ad eum diligendum concurrant. 3.) *Temporis*, ut Deum & proximum diligamus perpetuo & indesinenter, Deut. VI. 12. XI. 1. unde quidam Judæus, referente Helvico tom. III. disp. Gieſſ. p. 178. *Quoniam hoc visus* (inquit) *cor est omnium primum in hominis formatione, & postremum, quod moritur, ideo innuitur his verbis toto corde, Deum esse diligendum continue usque ad extremum momentum vitae.* Requiritur *perfectio* a.) *essentialis* ex tota anima & omnibus viribus: b.) *integralis* juxta omnia & singula mandata: c.) *accidentalis*, omni tempore. GERHARDUS.

(**) Diligendus est Deus *toto corde*, id est, tota voluntate, quæ est actionum omnium in anima principium, sicut motuum omnium in corpore prin-

Exceptiones Bellarmini.

cipimus, tamen nos deficere in primo & ultimo præceptis, Bellarminus lib. II. de monachis c. 13. 1.) fatetur, *Gregorium Nyss. lib. de creat. hominis c. 8. Anshelmum in c. 22. Matth. Augustinum lib. I. de doctr. christ. c. 22. Bernhardum serm. 20. in cant. præceptum hoc sic interpretari, ut per animam significetur pars animae vegetativae, per cor facultas sentiens, per mentem intelligens vel aliquid hujusmodi*, sed addit *verisimilius esse, ista omnia idem omnino significare.* Resp. Sane ubicunque in scriptura jubemur Deum diligere ex toto corde, non minor quædam dilectio nobis præcepta intelligitur, quam ubi adjectis etiam reliquis membris ex tota anima, ex totis viribus & ex tota mente eum diligere jubemur, qui enim totum cor requirit, is intellectum, voluntatem & reliquas vires non excludit, sed simul complectitur, cum phrasi hebræa *cordis* nomine hæc omnia intelligantur: interim tamen dubium nullum, singularis emphaseos & uberioris declarationis gratia etiam reliqua membra adjici, ut omnes animæ vires, omnes cordis adfectus, omnes mentis nostræ cogitationes sancto Dei amori deberi intelligamus. Quia enim omne, quicquid in nobis est, ab ipso donatum obtinemus, ideo jure optimo omnia, quæ habemus, ipsius dilectioni & obsequio iterum impendere jubemur. Thomas 2. 2. q. 44. art. 5. *Quando jubemur Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute diligere, designantur 4. potentiae principales in homine, scilicet intellectiva, volitiva, sensitiva, & motiva, per cor intelligitur voluntas, quia omnibus imperat, sicut cor vitae influxum communicat, per mentem intellectus, per animam vis sensitiva, per virtutem vis motiva corporalium membrorum.* 2.) Præceptum hoc adfirmativum est, ideo solum præcipitur, ut exerceamus istas animæ potentias propter Deum, quando id necessitas gloriæ ejus procurandæ requireret, alio autem tempore, si id fieret, opus esset consilii & supererogationis; petitum est hoc Bellarmini pronunciatum ex Biele lib. I. sent. dist. 1. q. 4. art. 3. ubi dicit: *Non teneri hominem actualiter summe diligere Deum, quoties de Deo cogitat, sed sufficere habitualem dilectionem.* Cui similia habet Johan. Hesselius pon-

principium est cor. *Tota anima*, id est, toto adpetitu inferiori seu sensitivo (quo sensu scriptum Gen. II. *factus est homo in animam viventem*, id est, vita animali & sensibili cœpit vivere) quem etiam adpetitum movet voluntas, sicut sphæra superior suo motu orbes inferiores movet. *Ex totis viribus*, id est, per omnes potentias motivas & exsecutivas ejus, quod voluntas imperat, sic, ut illæ omnes Deo serviant in sanctificationem justitiæ, sicut in impiis serviunt iniquitati ad iniquitatem. Denique *ex tota mente*, id est, toto intellectu, qui per voluntatem caritate informatam movetur ad credendum de Deo, quæ sunt credenda, ad meditandum de Deo dilecto, ad ea investiganda, quæ ad Dei cultum & gloriam faciunt. Sic ergo diligendus Deus, ut tota nostra voluntas, adpetitus, actio, intellectus in eum feratur, nec horum quippiam mundo, carni, diabolo aut peccato serviat. *Staphylus* in promt. moral. Dom. 12. post sent. p. 294. Requiritur, ut Deum diligamus toto corde ac totis viribus, at renati vix dimidiatis viribus pollent, eo quod veteri & novo homine, veteri & novo corde, vetustis & innovatis viribus sese invicem perpetuo oppugnantibus constent. Rom. VII. Gal. V. Eph. IV. Col. III. multo igitur minus ex totis viribus diligere possunt. Victor in Marc. XII. *Lex hæc ejusdem verbi circa eandem materiam repetitione præ cæteris abundat. Facit hoc autem, quo hominem tanto Dei amore flagrare debere commonstret, ut nihil prorsus in ullam omnino animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat aut diminuat, aut alio transferat.* Theophylactus in c. X. Luc. *Nos oportet tum vegetativam facultatem animæ subjicere dilectioni Christi. Sed quomodo? vehementer, non autem remisse. Sed & sensitivam, atque hanc etiam vehementer, quin & rationalem, eandemque ex totis viribus. Quare nos ipsos totos debemus Deo concedere, subjicereque nutritivam, sensitivam, rationalem nostram facultatem dilectioni Dei.* Anshelmus in Matth. XXII. Ex toto corde tuo, *id est, intellectu perfecto, ut in confessione divinitatis nullum relinquas errori locum*, & in tota anima tua, *id est, tota voluntate tua, ut scilicet nihil velis illi contrarium. Et* in tota mente tua, *id est, tota memoria tua, nihil reminiscens, quo minus de eo sentias.* GERHARDUS.

pontificius: *Ex ipso praecepto*, scribens, *dilectionis tenetur homo, quandoque a cogitatione de Deo abstinere, ut miro modo ex Dei amore Deum non cogitet, Deumque amet, dum ab amando cessat: cui opponendum illud contrarium, de Deo saepius cogitandum, quam spirandum*; itemque Molanus in lib. de pract. theol. tract. III. c. 16. concl. 1. n. 11. *Esse de honestate & non de necessitate, ut Deum super omnia diligamus.* Item tract. III. c. 8. concl. 3. n. 19. *non praecipitur nobis a Deo, ut pro inimicis oremus.* Resp. Quando vero incidere posset tempus ejusmodi, quo nulla nos urgeret promovendi divinam gloriam necessitas? 1. Cor. X. 31. *Quicquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Praeceptum de diligendo Deo super omnia perpetuo nos obligat, cum nullo unquam tempore summi boni amore destitutos nos esse conveniat; si nondum ferimur toti in amorem Dei, si quid in amore ipsi praeponimus vel aequamus, si nondum omnia diligenda propter ipsum, in ipso & juxta ipsius voluntatem diligimus, si ipsum unicum omnium nostrorum adfectuum, conatuum & actionum finem nondum statuimus, imo si vel minima in nobis oriatur cogitatio ac concupiscentia prava, quae purissimo & sanctissimo illi amori adversetur, nondum perfecte praeceptum hoc implemus. Si ex toto corde Deus diligendus, nullus debet esse cordis adfectus, qui non in amorem Dei feratur. Augustinus de spiritu & lit. c. 36. *Non restat in nobis aliquid, quod addi possit ad totum, quod si restabit aliquid, illud non erit totum.* 3) Illud *ex toto corde* ab Augustino & Bernhardo ita exponitur, ut significetur imperari nobis omnes gradus charitatis, quos vel in hoc mundo vel in alio habere possumus, ita, ut semper Deum amemus, nec ullus sit in nobis contrarius cupiditatis motus, sive voluntarius sive involuntarius, cum amore Dei pugnans; ex quo recte deducunt, hoc mandatum in hac vita perfecte impleri non posse. *Resp.* Bene habet, egregii illi scripturae interpretes & singularia ecclesiae lumina nostram confirmant sententiam, negant, mandatum dilectionis in hac vita perfecte a nobis impleri posse, quod praecepti istius evidentia & proprii cordis experientia eos fateri coegit. Quid ulterius desiderat Bellarminus? regerit, eosdem patres adfirmare, hoc praeceptum, licet non possit perfecte impleri in hac vita, non tamen facere praevaricatores, nisi impleatur, siquidem praecipitur aliquid duobus modis: *uno* modo, ut solum indicetur id, quod faciendum est, *alio* modo, ut indicetur praecepto id, quod faciendum est, & finis, cujus gratia id faciendum. Si dicat imperator militibus, pugnate adversus illam urbem, solum indicat id, quod faciendum est; si vero dicat, capite urbem, indicat, quid faciendum est, & finem etiam illius operis, idem enim est, ac si diceret, pugnate ad hunc finem, ut urbem capiatis. Praeceptum autem proprie non obligat ad finem, sed ad media, neque enim peccant milites, urbem non capiendo, modo strenue pugnent, & pugnando dent operam, ut illam capiant. Ita quoque Stapletonus lib. VI. de just. c. 10. *Hoc praeceptum diligendi Deum est doctrinale, non obligatorium.* Resp. Putida est haec distinctio, quam superius in tractatu de peccatis actualibus thes. 44. plenius excussimus. Leges humanae κατὰ τὸ δυνατὸν feruntur, neque ultra vires hominis quicquam requirunt, sed lex divina non solum praecipit, ut conemur ad illam perfectionem dilectionis, quam praescribit, adspirare, verum etiam ut in tanto perfectionis gradu, quem requirit, diligamus. Corruptae rationis nostrae indicium est, si κατὰ δύναμιν & quantum in nobis est, agamus, de reliquis Deum non esse magnopere solicitum; sed vox legis urgens perfectam Dei dilectionem, *& maledictum* pronuncians *omnem, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis*, Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. nimis manifesta est. Qualis a lege obedientia requiratur, non aestimandum est ex viribus naturae destitutae, sed institutae; quamvis igitur praeceptum dilectionis propter peccatum per lapsum primorum parentum in nos traductum in hac vita implere non possimus, tamen perfecta ejus impletio a lege exigitur, & quidem meritissime, cum perfectis ac sufficientibus ad implendam eam viribus genus humanum primitus fuerit a Deo instructum. Invertimus igitur Bellarmini similitudinem (qua & Stapletonus

tonus utitur in antidotis ad VII. cap. Roman.) Quemadmodum miles perfectis ad urbem occupandam viribus instructus suo non satisfecit muneri strenue pugnando, sed requiritur insuper, ut urbem re ipsa occupet: ita primus homo perfectis ad Deum ex toto corde diligendum instructus fuit viribus, quas ad posteros propagasset, si in concreata integritate perstitisset, jure igitur a nobis Deus exigit, non solum ut adspiremus ad illam dilectionem, sed etiam ut revera ex toto corde se diligamus. *Omnis certe ἀνομία est peccatum.* 1. Joh. III. 4. jam vero non implere istum dilectionis gradum est ἀνομία. Ergo non implere illum dilectionis gradum est peccatum. Egregie igitur sophisticatur Bellarminus, quando ex Augustino & Bernhardo probare conatur, *non esse coram Deo peccatum, quod deest perfectioni dilectionis, quam lex requirit*, hoc enim patres isti non solum nuspiam dicunt, sed etiam diserte contradicunt. Augustinus de spiritu & litera cap. 36. dicit: *Ideo nobis praeceptum, ut Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligamus, ut admoneremur, quid fide exposcere, quo spem praemittere debeamus.* Idem & nos dicimus, fidem in Christo perfectam legis impletionem quærere, ac dilectionis illud præceptum in æterna demum vita perfecte a nobis impleri, at num ex eo sequitur, quod perfectioni illi deest, non esse coram Deo peccatum? minime vero, sed manet debitum, si vel maxime nos non simus solvendo. Ideo subjungit Augustinus, *per hoc, quantum mihi videtur, in ea, quae perficienda est justitia, multum in hac vita profecit, qui, quam longe sit a perfectione justitiae, proficiendo cognovit: sed si dici potest justitia minor huic vitae competens, quia justus ex fide vivit, quamvis peregrinus a Domino, & ideo per fidem ambulans, nondum per speciem; non absurde dicitur etiam ad illam pertinere, ne peccet.* Urget Bellarminus, quod in Augustino sequitur: *Neque enim, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenae perfectaeque debetur, jam culpae deputandum est, aliud est enim totam nondum adsequi caritatem, aliud nullam sequi cupiditatem.* Resp. Augustinus nomine *culpae* intelligit peccatum mortale, quod nos actu coram Deo reos statuit, tali culpæ non est deputanda charitatis imperfectio; interim tamen si Deus velit in judicium nobiscum intrare, posset propter hanc imperfectionem nos a facie sua projicere, & propter hunc defectum nostra vel habitualis vel actualis justitia non potest Dei judicio opponi, ideo subjungit Augustinus: *Quia haec scripturae sacrae testimonia:* Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens; si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est; Non est homo, qui non peccet; *falsa esse non possunt, illud esse consequens video, ut qualemlibet vel quantamlibet in hac vita potuerimus definire justitiam, nullus in ea sit hominum, qui nullum habeat omnino peccatum, omnique homini sit necessarium dare, ut detur illi, dimittere, ut dimittatur illi, & si quid habeat justitiae, non de suo sibi esse praesumere, sed de gratia justificantis Dei, & adhuc tamen ab illo esurire & sitire justitiam, qui est panis vivus, & apud quem est fons vitae, qui sic operatur justificationem in sanctis suis, in hujus vitae tentatione laborantibus, ut tamen sit, quod petentibus largiter adjiciat, & quod confitentibus clementer ignoscat. Sed inveniant isti, si possunt, aliquem sub onere corruptionis hujus viventem, cui jam non habeat Deus, quod ignoscat.* Eodem modo scribit libr. III. contra duas epist. Pelag. cap. VII. *Virtus, quae nunc est in homine justo, hactenus perfecta nominatur, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis & in veritate agnitio, & in humilitate confessio. Tunc enim secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta est ista parva justitia, quando etiam, quid sibi desit, intelligit. Gratia Dei tribuit hic studium servandi praecepta, & eadem, si quid etiam in illis praeceptis minus servatur, ignoscit.* Epist. XXVI. ad Hieronymum: *Propter illud imperfectionis vitium:* Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est, *propter illud etiam; quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere:* Dimitte nobis debita nostra, *cum jam omnia in baptismo dimissa sint, ex quo vitio* non justificabitur

bitur in conſpectu Dei omnis vivens. Ex Bernhardo profert Bellarminus ſerm. L. in Cant. *Non latuit praeceptorem, praecepti pondus hominum excedere vires, ſed judicavit utile, ex hoc ipſo ſuae illos inſufficientiae admoneri, ut ſcirent ſane, ad quem juſtitiae finem niti pro viribus oportet, ergo mandando impoſſibilia non praevaricatores homines fecit, ſed humiles.* Hactenus Bernhardus, in cujus verbis obſerva, quod expreſſe dicat, præcepti pondus noſtras ſuperare vires; at ſi non obligati eſſemus ad perfectum illum dilectionis gradum, ſi legem implere poſſemus, quomodo lex tale pondus eſſet, quod vires noſtras ſuperaret? Dicit inſuper, nos noſtræ inſufficientiæ admoneri, quæ admonitio nihil aliud eſt, quam legis accuſatio, ut patet ex illis, quæ ſequuntur apud Bernhardum. Proinde quod additur, Deum mandando impoſſibilia non facere homines prævaricatores, accipiendum hoc ſenſu, quod inſufficientia illa noſtra ac virium noſtrarum ἀδυναμία manifeſtetur quidem in lege, interim tamen illud fieri non aliquo legis vitio ſed noſtro, perinde ut apoſtolus diſſerit Rom. VII. 12. *Lex quidem ſancta & mandatum ſanctum & juſtum & bonum.* v. 13. *quod ergo bonum, mihi factum eſt mors? abſit, ſed peccatum, ut adpareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, ut fiat ſupra modum peccans peccatum.* Attendat Bellarminus illis, quæ immediate cohærent verbis ex Bernhardo citatis: *Deus mandando impoſſibilia non praevaricatores homines fecit, ſed humiles, ut* omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus coram Deo, *quia* ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo. *Accipientes quippe mandatum, & ſentientes defectum clamabimus in cœlum, & miſerebitur noſtri Deus, & ſciemus in illa die, quia non ex operibus juſtitiae, quae fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.* 4.) Sed enim animadvertit Bellarminus, ſe in concedendo nimis liberalem fuiſſe, ideo aliud quærit ſubterfugium. *Illud ex toto corde* (ait) *non ſignificat omnes actus cordis vel omnem intentionem poſſibilem, ita ut imperetur, ut nihil corde agamus, niſi Deum diligere, idque ſumma vehementia amoris, ſed ſolum ut amemus Deum amore praecipuo, nihilque illi in amore vel anteponamus, vel aequemus, ac proinde ſolum in hoc praecepto contineatur id, quod faciendum eſt, non finis, ob quem faciendum eſt;* ex qua interpretatione colligit, adverſari quidem huic præcepto omnia peccata mortalia, non autem adverſari illi amorem honeſtum amicorum, licet non referatur actu in Deum, non peccata venialia, non motus involuntarios concupiſcentiæ, etſi rerum alioquin gravisſimarum, utpote infidelitatis, blaſphemiæ, &c. præceptum hoc perfecte in hac vita ſervari poſſe. Quod commentum repetit lib. I. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati cap. 12. *Toto corde*, ſcribens, *integre quidem & perfecte, ut nihil amori Dei praeponatur, ſed non ſemper continuo actu in hac vita, hoc enim hic non requiritur, ſed tantum indicatur de perfectione futurae vitae.* Deſumtum autem eſt ex Thomæ 2. 2. q. 24. art. 8. *Caritatis perfectio intelligitur vel ex parte diligibilis, & ſic nullius creaturae charitas perfecta, quia Deus in tantum diligibilis, in quantum bonus, bonus autem eſt infinite; vel ex parte diligentis, quando diligit, quantum poteſt, quod fieri poteſt tripliciter:* a) *ut totum cor hominis actualiter feratur in Deum, haec eſt perfectio charitatis in patria;* b) *ut homo ſtudium ſuum deputet ad vacandum Deo & rebus divinis, praetermiſſis aliis, nimirum, quantum neceſſitas praeſentis vitae requirit, haec perfectio in via (in hac vita) poſſibilis;* c) *ut quis habitualiter totum cor ſuum ponat in Deo, ita ſcilicet, ut nihil cogitet vel velit, quod divinae dilectioni ſit contrarium, haec perfectio communis eſt omnibus habentibus charitatem.* Reſp. Non ſolum Deo in amore nihil æquandum vel anteponendum, ſed etiam omnia diligenda, propter ipſum & juxta voluntatem ejus diligenda ſunt; pravæ concupiſcentiæ, licet ad eas nondum accedat conſenſus vel delectatio, nihilominus repugnant dilectioni Dei, quia repugnant præcepto: *Non concupiſces;* omnium autem præceptorum ſumma eſt charitas, ubicunque igitur in corde oriuntur pravi motus, ibi nondum ex toto corde diligitur Deus. Negari certe nequit,

in

in decalogo propositam esse formam ac normam illius dilectionis, quam homo in statu innocentiæ Deo præstitisset, illa sane talis fuisset, ut in omnibus animæ viribus ac potentiis purissima dilectionis flamma luxisset, nec ullo unquam tempore vel exstincta vel incendiis pravorum adfectuum obfuscata fuisset, hanc rectitudinem in Adamo toti humano generi concessam Deus adhuc jure a nobis requirit. Quæ Bellarminus pro confirmatione interpretationis suæ adfert, facilem habent explicationem. a) *Totum interdum sumitur pro magna parte. Ergo & hoc loco.* Resp. Ex puris particularibus procedit collectio. Demonstrandum erat, synecdochicam illam *totius* significationem etiam hic habere locum; contrarium ostendit res ipsa, non magnam virium nostrarum partem, sed omnes omnino animæ vires ac potentias a Deo donatas habemus. Ergo non ex magna tantum virium parte, sed ex omnibus ac totis viribus perfectissime eum diligamus. b) *Quaedam scripturae dicta ostendunt, praeceptum hoc esse facile.* c) *Promisit Deus, se facturum, ut tempore nov. test. diligatur in toto corde.* d) *Multi hoc mandatum impleverunt.* e) *Patres dicunt, nihil impossibile a Deo nobis mandatum esse.* Resp. Horum omnium explicatio sequetur suo loco. Ceterum an motus primi concupiscentiæ, quibus nondum accedit consensus, sint peccata contra legem Dei, quod argumentum nostrum adserit, Bellarminus vero lib. V. de statu peccati c. 10. acriter negat, de eo superius latissime egimus.

3. Confessio omnium sanctorum contrarium testatur.

§. CLXXXIV. III.) *Tertiam* argumentorum classem petimus ex confessione omnium sanctorum, qui se coram Deo peccatores esse, contra vero a perfecta legis impletione procul adhuc abesse conquesti sunt. Exod. XXXIV. 7. *Coram Deo nemo innocens*, 1 Reg. VIII. 46. *Non est homo, qui non peccet* (*), Job. IX. 2. *Vere novi, quod non justificabit se homo coram Deo.* v. 3. *Si velit cum eo contendere, non respondebit ei ad unum ex mille.* Hinc in vulgata versione v. 28. subjungitur. *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parcis delinquenti.* Job. XV. 15. *Ecce inter sanctos ejus nemo integer, & cæli non sunt mundi in conspectu ejus:* v. 16. *quanto magis abominabilis ac putridus homo, qui bibit velut aquam iniquitatem.* Psalm. XIX. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis munda me.* Psalm. XXXII. 6. *Pro remissione peccatorum orandum est omnibus sanctis.* Psalm. CXXX. 3. *Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit?* Psalm. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia coram te non justificabitur omnis vivens.* Prov. XX. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Esa. LXIV. 6. *Omnes nostrae justitiae sunt instar panni menstruatae.* Dan. IX. 5. *Peccavimus & inique egimus.* v. 7. *Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio faciei.* v. 18. *Non in justitiis nostris prosternimus deprecationes nostras in conspectu tuo, sed in miserationibus tuis multis.* Rom. VII. 14. *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato.* v. 18. *Scio, quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum, nam velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio.* v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae & captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* 1 Cor. IV. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.* 1 Joh. I. 8. *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces sumus.* Jac. III. 2. *In multis offendimus omnes.* Nascitur hinc varia argumentorum seges. Ubi peccatum, ibi ἀνομία:

(*) Ad hunc locum excipit Smalcius contra disp. XII. Frantzii de causis peccatorum, non *loqui Salomonem de impingentibus per imbecillitatem & ignorantiam, licet peccati lege non sint captivati; at de talibus, qui quidem peccarunt antea, sed postea a peccato cessare, & deinceps perfecte servire Deo.* Resp. Ostendit contextus, Salomonem loqui de talibus peccatis, quæ sunt gravissima, propter quæ Deus iratus ejiciat Israëlitas suos in terram hostium & longinquam valde, ibique tamdiu adfligat, donec his castigationibus commoti ad ipsum redeant per veram pœnitentiam. GERHARDUS.

ubi ἀνομία, ibi non est perfecta cum lege conformitas; pugnant enim inter se aberratio a lege & perfecta impletio legis. Jac. II. 10. *Qui in uno offendit, est omnium reus.* Qui carnalis est, nondum perfecte implet legem, quæ est spiritualis. Renati sunt adhuc ex parte carnales, manet in eis lucta carnis & spiritus Gal. V. 17. Ergo perfecte non implent legem. Qui veretur justitia sua coram Dei judicio niti, is nondum implevit legem, cur enim dubitaret justitia sua niti, si perfecte legem impleviset? *Qui fecerit ea, vivet in eis?* At sancti verentur sua coram Deo justitia niti. Ergo, non implent legem. Si ipsi renati fatentur, se legi Dei non satisfacere, quanto minus homines non renati satisfaciunt? qui cum fide careant, Deo placere nequeunt, & ipsorum opera non possunt esse nisi peccata. Hebr. XI. 6. Rom. III. 24. Bellarminus variis in locis varias habet exceptiones: lib. II. de monachis c. 13. dicit 1) *Paulum* Rom. VII. *loqui de motibus concupiscentiae involuntariis, qui non sunt peccata.* Resp. Contrarium ostendimus suo loco. 2) *Jobum veritum fuisse opera sua, quia metuebat, ne quid imperfectionis eis misceret, illi autem proprie metuunt, qui vident, posse vitari malum, quod metuunt.* Resp. Si omnis illa imperfectio operibus bonis renatorum adhærens vitari potest, quare pro remissione peccatorum orat omnis sanctus? quare generaliter pronunciat scriptura, non esse hominem, qui non peccet? Nec simpliciter & absolute verum est, illud solum metui, quod vitari potest, quia majori metu consternimur, si videmus, mala impendentia vitari non posse. Jobus desperans de suis meritis ad Dei misericordiam & redemtorem suum omnium sanctorum more confugit. Glossa ord. in c. IX. Jobi. *In bonis operibus duo timenda sunt, desidia scilicet & fraus, desidiam facit minor amor Dei, fraudem facit proprius amor sui.* Gregorius in illum locum: *Justi omne, quod agunt, metuunt, dum caute considerant, ante quem judicem stabunt. Enumerant mala proprii operis, & contra exaggerant bona gratiae conditoris. Considerant prava, quam districte judicet, bona opera, quam subtiliter pensat, & perituros se absque ambiguitate praesciunt, si remota pietate judicentur, quia hoc ipsum quoque, quod juste videmur vivere, est culpa, si vitam nostram cum judicat, hanc apud se divina misericordia non excusat.* Anshelmus in 1 Cor. IV. *Ad illius examen vita nostra ducitur, sub quo & virtutes nostrae trepidant.* 3.) Esaiam loqui in persona gravissimorum peccatorum, qui, si qua bona opera faciebant, saltem moraliter ea inquinabant admixtione multorum criminum. *Resp.* Imo vero Esaias more omnium sanctorum petit peccatorum remissionem, neque ex hac publica totius populi confessione se ipsum hypocritice excludit. Esa. VI. 5. *Vae mihi*, ait, *nam vir pollutis labiis sum ego, & in medio populi mei pollutis labiis habito*, ac licet ipsi ea iniquitas & impuritas ablata sit v. 7. se tamen ex peccatorum coetu non eximit, dum ait: *Facti sumus ut immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatus universae justitiae nostrae.* Ostendunt id ipsum tum antecedentia tum consequentia istius loci. Omnes, quotquot publicarum calamitatum sensu adficiuntur, peccata sua ibidem agnoscunt, deplorant, atque eorum remissionem petunt. Atqui propheta & reliqui pii in populo Israëlitico adficiuntur sensu publicarum calamitatum. Ergo peccata sua agnoscunt, deplorant, eorundemque remissionem petunt. Adde, quod diserte de justitiis propheta loquatur, quas peccatis contaminatas esse conqueritur, aequis vero gravissimis peccatoribus tribuet justitias? si vel maxime externa quædam opera moraliter bona faciant, ea tamen coram Deo non sunt bona, nec justitiæ nomine digna. Bernhardus serm. V. de verbis Esaiæ col. 250. *Nostra (si qua est) humilis justitia, recta forsitan, sed non pura. Nisi forte meliores nos esse credimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliter ajebant:* Omnes nostræ justitiæ tanquam pannus mulieris menstruatæ. *Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse? Recta proinde interim videri potest justitia hominum, si tamen peccato non consentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore.* Gersonius lib. IV. de consol. theol. pros. 1. *Quid Esaias se*

Bellarmini exceptiones.

se cum ceteris involvens sibique vilescens humili confessione protulerit, legimus: Omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ. *Quis ergo justitias suas velut gloriabundus ostentaverit Deo, plusquam pannum confusionis suae mulier viro.* Adrianus de Trajecto in lib. IV. sentent. referente ex eo Cassandro in consult. *Sunt merita nostra velut baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringitur, perforat manum innitentis, & quasi pannus menstruatae sunt omnes nostrae justitiae. Jugiter enim super pannum vitae, quem justitiae operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum. Quae igitur ex eis poterit esse fiducia apud Deum, qui neminem diligit, nisi ex toto corde conversum?* 4) Dictum psalmi, quod non possit coram Deo justificari omnis vivens, ita explicat, quod *nemo sit, qui non habeat peccata venialia, quae tamen non impediunt, quo minus homo sit justus, & multa opera bona faciat; vel etiam comparatione cum Dei justitia inita neminem esse justum.* Resp. Deprecatur David judicium Dei, addita ratione, quod nemo possit coram ipso justificari; fatetur igitur justitiam suam non posse opponi Dei judicio, nec severum ejus examen sustinere. Venialia illa peccata non impediunt quidem vel tollunt justitiam fidei, siquidem renatis ea agnoscentibus ac deplorantibus, in Christum credentibus & carnem suam crucifigentibus non imputantur; interim tamen propriam nostram justitiam tum *habitualem* tum *actualem* omnino impediunt, quo minus ea in judicio Dei niti possimus. Si David potuisset Dei legem perfecte implere, cur veritus fuisset justitiam suam in examen divini judicii adducere? Nec *comparate* solum, sed & *absolute* omnem operum justitiam coram Dei judicio subsistentem David & sibi & aliis hominibus in universum omnibus derogat, perinde ut omnes sanctos peccatorum remissione indigere testatur Psalm. XXXII. 1. Augustinus in enarr. Ps. CXLII. tom. VIII. *In veritate tua exaudi me in tua justitia, non in mea, ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed eam, quae est ex fide. Ad me enim cum respicio, nihil aliud meum, quam peccatum invenio. Qui cum Deo volunt intrare in judicium, nisi qui ignorantes Dei justitiam suam volunt constituere? Merito iste* (David) *humilis in corpore Christi, discens a capite, quoniam mitis est & humilis corde,* ne intres, *inquit,* in judicium cum servo tuo. *Non litigemus, nolo tecum habere causam, ut ego proponam justitiam meam, tu convincas iniquitatem meam. Quare hoc? quare times? quoniam* non justificabitur coram te omnis vivens, *hic utique vivens, in carne vivens, moriturus homo, natus vivens, ex hominibus vivens, de Adamo Adam vivens. Omnis itaque vivens justificare potest se coram se, non coram te. Quomodo coram se? sibi placens, tibi displicens. Coram te autem non justificabitur omnis vivens. Noli ergo intrare mecum in judicium Domine, Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam tuam, coaptas me ad eam, & pravus invenior &c.* Lib. IV. de justif. c. 14. ad dictum Jacobi, *in multis offendimus omnes;* & Johannis: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus,* respondet, *intelligenda ea de peccatis venialibus, quae non sunt peccata simpliciter, sed imperfecte & secundum quid, neque sunt contra legem, sed praeter legem.* Resp. Nugatoria hæc est distinctio, quam in tractatu de peccatis actualibus plene excussimus. Omne peccatum, quantumcunque vel qualecunque sit, est ἀνομία, aberratio a lege, transgressio legis, ac proinde non tantum *praeter* sed etiam *contra* legem, quod Durandus, Cajetanus, Vega lib. XI. in cone. cap. 20. Azorius lib. IV. instit. c. 8. Vasquez in Thom. disp. CXLIII. c. 4. num. 8. concedunt, cum quibus Bellarminus prius transigat. Lib. I. de amissione gratiæ & statu peccati cap. 12. dicto Jacobi obvertit, *longe aliter ipsum accipere offensionem, quando dicit* cap. 2. Qui offendit in uno, factus est omnium reus, *& cum postea* cap. 3. *dicit,* in multis offendimus: *ibi enim de offensione criminali, hic de veniali loquitur, ibi enumerat gravia crimina, quae proprie & perfecte sunt contra legem, hic vero addit:* Qui non offendit in verbo, hic perfectus vir est, *ubi de ea offensione loqui se declaravit, quae perfectioni, non de ea, quae necessariae integritati opponitur.*

Resp.

Resp. Utrumque dictum Jacobi generale est: *in multis offendimus omnes, & qui in uno offendit, reus factus est omnium.* Pharisaicum est, dicere quidem mandata esse minima, quorum transgressione non peccetur contra legem, ut ostendit Christus Matth. V. 19. Idem, qui dixit: *Non mœchaberis*, dixit etiam: *Non concupisces*, ergo non solum qui mœchatur, sed etiam qui concupiscit, contra legem agit, & reus peccati coram Deo efficitur. Bellarminus cap. XI. præcedente absurdissimum esse judicat, si statuatur, hominem justum, statim atque unum aliquod peccatum veniale commisit, esse vere ac perfecte legis prævaricatorem, & per hoc reum omnium cœlestium mandatorum; quod homini non excidisset, si aliam justitiam, quam quæ ex lege est, videlicet eam, quæ est ex fide, agnoscereet, si splendentem Mosis faciem remoto velamine intueretur, qua de re plura suo loco.

4. Scriptura per legem nos justificari negat.

§. CLXXXV. IV.) *Quartam* argumentorum classem petimus ex illis scripturæ dictis, quæ testantur per legem, & ex lege non posse homines coram Deo justificari & salvari. Quicunque perfectam & integram obedientiam legi præstare potest, is potest etiam per legem justificari & salvari. At nullus homo per legem justificari & salvari potest. Ergo, nullus homo perfectam & integram obedientiam legi præstare potest. *Propositio* est immotæ veritatis. Lev. XVIII. 5. *Custodite leges meas, quae faciens homo vivet in eis.* Ezech. XX. 11. *Dedi eis praecepta mea & judicia mea ostendi eis, quae faciens homo, vivit in eis.* Luc. X. 28. *Fac hoc & vives.* Rom. VII. 10. *Mandatum erat ad vitam.* Gal. III. 12. *Qui fecerit ea, vivet in eis. Assumtio* non minus certa Gal. III. 11. *In lege neminem justificari coram Deo, δῆλον manifestum est.* Rom. III. 20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram Deo.* Si ex lege possemus coram Deo justificari, opera legis non excluderentur a justificationis actu; atqui manifeste excluduntur, Rom. III. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem absque operibus.* Gal. III. 10. *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt.* Hac de re in articulo justificationis plura, ubi eadem opera Bellarminianas exceptiones, distinctione inter opera legis *ceremonialis & moralis*, inter opera *liberi arbitrii & gratiae*, inter opera, quæ fidem *praecedunt & sequuntur*, inter justificationem *primam & secundam* nitentes, excutiemus. Photiniani distinguunt inter opera legis *moralis Mosaicae* & inter opera legis, *prout a Christo completior facta in nov. test.* Sed hæc hypothesis falsa est. Hoc loco illud examinandum, quod Bellarminus lib. IV. de justif. scribit, *apostolum* Gal. III. 11. *non significare eos maledictos esse, qui legem implendo justificari quaerunt, sed eos, qui suis viribus sine fide & gratia legem implere, & justificari se posse credunt.* Resp. pseudo-apostoli illi, contra quos Paulus eo in loco disputat, non excludebant fidem a justificatione, sed opera legis ei conjungebant, ut adparet ex Act. XV. 5. *Surrexerunt quidam de haeresi Pharisaeorum πεπιστευκότες, qui crediderant.* Nisi fuissent in eorum numero, qui Christo nomen suum dederant, certe non tantum molestiæ ac negotii apostolo falsa sua doctrina exhibuissent. Contra eos demonstrat apostolus, ex fide, non ex operibus legis esse justificationem, argumento usus inter reliqua etiam isto, quod a maledictione legis petitum est. Lex Dei maledictum pronunciat omnem omnino hominem, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Jam vero nemo hominum permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut ea faciat. Ergo, omnes homines sunt sub maledictione legis. Finge cum Bellarmino, argumentum apostoli de ea tantum legis impletione, quæ fit nostris viribus sine fide & gratia, concludere, & alienum erit a scopo, quem sibi præfixum habebant pseudoapostoli, alienum erit a mente Galatarum, qui fidem Christi nondum abjecerant, nec abjicere instituerant.

5. Filius Dei eo fine in mundum venit,

§. CLXXXVI. V.) *Quintam* argumentorum classem petimus ex illis scripturæ locis, quæ testantur,

ut nostri loco impleret legem.

tur, Filium Dei, eo fine in hunc mundum esse missum, ut nostri loco perfectam legi obedientiam præstaret, quæ per fidem nobis imputaretur, quave coram Deo consistere possemus. Si homo perfecte posset legi satisfacere, non opus ei esset Christi merito. At hoc absurdum; ergo & illud. *Connexionis* veritas pendet ex pronunciato apostolico Gal. II. 21. *Si per legem est justitia, ergo gratis* δωρεὰν sine causa *Christus mortuus.* Si perfecte legem implere, ac per eam justificari possemus, quid opus fuit Christo tot labores, tot molestias, tot angustias exhiberi? Referenda huc omnia scripturæ dicta, quæ de fine incarnationis ac fructu passionis dominicæ, itemque de *formali* causa nostræ justificationis loquuntur, quæ suum habebunt inferius locum. Hac vice expendemus sequentia. Act. XIII. 38. *Per Christum annunciatur vobis remissio peccatorum, & ab omnibus illis, quibus non potuistis in lege Mosis justificari.* Rom. VIII. 3. *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, id Deus præstitit Filium suum mittens in similitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne*, v. 4. *ut justificatio* τὸ δικαίωμα *legis impleretur in nobis.* Matth. V. 17. *Non veni solvere legem, sed implere.* Excipiunt, Christum nobis promeruisse gratiam Dei & Spiritum sanctum, ut legem implere possemus. *Resp.* Sane Christus nobis non tantum suam donat justitiam, sed & Spiritum sanctum, qui legem Dei scribit in cordibus nostris, facit nos zelotas bonorum operum, flectit corda nostra ad spontaneam obedientiam præstandam &c. interim tamen obedientia illa nondum est numeris omnibus in hac vita *perfecta* & absoluta, siquidem *primitias tantum Spiritus accipimus*, Rom. VIII. 23. *manet lucta carnis & Spiritus*, Gal. V. 17. *renovatio crescit de die in diem*, 2 Cor. IV. 16. *indigemus quotidiana peccatorum remissione*, Matth. VI. 12. Ideo hæc qualiscunque *inchoata* renatorum obedientia non est talis quædam perfecta legis impletio, qua coram Dei judicio consistere & vitam æternam mereri possint, sed gratia Dei & merito Christi non in prima tantum reconciliatione, sed etiam toto vitæ cursu ad justificationem indigent. Excipit Bellarminus lib. IV. de justificat. cap. 14. *Christum esse semper nostrum mediatorem, quamvis ipsimet legem impleamus, tum quia semper vires & gratiam nobis subministrat, per quam bona opera faciamus, tum quia peccata nostra, quamvis leviæ & quotidiana, ipse purgat, ac conversos in gratiam iterum recipit.* Resp. Peccata illa nostra, quibus legem Dei quotidie transgredimur, non sunt ex se & sua natura levia, siquidem dicuntur ab ipso Christo ὀφειλήματα, debita quædam Matth. VI. 12. Sed remoto gratiæ umbraculo nos reos æternæ damnationis facerent, ideo sacerdotali illa Christi ad dextram Patris intercessione, quæ nititur dignitate meriti a se præstiti, quotidie indigemus. Rom. V. 2. Non solum *fide justificati pacem habemus ad Deum per Christum*; sed etiam *per eundem habemus accessum fide in gratiam istam, in qua stamus.* Eph. III. 12. *In Christo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus.* Hebr. IV. 15. *Habemus pontificem tentatum per omnia juxta similitudinem absque peccato.* v. 16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus ad auxilium opportunum.* 1 Joh. II. 1. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* v. 2. *& ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quamvis igitur magnum sit Christi beneficium quotidiana illa nostri per Spiritum renovatio, tamen ab altero illo regenerationis beneficio accurate distinguendum est, nec gloria justificationis tribuenda est *inchoatæ* nostræ obedientiæ: quamvis enim oriatur ex novis illis viribus a Christo mediatore per Spiritum sanctum in nos collatis, tamen cum infirmetur per carnem, nec adsequatur perfectionem a lege præscriptam, ideo nec pro perfecta legis impletione, nec pro perfecta coram Deo subsistente justitia venditari potest. Quod Bellarminus addit, *per nostram sententiam Christum constitui otiosum mediatorem, quasi tam insigni obedientia non potuerit hoc efficere, ut justificatio legis in nobis impleretur*, id facilem habet explicatio-

Exceptio Bellarmini.

nem; omnino enim justificatio, τὸ δικαίωμα legis, in nobis beneficio Christi mediatoris impletur, quod qui negare vellet, apertis tibiis apostolo Rom. VIII. 4. id asserenti contradiceret, impletur autem non *inhaesione*, sed *imputatione*, non *operibus*, sed *fide*; impletur in hac vita *inchoative*, in futura *consummative*. Viderit autem Bellarminus, ne a suae fidei hominibus Christus otiosus mediator constituatur, quibus peccatum in carne renatorum adhuc haerens videtur non esse proprii generis peccatum, quibus infirmitates quotidianae videntur peccata ex se & sua natura levia, quibus praeter Christi meritum tot sunt adversus peccata illa remedia, utpote aquae lustralis adspersio, episcopalis, sacerdotalis ac monialis benedictio, pectoris tunsio, precularum horariarum sine mente & sono recitatio &c.

6. Propria renatorum experientia perfectae legis implexioni refragatur.

§. CLXXXVII. VI.) *Sextam* argumentorum classem petimus ex propria renatorum *experientia*. Quis in dilectione Dei sese satis fervidum esse sentit? quis in timore Dei quandoque remissum se ipsum fieri non sentit? quis tali ac tanta patientia adflictiones sustinet, qualem ac quantam lex Dei exigit? quis in precibus semper est attentus & adsiduus? cui non obrepunt dubitationes de exauditione? quis impiorum felicitatem oculo semper irretorto & absque tacito cordis murmure adspicit? quis omnibus officii sui partibus quotidie satisfacit? quis proximum non verbis tantum, sed & animo & opere; non simulate, sed vere; non frigide, sed ardenter; non ad tempus, sed constanter; non perfunctorie, sed intime; non tantum benefacientem, sed & persequentem semper diligit? quis non aliquando pravis titillatur concupiscentiis? At haec omnia non praeter, sed contra legem fiunt, non sunt res mediae, sed vere & sua natura peccata, non sunt naturae institutae effectus, sed destitutae defectus & corruptae carnis nostrae fructus (*).

7. Allegoriae id ipsum docent.

§. CLXXXVIII. VII.) Referri huc possunt allegoriae, quae legis divinae jugum humeris nostris importabile esse ostendunt. Quamvis enim allegoriae non praebeant firma & apodictica argumenta, plurimum tamen ornant ac delectant substratis prius ex literali scripturae sensu firmis ac immotis fundamentis. Sic *graves Mosis manus* Exod. XVII. 12. significant legem esse *jugum oneris*, Esa. IX. 4. *radians Mosis facies* Exod. XXXIV. 29. notat, nos non posse εἰς αὐτὴν ἀτενίσαι & splendorem legis ferre, 2 Cor. III. 13. *gravis ac difficilis Mosis lingua* Exod. IV. 10. convincit nos, quod ipsius praeceptis perfecte obedire non possimus. *Lapideae decalogi*

(*) Rom. III. 10. & 12. *Non est justus, non est qui faciat bonum.* Ergo nemo perfecte implet legem. Excipit Pererius disp. VI. in c. 3. Rom. *Sententias illas non ad omne genus hominum simpliciter referendas esse, sed ad omnes homines impii & inqui populi, apud quos vere dicatur, quod non sit justus quispiam, nec faciat bonum.* Sed refragatur *scopus* apostoli, cui propositum est omnes omnino homines peccati reos agere v. 9. *Causati sumus, Judaeos & Graecos omnes sub peccato esse.* Item, *ut subditus fiat totus mundus Deo.* Repugnat etiam scopus psalmi XIV. ex quo haec desumta. In eo enim omnes homines, quasi coram Dei judicio constituti, peccatorum rei agantur, non aliqui, sed omnes omnino, ideo utilitatem illam tripliciter effert Spiritus S. 1.) per expressam *affirmativam* omnes, quae notatur in hebraeo ה demonstrativo, quo quasi digito notatur, sermonem esse de iis, de quibus apostolus in praecedentibus egerat, id est, de filiis hominum ex patre & matre natis. 2.) Per particulam *combinantem* יחדו omnes *simul* seu *pariter*, ita, ut nemo excipiatur. 3.) Per *negationem*, quae nullum prorsus excludit, *ne unus quidem.* Cum hac sententia congruit universa scriptura prophetica & apostolica. *Non est homo, qui non peccet* 2 Paral. VI. 36. Eccles. VII. 21. 1 Reg. VIII. 46. *innocens apud Deum non est innocens* Exod. XXXIV. 7. *non est justus qui faciat bonum & non peccet* Eccles. VII. 21. *justus in die septies cadit*, Prov. XXIV. 16. *nemo potest dicere, mundum est cor meum*, Prov. XX. 9. Unde Chrysostomus in comm. Psalm. XIV. ex his verbis colligit, etiam b. Mariam peccato originali fuisse obnoxiam.

GERHARDUS.

logi tabulae Exod. XXIV. 12. conterunt cor nostrum, non sanant. Num. XIX. summus sacerdos, qui ligna accenderat, & alter, qui cinerem ex vacca russa collegerat, erant immundi usque ad vesperam: sic in hac vita usque ad ejus vesperam sumus immundi in omnibus nostris operibus. Ut in promissam terram non Moses, sed Josua Israëlitas introduxit, ita cœlestis Josua Christus per evangelii doctrinam, non autem Moses per legem ad vitam æternam nos ducit. Lutherus præfat. in libros veteris testamenti tom. III. opp. latin. Jenens. p. 67. *Lex habet tria discipulorum genera, primi sunt, qui legem audiunt, verum contemnunt eam, & turpem absque omni metu agunt vitam, ad hos lex non pervenit. Illi enim vituli cultores in Exod. horum figuram gerunt, ad quos Moses non perferebat legem, sed commotus ira legum tabulas frangebat. Secundi sunt, qui tentant suis viribus praestare legem sine gratia Dei, horum figuram hi gerunt, qui gloriam in vultu Mosis ferre non poterant, cum denuo referret leges, atque ad hos quidem pervenit lex, verum ipsi non possunt eam ferre: obducunt igitur eum velamine & hypocriticam vitam simulatione externorum operum legis agunt, verum lex etiam illa ipsa opera judicat esse peccata, ubi velamen amotum fuerit, convincit enim nos, quod nostrae vires nihil sint, sed tantum Christi gratia nobis opus sit. Tertii jam sunt, qui in Mosis faciem sine velamine possunt defigere oculos, hoc est, qui vere intelligunt legem, & vident, quam sit impossibile humanis viribus eam praestare, atque hic quidem sese exserit illa vis peccati & potentia mortis, haec est illa hasta Goliath immensae magnitudinis, cujus cuspis sexcentos aeris siclos pendet. Fugiunt igitur eum omnes Israëlitae praeter unicum Davidem, hoc est, Christum nostrum Dominum, qui nos ab omnibus illis monstris liberavit, nisi enim gloriam vultus Mosis Christus majore gloria obscuraret, nemo illum legis fulgorem, hoc est, peccati ac mortis terrores perferre posset. Hi igitur omnia opera, omnem praesumtionem de suis viribus abjiciunt, neque alium legis usum norunt, quam ut per eam peccata sua agnoscant & misere desiderent Christum &c.* Huc refert Lutherus in verbis paulo præcedentibus, quod tres apostoli in monte Thabor Mosen quidem & Eliam videbant, non tamen metuebant eos, erat enim in Christi vultu gloria, quæ omnem metum animis adimebat. Chemnitius c. LI. harm. fol. 288. hanc texit allegoriam: *In vet. test. tam terribilis erat promulgatio legis, ut populus non posset in montem adscendere, sed clamabat:* Vocem illam non possumus audire. *Sed quando Christus mediator explicat legem, addens suam impletionem; sive quando evangelium utitur ministerio legis, addens ei suam ἐπιείκειαν, tunc turbae in ipsum montem, ubi Christus legem explicat, adscendunt & de efficacia doctrinae ejus mirantur,* Matth. VII. 28. Hujus loci etiam est parabola Christi Luc. X. in qua totum genus humanum adumbratur in homine illo, qui Hierosolyma Jericho versus iter faciens in latrones incidit, rebusque suis omnibus exutus ac spoliatus, insuper lethaliter vulneratur, &c. sacerdos & levita prætereunt, nihil opis misero huic homini conferentes, qua in re lex Dei, cujus illi ministri erant, significata est, quæ cernit quidem hominis cladem & miseriam, nempe peccatum & mortem, sed non juvat nec relevat homines. Matth. XVIII. servus quidam in conspectum Dei producitur, qui decem millia talentorum ei debet, servus hoc debitum inficiari non audet, nec tamen solvendo esse potest, æterno igitur carcere damnari meretur: ejusmodi debiti summam omnes homines Deo debent, omnia decalogi præcepta multis modis transgressi, nec possunt suis viribus hoc debitum persolvere, igitur a lege accusantur & damnantur. Eodem etiam pertinet parabola drachmæ perditæ & ovis amissæ, Luc. XV.

Dicta veterum.

§. CLXXXIX. Huic sententiæ toties suum præbent veteres assensum, quoties concupiscentiam in carne renatorum adhuc hærentem peccatum esse asserunt, quories nostra justitia coram Deo nos subsistere posse negant. Peculiariter huc referenda dicta, in quibus legem in hac vita impleri posse diserte negant. Justinus martyr in dial.

dial. cum Tryph. pag. 252. *Nam genus humanum omne maledictioni obnoxium esse invenietur juxta legem Mosis.* Maledictus *enim* quilibet *dictus est*, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea, *nemo certe exacte omnia præstitit.* Irenæus lib. III. cap. 20. p. 211. *Veniens lex, quae data est per Mosen, regnum quidem mortis absstulit, latronem & non regem eum detegens, & homicidam eum ostendit, oneravit autem hominem, qui habebat peccatum in se, reum mortis ostendens eum, spiritualis enim cum lex esset, manifestavit tantummodo peccatum, non interemit.* Origenes in cap. III. ad Rom. *Quis recte super castitate sua gloriabitur, cum scriptum legat, quia* si quis adspexerit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo? *Quis super justitia sua gloriabitur, cum audiat prophetam dicentem: quia* omnis justitia nostra sicut pannus menstruatæ? *sola igitur nostra gloriatio est in fide crucis Christi, quae excludit omnem gloriationem, quae descendit ex operibus legis.* Idem homil. X. in Num. non longe a princ. *Requirendum est, quomodo & sancti dicantur aliqui, & de peccatis eorum scribatur. Non enim, ut putant quidam, statim ut quis sanctus esse cœperit, peccare jam non potest, & continuo sine peccato putandus est. Si enim sanctus non peccaret, non utique scriptum esset:* Sumetis peccata sanctorum. Num. XVIII. 1. *Si sanctus sine peccato esset, non diceret Dominus per Ezechielem prophetam ad angelos, quos mittebat peccatores punire, & a sanctis meis incipietis* Ezech. IX. 6. *Si enim sancti sine peccato sunt, quomodo ipsi primi succumbunt in suppliciis peccatorum? Si sancti sine peccato essent, nunquam diceret scriptura, quia justus in principio sermonis est accusator sui.* Prov. XVIII. 17. Cyprianus in expos. orat. dom. *Ne quis sibi innocens placeat, & se extollendo plus, pereat, instruitur & docetur, se peccare quotidie, quotidie pro peccatis jubetur orare.* Lactantius lib. VI. cap. 11. *Nemo esse sine delicto potest, quamdiu indumento carnis oneratus est, cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus.* Augustinus epist. LXXXIX. *Omnibus necessaria est oratio dominica, quam etiam ipsis arietibus gregis, id est, apostolis suis Dominus dedit, & unusquisque Deo dicat:* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Cui enim haec in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hic sine peccato vivere pronunciandus est, quales si aliquos futuros Dominus praevideret, meliores utique quam exstiterunt ejus apostoli, aliam orationem illos doceret, qua non peterent dimitti sibi peccata, quibus in baptismo fuerant jam omnia dimissa.* Macarius hom. XXXVIII. ostendit, *eos, qui a gratia divina illuminantur, diriguntur, pacifici ac boni redduntur* ἐξ ἀληθείας, *se ipsos reputare graviores peccatores omnibus hominibus.* Ambrosius in cap. II. Rom. *Non hi justi sunt, qui audiunt legem, sed qui credunt in Christum, quem lex promisit, & hoc est facere legem, omnis autem non faciens legem, qui non credit legi, dum non recipit, cui lex testimonium perhibet, omnis salus in lege de Christo est, hic ergo servat legem, qui credit in Christum, si autem non credit, transgressor est legis, quia non recipit Christum, quem lex ad justificationem venturum cecinit, quam ipsa dare non potuit.* In cap. IV. Rom. *Quomodo Judaei per opera legis justificari se putant justificatione Abrahae, cum videant Abrahamum non ex operibus legis, sed sola fide justificatum?* In cap. III. Galat. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus. Hoc scriptum est in deuteronomio, quia si quid legis praeteriisset aliquis, maledictus haberetur, & tanta mandata sunt, ut impossibile sit servare ea. Unde & Petrus in actis apostolorum ait: Quid imponitis jugum fratribus, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Idem loc. cit. *Quoniam nemo poterat legem implere, rei erant omnes maledicto legis, ut vindicaret in eos. Christus autem homo natus est, oblatus pro nobis, redemit nos a diabolo.* Isidorus Pelusiota lib. I. epist. C. pag. 26. *Dic ad Novatiani supercilii discipulum: Quid tanquam purus stolide gloriaris? quid te ipsum peccati expertem simulas? quid naturae societatem inficiaris? Esaias immundum se esse praedicat. David omnem hominem mendacem*

dacem esse agnoscit, atque omnes in peccatis conceptos & in lucem editos fuisse. Atque etiam Deus ipse homines mirum in modum & sedulo improbitati addictos esse, ac solo misericordiae oleo indigere ait. Et tu puritatis fastum arroganter jactas? Hieronymus in cap. II. Galat. *Quod autem in lege nullus justificetur apud Deum, &c. quia nemo eam servat, ideo dictum est, quod sola fide justificandi essent credentes.* In cap. V. Galat. super locum: Evacuati estis a Christo, quicunque per legem justificamini. *Si in lege spem ponitis, & justificari vos posse creditis, infirmam Christi gratiam judicatis, & quod jam gratis consecuti estis, tanquam non habentes propriis vultis laboribus adipisci.* Idem in cap. XI. Matth. *In lege multa praecepta sunt, quae Apostolus non posse compleri plenissime docet.* In comment. cap. II. Galat. *Congregandum in hoc loco, quanta in lege praecepta sint, quae explere nullius queat.* Lib. I. contra Jovin. fol. 13. *Post diluvium data lex, quam implere nullus potuit.* Bernhardus Clarævallensis serm. LXXV. super Cant. f. 789. *Opus habent & sancti pro peccatis exorare, ut de misericordia salvi fiant, propriae justitiae non fidentes.* Augustinus lib. I. retract. cap. 19. *Omnia mandata Dei facta deputantur, quando quidquid non fit, ignoscitur.* Bellarminus hunc unicum ex patribus pro sententia nostra adducit locum, cui respondet lib. IV. de justific. c. 14. *Augustinum loqui de summa perfectione implendi legem, ad quam non perveniamus in hac vita.* Id ipsum & nos dicimus, non enim negamus inchoari legis impletionem, sed in summo perfectionis gradu absolvi negamus, quia peccatorum remissione indigemus. Bellarminus regerit, *per pœnitentiam impetrari praevaricationis veniam, & hac ratione mandata deputari impleta.* At illa peccatorum remissio non contingit per opera legis, per nostras satisfactiones, sed ex fide in Christum, ex evangelio, &c. ut suo loco plenius ostendemus. Idem Augustinus epist. XXIX. ad Hieron. *Charitas est virtus, qua id, quod diligendum est, diligitur, haec in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima enim, quae jam non potest augeri, quamdiu vivit hic homo, est in nemine, quamdiu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam esse debet, ex vitio est, ex quo vitio non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos fallimus.* De actis cum Felice Manichæo, lib. II. cap. 11. *Data est enim lex superbis hominibus & viribus suis totum tribuentibus, ut cum implere non possent legem datam, praevaricatores invenirentur & facti rei sub lege peterent misericordiam a Deo conditore.* Idem q. CV. in Exod. *Quia lex a quovis perficiente non omni ex parte completur, propitiatorium desuper est. Ad hoc enim opus est, ut Deus nobis sit propitius, & ideo desuper ponitur, quia superexaltat misericordia judicio.* Idem de Spiritu & lit. cap. 5. *Illud praeceptum* (de diligendo Deo super omnia) *potest fieri coram hominibus, non coram Deo, qui cordis etiam ipsius & intimae voluntatis est inspector.* De tempore serm. XLIX. *Hoc ergo dicit legem impiere, hoc est, non concupiscere. Quis ergo hoc, qui vivit, potest? adjuvat nos psalmus, qui modo cantatus est:* Exaudi me Domine in tua justitia, *hoc est, non in mea.* Sedulius in cap. VII. Rom. *Lex spiritualis est, quia spiritualia mandat, ardua praecepit opera Spiritus, prohibens peccata, & ideo non potest impleri.* In cap. X. Rom. *Perfectionem legis habet, qui in Christum credit. Cum enim nullus justificaretur ex lege, quia nemo implebat legem, nisi qui sperabat in promissionem Christi, fides posita est, quae crederet, pro perfectione Legis, ut in omnibus praetermissis fides satisfaceret pro tota lege.* Carolus Magnus lib. I. de imagin. cap. 15. *Deus jugum legis homini imponit, homo ferre non valet.* Vide etiam cap. præcedens XIV. Chrysostomus in cap. III. Gal. super locum, justus ex fide vivet. *Hoc enim non solum ostendit, ex fide justificationem esse, verum etiam fieri non posse, ut per legem contingat salus. Posteaquam,* inquit, *legem nemo servavit, sed omnes ob transgressionem erant obnoxii maledicto, excogitata est facilior quaedam via per fidem. Quod idem maximum argumentum est, ex lege neminem posse justitiam adipisci, non enim dixit propheta:*

Justus *ex lege* vivet, *sed* ex fide, *lex autem non est ex fide.* Idem in c. II. Galat. *Lex jubet omnia fieri, quae in ipsa scripta sunt, ac non facientem punit. Omnes igitur illi mortui sumus, eo quod nullus eam implerit.* Primasius in c. III. Gal. super locum, Quid igitur lex &c. *Propter transgressionem*, inquit, *non propter justificationem. Haec audientes conticescant, qui delirant, quod lex quemquam ad regnum cœlorum transmiserit.* Theophylactus in cap. III. Gal. super locum: Quod vero per legem nullus justificetur, &c. *Demonstrato, quod lex maledictos faciat, fides autem benedicat, ostendit jam nunc, quod fides sola justificet.* Et postea: *Apud homines justi forsan videri queant legi detenti, quales Pharisaei justificantes se ipsos coram hominibus. Quia igitur lex ob difficultatem operum non justificabat, sed maledictioni potius subjugabat, venit gratia, facilem viam ostendens, fidem videlicet, per quam justificati benedicimur.* Nilus in gnomis: *Quanto plus in lege profeceris, tanto plus ad perfectionem tibi deesse intelliges.* Bernhardus serm. II. in vig. nat. col. 37. *Propterea mandata sua mandavit custodiri a nobis, ut videntes imperfectionem nostram deficere & non posse implere, quod debet, confugiamus ad misericordiam, & dicamus, quoniam melior misericordia tua super vitas.* Idem serm. L. in Cant. col. 642. *Caritas, quae in lege jubetur, minime in vita ista ab aliquo hominum potest vel potuit adimpleri. Quis enim sibi arrogare audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse? Nec latuit praeceptorem praecepti, pondus hominum excedere vires, &c.* Serm. LXXIII. super Cant. *Si iniquitates observaverit etiam electorum, quis sustinebit? Opus itaque habent & sancti pro peccatis orare, ut de misericordia salvi fiant, propriae justitiae non fidentes, omnes enim peccaverunt & egent misericordia Dei.* Idem serm. L. in Cant. *Est caritas in actu, est & in adfectu. Et de illa quidem, quae operis est, puto datam esse legem hominibus mandatumque formatum, nam in adfectu quis ita habet, ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, ista in praemium datur, cujus initium profectumque vitam quoque praesentem experiri divina posse gratia non negamus, sed plenam consummationem defendimus futurae felititati. Quo ergo jubenda fuit, quae implenda nullo modo erat? aut si placet tibi de adfectuali caritate datum fuisse mandatum, non inde contendo, dummodo acquiescas & tu mihi, quod minime in vita ista ab aliquo hominum possit vel potuerit adimpleri.* Radulphus lib. XX. cap. 1. in Levit. *Quis est, qui omnia, quae praecepit Dominus, faciat? non ejus beatitudinis sumus, nec ejus meriti, ut universis illis obtemperemus, non est enim homo super terram, qui faciat bonum, & non peccet, nec justificabitur in conspectu ejus omnis vivens.* Ipse Lombardus lib. III. sent. dist. 27. lit. E. *Dilectionis Dei modus insinuatur, cum dicitur:* Ex toto corde, *id est, ex toto intellectu*, ex tota anima, *id est, ex tota voluntate*, ex tota mente, *id est, memoria, ut omnes cogitationes & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea, quae confers illi. Haec dicens nullam vitae nostrae partem reliquit, quae vacare debeat, sed quicquid venerit in animum, illuc rapiatur, quo dilectionis impetus currit.* lit. F. *Illud autem praeceptum non penitus impletur ab homine in hac mortali vita, sed ex parte non ex toto, quia ex parte diligimus, sicut ex parte cognoscimus, in futuro autem implebitur ex toto.* lit. G. *Sed cur praecipitur homini ista perfectio, cum in hac vita eam nemo habeat? quia non recte currit, si quo currendum est, nesciatur, &c.* Ecce habes, cur illud praeceptum est, quod hic penitus impleri non potest.

Pontificiorum sententia de perfecta legis impletione.

§. CXC. Pontificii auctoritatem concilii Tridentini secuti statuunt, legem Dei in hac vita omnino impleri posse, praesertim a renatis. Sic enim habet concilium Trident. sess. VI. can. 18. *Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Bellarminus lib II. de monach. c. 13. *Si lex non posset impleri, sequeretur, hominem nunquam peccare, non enim peccat, qui non facit, quod non potest, & Deus esset omnino tyranno iniquior & crudelior, quippe qui tributum peteret, quod nemo solve-*

solvere posset, & hoc peteret a suis amicis. Ibid. *Patrum consensus est, nihil impossibile nobis a Deo mandatum esse.* lib. IV. de justific. cap. 10. *Legem Dei justis hominibus absolute esse possibilem, fatentur omnes catholici,* (Romanenses) *non quidem per solas vires liberi arbitrii, ut haeretici nos dicere calumniantur; sed per auxilium gratiae Dei & spiritum fidei & charitatis in ipsa justificatione nobis infusum.* cap. 13. *Potest homo plus facere, quam Deus praecepit, igitur multo magis potest implere praeceptum Dei.* lib. III. de Rom. pontifice cap. 23. antith. 6. *Non timemus asserere, posse hominem per gratiam Dei justificatum ejusdem gratiae adjutorio & legem implere, & ea impletione vitam aeternam promereri.* Corn. Jansenius, scriptor aliquin modestus & eruditus, cap. 81. concord. evang. sententiam nostram de impossibilitate legem implendi vocat *blasphemam doctrinam, & impiam in Deum blasphemiam.* Petrus à Soto in methodo confess. ann. 1564. Dillingæ edita p. 77. *Adeo sunt divina mandata dulcia, adeo suavia, maxime amanti & naturae humanae quasi cognata & congenita, ut difficilius multo sit ea transgredi, quam observare. Quanto difficilius adulteria, homicidia, furta & similia admittuntur, quam abstineatur ab eis? Isidorus, referente Socrate lib. IV. cap. 18. per annos 40. peccatum vel in animo sensisse vel cupiditati, vel irae consensisse ultro dejeravit.* Cens. Col. f. 49. *renatos in hac vita posse suis operibus legis perfectionem consequi,* f. 194. *legi plene & abunde a nobis satisfieri, si quemadmodum in nobis est, praestiterimus.* Petr. Binsfeldius in lib. recept. conclusion. sect. IV. p. 880. *Justus cum auxilio speciali & adjutorio Dei potest diu imo usque ad finem vitae cavere omnia peccata mortalia, & implere omnem legem obligantem sub culpa mortali.* Petrus Cudsemius in viv. specul. loc. XI. p. 105. *legem Dei & mandata Christi non modo esse factu non impossibilia, sed volentibus & Deum diligentibus usque adeo possibilia, ut sint ipsis suavia & facilia, levia non gravia.* Quinimo non solum perfecte impleri legem a renatis posse confidenter adserunt, sed etiam supererogationis opera (quæ rectius dicerentur opera superarrogationis) ab iisdem præstari posse disputant. Sotus in adsert. cathol. de lege p. 59. *Non tantum homo in hac vita legem implere potest, sed etiam plura, majora & sanctiora opera, quaeque lex praescribit, praestare. Supererogamus enim nonnihil his, ad quae ex necessitate tenemur.* Bellarminus lib. IV. de justific. cap. 13. *Potest homo plus facere, quam Deus praecipiat, igitur multo magis potest implere praeceptum.* Tilem. Smebingus de septem sacram. p. 304. *Quot sanctorum millia fuisse putamus, qui non solum praecepta Christi adimpleverunt, verum etiam consilia evangelica observarunt, & multa supererogarunt, qui horribilia sustinuerunt tormenta, multo plus satisfacientes, quam debuerant pro peccatis suis.* (*) Ceterum ne Bellarminus conqueratur, suæ fidei hominibus per calumniam tribui,

(*) A Pontificiis non prorsus abludunt *Photiniani* & *Arminiani.* Petr. Bertius in præfat. tractatus Arminiani de vero & genuino sensu cap. VII. ad Rom. *Prisca ecclesia quaestionem de impossibilitate praestandi legem inter capitales non censuit, quod vel ex Augustino patet, qui optat, ut Pelagius agnoscat, posse eam praestari per gratiam Christi, & pacem fore edicit. Ipsi apostoli Christi in eo quidem occupati fuerunt, ut homines extra gratiam constitutos convincerent de impotentia praestandi obedientiam; at de regenitorum imperfectione & impotentia vix verba ab iis facta invenias, quinimo contra illis crucifixionem carnis & concupiscentiarum, mortificationem operum carnis, resurrectionem in novam vitam, ambulationem secundum spiritum tribuunt, aperteque profitari non verentur, ipsos per fidem vincere mundum.* Jo. Sommerus Photinianus & Crellius in tract. de justificat. quærit: *Hominis bona opera non posse sisti judicio Dei secundum legem propositam judicantis,* (nam ipsi Deo se nemo comparare potest) *quæ scriptura unquam dixit?* Socinus part. I. de Christo servat. cap. 4. vocat *hyperbolicam nostrorum hominum proportionem, cum scribunt, justitiam nostram perpetuo a perfectione Christi non minus quam cœlum a terra distare.* Smalcius in refut. thesium Franzii contra disput. VI. de bonis operib. f. 176. duplicem statuit perfectionem; aliam *absolutissimam,* quando quis nunquam vel semel quidem peccat: alteram *comparatam,* quando quis in nullius peccati habitu hæsit, ac de priori dicit, *etiamsi difficillimum sit propter carnis infirmitatem, ut homo ad eam re ipsa perveniat, non esse tamen prorsus impossibile.* Et postea: *Voluit Deus, ut homi-*

tribui, quod per solas liberi arbitrii vires legis impletionem possibilem esse statuant, proponimus ipsi disputationes scholasticorum. Biel. in II. sent. dist. 28. q. un. art. 3. *Homo per liberum arbitrium ex suis naturalibus potest divina praecepta, quoad actus substantiam, implere, sed non ad intentionem praecipientis, quae est consecutio salutis aeternae.* Idem I. sent. dist. q. 2. art. 3. *Potest viator ex puris naturalibus Deum diligere, quia omni dictamini rectae rationis voluntas se potest ex suis naturalibus conformare, sed potest ratio ostendere, quod hujusmodi objectum diligendum.* Hoc ipsum repetit III. sent. dist. 27. q. 11. art. 3. ubi secundum opinionem Scoti, Occami & Petri de Alliaco, hanc format propositionem: *Viatoris voluntas humana ex suis naturalibus potest Deum diligere super omnia.* Nicolaus de Orbellis II. sent. dist. 28. q. 2. *Mandata Dei non sunt supra hominem, quia omni volenti se disponere Deus dat gratiam gratum facientem, per quam ille potest adimplere, non tantum quantum ad genus operis, sed etiam quantum ad intentionem praecipientis.* Nec improbari illud quibusdam Pontificiis ostendit Johan. Cochlæus in XVIII. art. confess. August. *Qui hominem propriis naturae viribus praecepta Dei quoad substantiam actus facere posse negant, videntur hominis naturam (opus utique bonum & imaginem Dei) nimis deprimere, atque a naturali bonitate sua, quam a Deo habet, & qua ratio ad optima deprecatur, ut ait Aristoteles in ethicis, dejicere, & ipsum Deum optimum maximum summa bonitate clementiaque & misericordia privare, dum imputant ei, quod imposuerit homini praecepta factu impossibilia. Sciunt namque omnes, quod tyrannicum sit potius, quam regium, subditis impossibiles constituere leges, & onera imponere ipsis importabilia.*

§. CXCI. Videamus Bellarmini aliorumque argumenta, quorum prima classis petita ex divinis literis (*) I.) Matth. XI. 30. dicit Christus, *jugum meum suave, & onus meum leve est.* Ergo mandata

Argumenta adversariorum. 1. Matth. XI. jugum meum suave.

homines ex hoc ipso agnoscerent ipsius summam clementiam & aequitatem, quod qui perfectissimam ab eis jure exigere poterat obedientiam; tali tamen contentus sit, quae vires humanas non superet. Arminius in resp. ad XXXI. artic. opp. p. 143. *Non repugno isti sententiae Augustini, quaestatuit, hominem sine peccato esse posse in hac vita.* resp. ad IX. quæst. opp. p. 150. *Praestatio legis secundum mentem postulantis est aestimanda, qui cum aut rigide velit in summo perfectionis gradu illam observari aut secundum ἐπίκειαν tantum, respondebitur bifariam ad quaestionem, an fideles sub gratia nov. test. possint in hac vita legem Dei perfecte servare? nempe non posse hominem talem legem Dei perfecte praestare, si consideretur ut praestanda juxta rigorem. Si vero postulet secundum ἐπίκειαν, & vires collatae sint proportionatae postulato, quod dicendum est, cum evangelico foedere postulet, respondendum est, posse perfecte praestari.* Idem in artic. perpend. de regenerat. §. IV. opp. p. 785. *Qui dicit regenitos posse per Christi gratiam legem perfecte praestare in hac vita, ille non Pelagianus est, neque gratiae Dei facit injuriam, neque justificationem ex operibus stabilit.* Vorstius in apol. exeg. pag. 111. *Obedientia in lege Dei requisita secundum quid & per accidens nobis est impossibilis, nempe quatenus extra gratiam Dei tum justificantem tum regenerantem adhuc versamur, & quamdiu ita, prout jam corrupti sumus, in nobis ipsis spectamur. Interea verum manet, Deum nihil omnino praecipere, quod non per illam integram ipsius Dei voluntatem eatenus saltim praestare possimus, ut Deus ipse gratiose in hac obedientia tandem adquiescat.* p. 112. *Deus in nobis efficit, ut nimirum sponte nobis desimus, praecepta ipsius, per hanc ejusdem gratiam praestare & possimus & velimus, adeoque re ipsa praestemus, ita saltem, ut Deus in hac praestatione clementer acquiescat.* Venator in declar. pag. 174. *Non credo Deum jure posse ab hominibus exigere, quod a nativitate ipsa praestare non potuerint, atque ad hoc praestandum vires dare non velle, & quod tamen propterea velit eos condemnare, quod bonum impossibile non praestiterint, & peccatum inevitabile non omiserint.* GERHARDUS.

(*) ADAM. CONZENUS, Jesuita, in *comment.* ad cap. X. *epist. ad Rom.* urget locum *Deuter. XXX. 11. mandatum, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est* &c. Resp. Tum ex loci contextu, tum ex Rom. X. 5. 6. 7. 8. & 9. satis perspicuum, Mosen ibi non loqui de *lege*, sed de *evangelio*, Deut. XXX. hoc verbum dicitur non esse occultum, nec remotum, quod propter peccata expulsi pœnitere & ita pœnitentes reduci in patriam

data Dei non solum sunt possibilia, sed etiam facilia. Resp. 1) *Lex est jugum, quod portare nemo potest.* Act. XV. 10. 2) Dictum igitur Christi accipiendum de *jugo crucis*, non autem de jugo legis, quod ex collatione aliorum scripturæ locorum & ex circumstantiis hujus ipsius loci colligere pronum est. Quemadmodum enim Matth. XVI. 24. Christus dicit: *Qui vult me sequi, tollat crucem suam;* ita hoc loco promittit ad se venientibus requiem & refocillationem, sed carni crucis jugum imponit, ne requiem illam promissam de carnis deliciis ac voluptatibus interpretemur. Jugum pro servitute & disciplina severiori in scripturis accipi usitatissimum est, dicitur igitur crux a Christo nobis imposita jugum & onus, quia carnem coërcet, regit atque intra limites continet. Jugum Christi dicitur, quia ipse pro bona voluntate sua illud imponit, & quia Christi exemplo illud portamus, qui in corpore suo jugum crucis sanctificavit. Dicitur onus ἐλαφρὸν *leve*, quia Deus *non finit nos tentari supra vires*, 1. Cor. X. 13. unde apostolus vocat τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως, 2. Cor. IV. 17. quæ verba ex hoc Christi dicto videntur transsumta: jugum dicitur χρηστὸν *commodum & suave*, quia Spiritus sua gratia & consolatione nobis adest in cruce, ut eam non solum patienter feramus, sed & *in passionibus gaudeamus*, Col. I. 24. 3) Si vel maxime intelligatur jugum illud de *doctrina Christi*, nihil ex eo sententiæ nostræ decedit. Doctrina Christi est jugum suave & onus leve, *tum* respectu ad legem habito, quæ est *jugum oneris*, Esa. IX. 4. *& jugum importabile*, Act. XV. 10. cui Christus nostri loco sese subjecit, & a maledictione ejus nos liberavit: *tum* ratione interioris renovationis per Spiritum sanctum, qua lex Dei in corde scribitur, ut spontaneam obedientiam ei præstemus. Christus jugum legis, hoc est, maledictionem & rigorem ejus a credentibus sustulit, sed ne illa liberatio a jugo oneris legalis ita accipiatur, quasi liberum sit pro libidine carnis imposterum quidvis agere, ideo mentionem facit sui jugi, quod est nova obedientia renatorum, qua exuitur vetus homo, contra vero novus induitur. Hoc suum jugum Christus vocat *suave & leve*, quia credentes ambulant in operibus bonis non juxta rigorem legalem, ut vel perfecta legis obedientia mereantur salutem, vel, si quid desit, damnentur; sed juxta ἐπιείκειαν evangelicam, hoc est, perfectam legis impletionem fide in Christo amplectuntur, & per Spiritum renovati delectantur lege Dei secundum interiorem hominem, quæ obedientia licet rigori legis non omni ex parte satisfaciat, tamen placet Deo, quia ex fide & a dilectis filiis proficiscitur, ac si quid vel imperfecte vel minus fit, propter Christum ipsis condonatur.

§. CXCII. II) *Mandata Dei gravia non sunt*, 1. Joh. V. 3. Ergo *multo minus impossibilia.* Resp. Diverso respectu mandata *Dei* sunt *gravia & non gravia. Gravia* sunt, imo importabilia, respectu perfectæ impletionis juxta rigorem legis a nobis præstandæ, qua ratione lex dicitur *jugum oneris*, Esa. IX. 4. *Levia* autem sunt 1.) respectu *imputationis*, siquidem perfecta illa obedientia, quam Christus legi præstitit, per fidem credentibus imputatur, quam imputationem non esse excludendam, patet ex 1 Joh. III. 23. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, & diligamus invicem*, & 1 Joh. V. 3. postquam dixerat apostolus, mandata Dei non esse gravia, αἰτιολογικῶς, v. 4. subjungit, quoniam *omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum.* &

2. Mandata Dei gravia non sunt, 1 Joh. V.

triam & recipi in gratiam debeant. Rom. X. *quæ ex fide est justitia* sic dicitur. *Prope est verbum*, inquit apostolus vers. 8, 9. *in ore tuo & in corde tuo, hoc est, verbum fidei, quod prædicamus.* Objicit porro CONZENUS locum *Marc. IX. 23. Credenti omnia possibilia.* Resp. Non agitur ibi de mandatis divinis, sed de miraculosa sanatione cujusdam obsessi, quem sanari non posse existimabant discipuli, quibus Christus respondet: *Credenti*, me a patre venisse, & a patre habere talem omnimodam potestatem operandi quasvis sanationes, *omnia*, videlicet, quæ divinis nituntur promissionibus, sunt *possibilia.* Sed si vel maxime de lege exponatur, tamen non aliter omnia possunt credentes, nisi in Christo, qui ipsis factus est justitia. 1. Cor. I. 30. GERHARDUS.

& haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra. v. 5. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Christus?* 2) respectu *inchoationis*, quia Spiritus sanctus renatos interius renovat, veram & seriam Dei dilectionem in illis accendit, per quam libero spiritu, non gravatim, nec coacte mandatis Dei obediunt, *haec est charitas Dei*, (inquit apostolus) *ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt.* Hoc respectu *delectantur renati lege Dei*, Rom. VII. 22. *sunt zelotae bonorum operum*, Tit. II. 14. nimirum juxta interiorem hominem; interim tamen *vident aliam legem in membris repugnantem legi mentis suae*, ideo obedientiam suam non possunt in judicium Dei adferre tanquam perfectam legis impletionem, sed defectus, infirmitates ac sordes propter Christum sibi remitti petunt. Augustinus lib. III. ad Bonif. cap. 7. *Gratia Dei tribuit in hac vita studium praecepta servandi, & eadem, si quid in illis praeceptis minus servatur, ignoscit.* In hac peccatorum remissione paratum habent pii remedium, per quam, quicquid non fit, ignoscitur, & hoc potissimum respectu mandata eis gravia non sunt. Regerit Bellarminus lib. III. de justif. c. 11. *Illa non-impletio aut tollit obligationem legis, ita, ut praevaricator non incurrat reatum, aut tollit reatum ex praevaricatione ortum. Si tollit obligationem, facit, ut lex non sit lex, & jugum non sit jugum. Si permittit contrahi reatum, & contractum postea solvit, tunc non facit jugum esse suave, & onus leve, imo ostendit, jugum esse durissimum & onus gravissimum, quippe quod portari non potest. Certe si boves sub jugo ad singulos passus caderent, etiamsi aratoris industria continuo resurgerent, non tamen propterea eorum jugum diceretur suave, & onus leve.* Resp. Renati non a maledictione solum, sed & rigore legis per Christum sunt liberati, *non amplius sunt sub lege, sed sub gratia*, Rom. VI. 14. *nec tamen lex destruitur per fidem*, Rom. III. 31. *sed potius stabilitur*, qua de re sic habendum. Quamvis renatorum obedientia non adsequatur perfectionem in lege praescriptam, tamen maledictionis suae fulmen in eos actu non vibrat, siquidem per fidem sunt in Christo, jam vero *nihil condemnationis est his, qui sunt in Christo Jesu* Rom. VIII. 1. Interim legi ipsi ex eo nihil decedit, quo minus posset ad perfectissimam obedientiam etiam renatos obligare, & maledictioni eos subjicere, nisi essent renati, hoc est, nisi per fidem in Christo perfectam illam, quam legi praestitit, obedientiam adprehenderent, *ac per legem Spiritus vitae in Christo a lege peccati & mortis liberati essent*, Rom. VIII. 1 & 2. Quia vero sunt in Christo, & quia ducuntur a Spiritu sancto, ideo ipsis mandata Dei non sunt gravia, quae alias in se respectu carnis per peccatum corruptae sunt gravissima, imo importabilia.

§. CXCIII. III) Per dilectionem implentur Dei mandata, Joh. XIV. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Rom. XIII. 8. *Qui proximum diligit, legem implevit.* Gal. V. 14. *Omnis lex in uno sermone impletur, Diliges proximum sicut te ipsum.* Atqui renati diligunt Deum & proximum; ergo implent legem. *Resp.* Non qualiscunque & quantulacunque dilectio satisfacit legi, sed talis ac tanta, quae normae legis exactissime congruit, nec ulla unquam laborat imperfectione, aut prava quadam concupiscentia vitiatur. Christus naturam veae ac seriae dilectionis describit, quod sermonem Dei, per quem non sola lex, sed & evangelium intelliguntur, audiat, memori corde reponat, ac mandatis Dei obedire studeat. Paulus charitatem tanquam legis summam & ἀνακεφαλαίωσιν nobis commendat, quam potissimum nobis deceat esse commendatam. Regerit Bellarminus, 1) non negari a se, dilectionem in hac vita imperfectam esse, cum possit crescere, & major sit futura in patria, id vero omnino negandum esse, quod in hac vita non possit esse tam perfecta, ut praecepto adimplendo sufficiat, nam non possemus esse Christi discipuli & amici, nisi hoc praeceptum dilectionis adimpleremus. *Resp.* ex loco Augustini superius adducto: *Quamdiu caritas augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam esse debet, ex vitio est, ex quo vitio non justificabitur coram Deo omnis vivens, propter quod vitium* si dixerimus, quia

3. Renati diligunt Deum & proximum; Ergo implent legem.

quia peccatum non habemus, nos ipsos fallimus. Nostra dilectio non efficit nos Christi discipulos & amicos, 1 Joh. IV. 10. *In hoc est caritas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Nunquam certe diligimus Deum, nisi prius a Deo diligamur, qui per Spiritum sanctum veram sui dilectionem in cordibus nostris operatur, quæ nos Christi discipulos & amicos esse demonstrat, quæ vere placet Deo, quamvis sit imperfecta & multis nævis contaminata. Joh. XIII. 35. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis invicem.* 1 Joh. IV. 19. *Nos diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* 2.) Deut. XXX. 6. prædicitur futurum, ut in novo testamento Deus diligatur *toto corde & tota anima.* Resp. Ambiguitatem istius phraseos ex toto corde paulo post explicatam dabimus.

4. Homines quidam dicuntur perfecti.

§. CXCIV. IV) *Scriptura docet, homines esse perfectos in hac vita, utique ergo perfecte diligunt & legem implent, quia caritas est vinculum perfectionis.* Gen. VI. 9. *Noë erat vir justus & perfectus:* Gen. XVII. 1. dicit Deus ad Abrahamum: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Matth. V. 48. *Estote perfecti, ut Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est.* Matth. XIX. 21. *Si vis perfectus esse, abi, vende, &c.* Phil. III. 15. *quotquot perfecti sumus, hoc sentiamus.* 1 Joh. IV. 12. *Si diligamus alii alios, Deus in nobis habitat, & caritas ejus perfecta est in nobis.* Resp. Petitum est hoc argumentum ex schola Pelagii, cui solide respondetur ab Augustino in libro de perfectione justitiæ contra Cœlestinum. (*) Summa responsionis huc redit: 1) *Quaedam* esse mandata exigentia perfectionem, sed non quæritur, utrum præceptum sit, sed hoc ipsum, quod præceptum esse constat, utrum in corpore mortis hujus impleri possit, ubi caro adversus spiritum concupiscit? *Quaedam* testimonia ipsum finem, quo currendo tendatur, commemorare, non enim recte curritur, si quo currendum sit, nesciatur, & tamen finis ille in hac vita, antequam consummetur cursus, non adprehenditur. *Quaedam* testimonia loqui de beneficiis spiritualibus inchoatis, *quaedam* de consummatis, quæ erunt tantum in vita æterna. 2) Renati ideo dicuntur perfecti, quia quicquid adhæret imperfectionis & sordium, tegitur oratione: *Dimitte nobis debita nostra.* 3) Perfectus, integer, immaculatus, &c. significat phrasi scripturæ eum, qui habet bonam conscientiam,

(*) Lib. de perfect. justit. docet Augustinus, *posse hominem dici justum, qui perfectioni justitiæ plurimum accessit, ut ei proximus fieret.* lib. II. de peccat. merit. & remiss. cap. 13. *Sunt ergo in terra justi, sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pii, misericordes, temporalia mala omnia propter justitiam æquo animo tolerantes. Sed si verum est, imo quia verum est,* si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus: & non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, *non sunt sine peccato, nec quisquam eorum tam arroganter insanit, ut non sibi pro suis qualibuscunque peccatis dominica oratione opus esse arbitretur.* cap. XVI. *Huic* (Paulum dicit) *tanto viro perficiendo necessarium fuit, ut ab illo angelus satanæ non auferretur, a quo propterea colaphizabatur, ne magnitudine revelationum extolleretur, & audet quisquam quenquam vel putare vel dicere positum sub onere hujus vitæ ab omni omnino mundum esse peccato, sint licet homines tanta excellentes justitia, ut ad eos de columna nubis loquatur Deus.* cap. XV. *Cum dicitur cujusque perfectio, qua in re dicatur, videndum est.* Et post: *Potest fieri, ut jam sit aliquis sapientiæ perfectus auditor, cujus nondum sit perfectus & doctor: potest perfectus esse justitiæ cognitor, nondum perfectus effector: potest perfectus esse, ut diligat inimicos, qui nondum est perfectus, ut sufferat; & qui perfectus est in eo, quod omnes homines diligit, quippe qui etiam ad inimicorum dilectionem pervenerit: quæritur, utrum jam sit in ipsa quoque dilectione perfectus, id est, utrum, quos diligit, tantum diligat, quemadmodum illa incommutabilis regula veritatis diligendos esse præscripsit. Cum ergo legitur in scripturis cujusque perfectio, qua in re dicatur, non negligenter intuendum est, quoniam non ideo quisque prorsus sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua re dicitur esse perfectus, quanquam & in hoc possit ita dici, ut non, quia jam non est, quo proficiat, sed quia ex maxima parte profecit, hoc nomine dignus habeatur.* GERHARDUS.

hoc est, qui caret criminibus damnabilibus, & ipsa peccata venialia non negligit quotidiana oratione mundare. Hos fontes veræ solutionis monstrat Augustinus, quos merito opponimus Pontificiis, cum non vereantur Pelagianorum argumenta jam olim explosa postliminio in ecclesiæ proscenium adducere. Ceterum ut res sit evidentior, proponimus hanc distinctionem. Perfectio alia est *absoluta*, quam possumus vocare perfectionem graduum: alia vero *respectiva* & conditionata, quam docendi gratia vocabimus perfectionem partium. Absoluta perfectio est, quæ summum illum obedientiæ gradum, quem lex requirit, integre præstat. Talis perfectio fuit in Adamo ante lapsum, talis etiam in Christo, qui integram ac numeris & gradibus omnibus absolutam obedientiam legi præstitit. In renatis talis perfectio non est, nisi tantum imputatione, quatenus perfecta illa Christi obedientia per fidem ipsis imputatur. Col. I. 28. *Ut præsentemus omnem hominem perfectum in Christo.* Col. II. 10. *In eo estis consummati πεπληρωμένοι.* Hebr. X. 14. *Una oblatione consummavit τετελείωκεν in sempiternum sanctificandos.* Perfectio conditionata est sincera illa renatorum secundum totam legem obedientia in hac vita inchoata, in æterna tandem vita consummanda; sive est serium ac sincerum studium obediendi Deo secundum omnia ejus præcepta, etsi aliquid desit respectu graduum. Hanc perfectionem renatis tribui non diffitemur, de qua recte usurpatur illud veterum: *Perfectionis pars est imperfectionem agnoscere.* Phil. III. 12. *Non quod jam adprehenderim, aut perfectus sim, sequor autem, si comprehendam, in quo & comprehensus sum a Christo Jesu.* v. 13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse, &c.* Dicitur autem hæc obedientia renatorum perfecta, a) ratione omnium mandatorum, siquidem omnibus & singulis Dei mandatis obedire studeunt renati, quamvis obedientia sit inchoata. Psal. CXIX. 6. *Tunc pudore non adficiar, cum respexero ad omnia præcepta tua.* b) Ratione sinceritatis, qua vero & non simulato adfectu, serio & non hypocritico studio renati Deo obediunt, ac pravis motibus resistunt. Psal. CXIX. 34. *Toto corde exquisivi mandata tua.* c) Ratione probabilis & sanctæ conversationis, quam ducunt sine querela ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι, τέκνα θεοῦ ἀμώμητα ἐν μέσῳ γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης, ἐν οἷς φαίνεσιν ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ, Phil. II. 15. Sic Noa dicitur vir justus & perfectus *in generationibus suis*, Gen. VI. 9. d) Ratione infirmorum, qui nondum pervenerunt ad illum cognitionis & obedientiæ gradum. Eph. IV. 13. *Donec occurramus in unitatem fidei, &c. in virum perfectum*, v. 14. *ut jam non simus pueri.* Hebr. V. 13. *Qui lactis particeps, parvulus est*, v. 14. *perfectorum autem est solidus cibus.* Absoluta autem perfectio tum *cognitionis*, tum *obedientiæ*, disertis verbis denegatur renatis in hac vita. 1 Cor. XIII. 10. Phil. III. 12. Augustinus lib. I. de grat. Christi contra Pelag. c. 49. ex Ambrosio: *Perfectos secum multos, ait apostolus, in hoc adhuc mundo sitos, qui si ad perfectionem veram respicias, perfecti esse non poterunt, quia ipse dixit:* Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem a facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. *Ita & immaculati sunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei, cum utique si minutius excutias, immaculatus esse nemo possit, quia nemo sine peccato est.* (*)

§. CXCV.

(*) Chrysostomus homil. XXIII. in Genes. *Perfectus* (Noa) *in generatione sua, in tempore illo, in generatione illa perversa, quæ adeo in malum declinavit, quod neque vestigium veritatis præ se ferre voluit.* Habacuc querens, impium absorbere justum, ait *justiorem se ipso absorbere* צדיק ממנו cap. I. 13. ubi *justum* non ut simpliciter justum laudat, sed quatenus cum improbo comparatur. Ambrosius lib. de Noe & arca cap. XI. tom. IV. p. 153. *Perpense addidit*, in generatione ista, *ut neque superiores condemnaret, neque posteriores* (fideles) *excluderet, rectèque diluvium factum adstrueret interitu generationis ejus, quæ non haberet consortium æquitatis.* Deus ipse exponit, qualem perfectionem intelligat: Deut. XVIII. 13. *Perfectus eris cum Domino Deo tuo*, videlicet ut ipsum solum audias, non præstigiatores. 1 Reg. XI. 4. de Salomone dicitur, *quod cor ejus non fuerit perfectum cum Domino*, nimirum quia ivit post deos gentilium. Jos. XXIV. 14. *Servite Domino perfecte & vere, ac abjicite deos alienos.* GERHARDUS.

5. Quidam dicuntur dilexisse Deum ex toto corde.

§. CXCV. V.) Scriptura docet, quosdam servasse mandata, ac præcipue illud de dilectione ex toto corde, & de non concupiscendo. Psalm. CXIX. 34. *In toto corde exquisivi te*, & de eodem dicitur 1 Reg. XIV. 8. *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens, quod placitum esset in conspectu meo.* Act. XIII. 22. *Inveni David, filium Jesse, virum secundum cor meum, qui omnes voluntates meas faciet.* 1 Reg. XV. 5. *Eo quod feciisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quae praeceperat ei cunctis diebus vitae suae, excepto sermone Uriae.* Item de Josia 2 Reg. XXIII. 25. *Similis non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, in tota anima sua, & in (tota) universa virtute sua.* Item de Asa & populo 2 Paral. XV. 12. *In tota voluntate sua quaesiverunt Dominum, & invenerunt eum.* Item de Josua, in cujus libro cap. XI. 15. *Sicut praeceperat Dominus Mosi servo suo, ita praecepit Moses Josuae, & ille universa complevit, non praeteriit de universis mandatis. Nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Mosi.* Nec dubium, quin similia dici possint de Abrahamo, de Mose, de Samuele, de Elia, Elisæo, Esaia, Jeremia, aliisque prophetis. In nov. test. legimus de Zacharia & uxore, Luc. I. 6. *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* De apostolis dicit Dominus Joh. XVII. 6. *Sermonem tuum servaverunt.* Eosdem vocat *amicos*, Joh. XV. 14. 15. & tamen ibidem addit, *solos amicos esse eos, qui praecepta custodiunt.* Apostolus vero Paulus Rom. VII. 15. seqq. aperte demonstrat, se non peccare, dum invitus concupiscit, quia non ipse opus illud facit, ac proinde se servare legem, quæ, cum jubet: *non concupisces*, voluntati præcipit, non sensui, qui legis non est capax. *Resp.* Audimus denuo Pelagium redivivum, is enim, teste Augustino lib. de nat. & grat. cap. 36. itidem longa serie commemorabat eos, qui non modo non peccasse, sed etiam juste vixisse referuntur, Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Jesum Navæ, Phineem, Samuelem, Natham, Eliam, Elisæum &c. respondet autem ibidem Augustinus: *si omnes sanctos & sanctas, cum hic viverent, congregare possemus & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc, quod iste* (Pelagius) *dicit, aut quod Johannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una voce clamassent:* si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis. *An illud humilius responderent fortasse, quam verius? Sed huic jam placet, & recte placet laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia veritas in eis non esset.* Respondemus igitur in genere. Phrasis illa, *ex toto corde*, duplicem obtinet significationem. *a)* Exprimit perfectam illam obedientiam a lege requisitam, ut summo perfectionis gradu Deum diligamus, eidemque numeris & gradibus omnibus absolutam obedientiam, nullo pravæ concupiscentiæ aut ullius alterius peccati nævo maculatam, præstemus. *b)* Notat sinceram ac ἀνυπόκριτον obedientiam, qua ratione opponitur hypocrisi & externæ simulationi. Scriptura enim hoc modo hypocrisin describit Psalm. XII. 3. *In corde & corde locuti sunt.* 1 Paral. XII. 33. *Parati erant ad pugnandum absque corde & corde.* Hieronymus vertit *non in duplici corde;* id v. 38. exponitur, *expediti erant ad pugnandum corde perfecto.* Quoties igitur renati ex toto corde Deum diligere, & mandata ejus servare dicuntur, sensus est, quod Deum diligant non simulate, non hypocritice, sed vere & ex animo, corde integro & sincero, interim tamen summum perfectionis gradum se non adsequi fatentur, quotiescunque peccata sua fatentur, eorumque remissionem fide quærunt; adde, quod ex parte adhuc carnales sint, unde pravis concupiscentiæ motibus illa Dei dilectio & mandatorum divinorum obedientia sæpissime contaminatur. Putidum illud subterfugium, quod pravæ carnis concupiscentiæ non sint peccata, suo loco

plenius excussimus (*). Si apostolus concupiscentiæ malum a se plane removet, quomodo constare poterit, quod sub finem capitis inquit: *Idem ego mente quidem servio legi Dei, carne vero legi peccati;* quæ verba irrefragabiliter evincunt, ipsum illum apostolum, qui Spiritu & mente per Spiritum renovata servit legi Dei, carne sua (quæ certe ipsius propria caro est) servire legi peccati, ac proinde legem Dei nondum perfecte implere. Pulcre Augustinus de perfectione just. resp. 16. *Cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiae, quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit.* (**) Si concupiscentiam illam carnis peccatum esse apostolus negat, cur toties ac verbis tam disertis peccatum adpellat, cur tam miserabiliter eo nomine conqueritur, cur ab illa peccati servitute se liberari tantopere expetit? In specie ad exempla a Bellarmino adducta respondemus hoc modo. 1.) David erat vir secundum cor Dei, interim tamen *ab occultis suis delictis mundari expetit*, psalm. XIX. 13. *Iniquitates suas haudquaquam observari petit*, psalm. CXXX. 2. *& judicium Dei deprecatur*, psalm. CXLIII. 2. Quinimo sanctos omnes, ac proinde etiam se ipsum peccatorum remissione indigere faretur, Psalm. XXXII. 6. Adde, quod manifesta addatur exceptio 1 Reg. XV. 5. *Non declinavit ab ullo eorum, quae praeceperat ei Deus cunctis diebus vitae suae, praeterquam in sermone* (negotio) *Uriae.* (***) 2.) Josias ex toto corde ad Dominum conversus, juxta omnem legem Moses fecit, nimirum quia flagrantissimo pietatis ac religionis zelo accensus idololatriam abrogavit, & ardentiore cordis adfectu, quam ullus rex alius, verum Dei cultum vicissim instauravit. Pericope illa: *juxta universam legem Moses*, integritatem instaurati cultus potissimum concernit, quod nihil quicquam eorum prætermiserit, quæ de abrogatione idololatriæ & instauratione veri cultus in lege præscripta erant, ut ex contextu manifestum: interim a perfecta & absoluta legis implectione Josiam adhuc abfuisse præter generalia dicta ostendit lapsus ejus, quod Ægyptio regi bellum movens non necessarium in eodem occubuerit. 3.) De Asa res expedita est, quamvis enim fecerit, quod rectum in oculis Domini, abrogatione cultuum idololatricorum, quo respectu dicitur in tota voluntate quæsiviſſe Dominum, tamen excelsa nondum sustulit, nihilominus propter sinceram & minime hypocriticam obedientiam

(*) Vid. *tom. IV. loc. X. cap. IX. §. CXXIX. p. 368. seqq.* & inprimis *tom. V. loc. XI. c. X. §. XXXVI. seqq. p. 17. seq.*

(**) Idem AUGUSTINUS *loc. cit.* ad locum Hiobi: *vias ejus custodivi, & non declinavi a mandatis ejus, neque discedam;* qui locus objiciebatur a Pelagianis ad probandam perfectionem justitiæ in hac vita, respondet sequentem in modum: *Custodit vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat, sed in eis currendo proficit, & si aliquando ut infirmus offendit aut titubat, proficit autem minuendo peccata, donec perveniat, ubi sine peccato sit, non enim aliter potest eo modo perficere, nisi custodiendo vias ejus. Declinat autem a mandatis Domini, atque discedit apostata; non ille, qui etiamsi habeat peccatum confligendi, tamen cum eo perseverantiam non relinquit, donec eo perveniat, ubi nulla cum morte contentio remanebit.* lib. I. retract. cap. 19. *Merito quaeritur, utrum ista perfectio sic possit intelligi, ut tamen verum sit, neminem jam utentem voluntatis arbitrio hic vivere sine peccato? A quo enim usque ad unum apicem lex perfici potest, nisi a quo fiunt universa divina mandata? Sed in iisdem mandatis est etiam quodcunque jubemur dicere*: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, *quam orationem usque ad finem seculi tota dicit ecclesia; omnia ergo mandata facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur.* GERHARDUS.

(***) Confer 1 Reg. XV. 1, 2, 3. cum 1 Reg. XIV. 21, 22, 23. & adparebit, de conservatione religionis ab idololatria puræ esse sermonem. Hieronymus de Davide loquens lib. III. contra Pelagianos, disputansque nullum fuisse sine peccato, *exempli gratia*, inquit, *uno tantum utamur testimonio.* Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. *David sanctum esse, non dubium est, & tamen qui electus est, ut omnes Dei voluntates faceret, aliqua feciſſe reprehenditur. Utique possibile erat ei facere, qui ad hoc electus est, ut omnes Dei voluntates faceret. Nec Deus in culpa est, qui praedixit, eum cunctat suorum praeceptorum facere voluntates, sed ille, qui praedicta non fecit, neque enim dixit invenisse se virum, qui cunctas in perpetuum suae jussionis faceret voluntates.* GERHARDUS.

tiam dicitur cor ejus perfectum fuisse cum Deo omnibus diebus. 1 Reg. XV. 14. Quid quod a propheta Domini hoc nomine reprehenditur, quod *confisus regi Aram & non confisus Jehovae;* 2 Paral. XVI. 7. quod prophetam contra jus & æquum ex indignatione ponit in domo carceris; v. 10. in infirmitate sua non quærit Dominum, sed medicos, v. 12. 4.) Quod Josua dicitur nihil eorum omisisse, quæ præceperat Jehovah Mosi Jos. XI. 15. id de Cananæorum deletione ac terræ promissæ distributione potissimum intelligendum esse, contextus ostendit; interim non negamus, ipsum ex toto corde fecisse juxta legem Dei etiam moralem, sed ad summum perfectionis gradum ab omni peccati labe immunem adspirare non potuit. Certe Num. XI. 29. a Mose perversus Josuæ zelus reprehenditur. Eodem pertinet exemplum Regis Ezechiæ, quod sub finem hujus capitis 11. Bellarminus itidem adducit. *In veritate & corde perfecto is ambulavit coram Deo*, Esa. XXXVIII. 3. nimirum, quia non simulavit pietatem, sed vere & sincere Deum coluit, interim grato animo agnoscit, quod Deus *post tergum omnia peccata ejus projecerit*, v. 17. propter quæ omnia ipsius ossa conterebantur. v. 13. Quid quod ob thesauros regis Babylonici legatis temere ostentatos a propheta reprehenditur Esa. XXXIX. 5. & seqq. 5.) De Zachariæ & Elisabethæ exemplo ita loquitur Justinus in qq. & resp. ad orth. q. CXLI. *Si unus Christus divinam legem implevit, quomodo irreprehensibiles in lege ambulaverunt Zacharias & Elisabeth?* Respondet Justinus: *Aliud est, esse irreprehensibilem, & aliud peccato immunem. Immunis namque peccato prorsus est irreprehensibilis, irreprehensibilis autem necessario peccato immunis non est &c. unus Christus peccati expers dicitur.* Augustinus lib. I. de gratia Christi contra Pelagium cap. 48. *Dictum hoc est, quantum mihi videtur, secundum quandam inter homines conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum juste posset in accusationis & criminationis querelam vocare, quam propterea in Dei conspectu Zacharias & Elisabeth ejus uxor habuisse referuntur, quia in ea homines nulla dissimulatione fallebant, sed ut adparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum est hoc secundum perfectionem illam justitiae, in qua vere atque omnino immaculati perfectique vivemus, nam & apostolus Paulus dixit*, secundum justitiam, quæ ex lege est, *se fuisse sine querela, in qua lege etiam Zacharias sine querela conversabatur. Sed hanc apostolus justitiam in stercoribus & detrimentis deputavit in comparatione justitiae, quam speramus, & quam nunc esurire ac sitire debemus, ut ea quandoque satiemur in specie, quae nunc est in fide, quamdiu justus ex fide vivit.* (*) Epist. XCV.

(*) Idem AUGUSTINUS lib. de perfect. justit. *Ingredi sine macula non absurde ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, cavens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.* Iterum: *Aliud est esse sine peccato, quod de solo in hac vita unigenito dictum est, aliud est esse sine querela, quod de multis justis etiam in hac vita dici potest. Quoniam est quidam modus bonae vitae, de quo in ista humana conversatione justa querela esse non possit. Quis enim juste queritur de homine, qui nemini male vult, & quibus potest, fideliter consulit, nec contra cujusquam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & tamen eo ipso, quod illud verum dicis:* Dimitte, sicut & nos dimittimus, *sine peccato se non esse declarat.* Iterum: *Illi vero in Apocalypsi propterea tales dicti sunt, quod non sit inventum in ore eorum mendacium, quia non dixerunt se non habere peccatum, quod si dicerent, se ipsos deciperent, & veritas in eis non esset. Porro si veritas in eis non esset, inveniretur in ore eorum mendacium. Quod si propter invidiam, cum essent sine peccato, dicerent, se non esse sine peccato, hoc ipsum esset mendacium, falsumque esset, quod dictum est*, non est inventum in ore ipsorum mendacium. *Ideo ergo sine macula sunt, quia sicut ipsi dimiserunt, sic illi Deo dimittente mundati sunt.* Ibid. de Zach. & Elisabetha. *Qui justi ambo utique legerant inter ipsa mandata, quemadmodum sua peccata mundarent. Nam Zacharias, quod de omni sacerdote ex hominibus accepto in epistola ad Hebraeos dicitur, etiam pro suis peccatis utique hostias offerebat.* lib. II. de pecc. merit. & remiss. cap. 13. *Nam de Zacharia & Elisabeth, qui nobis saepe in hujus quaestionis disputationibus objiciuntur, quid dicamus, nisi*

XCV. expendit illud, quod Zacharias fuerit sacerdos. Omnes autem sacerdotes necesse habebant ex lege Dei primitus pro peccatis suis offerre sacrificium, deinde pro populo: sicut nunc per orationis sacrificium convincimur non esse sine peccato, quoniam jussi sumus dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, ita & tunc per sacrificia victimarum animalium convincebantur sacerdotes sine peccato non esse, qui pro suis peccatis jubebantur offerre. Dicimus ergo, Zachariam & Elisabetham coram Deo justos fuisse fide in Christum, per quem in sacrificiis adumbratum remissionem peccatorum consecuti sunt, cujus beneficia in cantico Zacharias celebrat, *& scientiam salutis in remissione peccatorum* disserte constituit. Luc. I. 77. hanc fidei justitiam demonstrarunt bonis operibus, siquidem in omnibus Dei mandatis incedebant sine querela, obedientia ipsorum erat seria ac sincera, non hypocritica, ἄμεμπτοι erant coram hominibus, sed coram Deo peccatores, sicut paulo post commemoratur incredulitate Zachariam peccasse, in omnibus Dei mandatis incedebant ratione partium, quamvis ratione graduum perfectam obedientiam illis nondum præstarent. 6.) Apostolus Paulus disserte fatetur Rom. VII. 7. legi de non concupiscendo sese nondum perfectam præstare obedientiam, cum sit *spiritualis* v. 14. *se vero carnalem esse ac sub peccato venundatum*, quia scilicet peccatum adhuc in carne habitet. v. 17. quo nomine se παλαίπωρον esse pronunciat, & a corpore mortis hujus liberari desiderat. v. 24. Justitiam fidei passim commendat, sed operum justitia nos coram Dei judicio subsistere posse negat. 1 Cor. IV. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.* (*)

§. CXCVI. Cap. 12.° producit Bellarminus dicta patrum, in quibus negant, Deum impossibile quippiam homini præcepisse. *Resp.* Triplici respectu mandata Dei sunt & dicuntur homini possibilia: 1.) Respectu *integritatis* concreatæ. Legis doctrina solenniter per Mosen repetita est, sed non a Mose primum cœpit, verum in ipsa creatione hominum mentibus insita & insculpta est. Hoc igitur sensu ac respectu non præcepit Deus impossibilia, quia primos homines perfectis & integris viribus instruxit, quibus legem Dei tum generalem tum specialem de non comedendo vetitæ arboris fructu implere poterant. 2.) Respectu *divinae gratiae*. Hieronymus lib. II. dial. adversus Pelag. *Mandata Dei sunt impossibilia naturae, sed possibilia gratiae.* Augustinus de Spiritu & lit. cap. 9. *Voluntas ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, & sana voluntas impleat legem, non constituta sub lege, nec indigens lege.* Per

Dicta veterum.

nisi quod evidenter scriptura testatur, eminenti justitia fuisse Zachariam in principibus sacerdotum ad offerenda vet. test. sacrificia? Legimus autem in epistola, quæ ad Hebræos inscribitur, solum Christum esse principem sacerdotum; qui non haberet necessitatem, sicut illi, qui sacerdotum principes dicebantur, sacrificium pro suis primum offerre peccatis quotidie, deinde pro populo. In hoc enim numero Zacharias, in hoc Pinees, in hoc ipse Aaron, a quo iste ordo exorsus est, fuit, & quicunque alii in illo sacerdotio laudabiliter juste que vixerunt, qui tamen habebant necessitatem, sacrificium primitus pro suis offerre peccatis, solo Christo existente, cujus venturi figuram gerebant, qui hanc necessitatem sacerdos incontaminabilis non haberet. Quid autem de Zacharia & Elisabeth laudabile dictum est, quod non in eo comprehendatur, quod de se apostolus, cum in Christum nondum credidisset, professus est? Dixit enim se secundum justitiam, quæ in lege est, fuisse sine querela, hoc & de illis ita legitur: Erant autem ambo justi ante Deum, ergo quidquid in eis erat justitiæ, non erat ad homines simulatum, ideo dictum est ante Deum. GERHARDUS.

(*) THOMAS STAPLETONUS in *promt. catholico*, Dominic. de *nuptiis Cananæis*, concludit, *integram præceptorum divinorum observationem hominibus renatis esse possibilem, quod ministris Maria præceperit, ut facerent, quodcunque Christus ipsis dixerit; idque etiam ministri facile explere potuerint.* Resp. quæ consequentia? Ministri potuerunt explere mandata Christi in hauriendo aqua; ergo omnia Dei mandata, etiam quæ intrinsecam & perpetuam perfectionem cordis requirant, perfectissime impleri a nobis possunt. GERHARDUS.

Per gratiam vero intelligenda est non tantum gratia renovationis, qua conferuntur homini vires ad præstandam legi divinæ obedientiam, sed etiam gratia remissionis, qua adhærentes peccati sordes non imputantur, & quidquid non fit, vel minus fit, propter Christum ignoscitur. Augustinus lib. I. retract. 19. *Omnia mandata Dei facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur.* lib. III. contra duas epist. Pelag. cap. 7. *Gratia Dei tribuit in hac vita studium praecepta servandi & eadem, si quid in illis praeceptis minus servatur, ignoscit.* lib. XIX. de civit. Dei cap. 27. *Ipsa quoque nostra justitia, quamvis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum.* D. Lutherus in enarr. Psalm. LI. tom. IV. Lat. fol. 377. b. *Quid, inquies, an non decalogus praestari debet? Si autem praestatur, an non ea justitia est? Respondeo, volumus decalogum praestare & servare, sed cum larga, hoc est, evangelica dispensatione seu distinctione, quia accepimus tantum primitias Spiritus, & gemitus Spiritus in corde manent.* Item, *caro nostra cum suis libidinibus & concupiscentiis, hoc est, tota arbor cum fructibus etiam manet. Haec causa est, cur decalogus nunquam possit plene praestari &c. facimus legem per Spiritum sanctum, & tamen manet verbum:* miserere, *hoc est, nos manemus peccatores, & opus habemus gratuita remissione peccatorum per Christi meritum.* 3.) Respectu *perfectionis* in futura vita exspectandæ. Augustinus de perfect. justit. contra Cœlestium resp. 16. *In plenitudine caritatis praeceptum illud implebitur:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. *Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiae, quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus &c. cur ergo non praeciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? non enim recte curritur, si, quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis praeceptis ostenderetur?* De Spiritu & lit. cap. 36. *Praeceptum illud dilectionis in illa vita complebimus, cum videbimus a facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc praeceptum est, ut admoneremur, quid fide exposcere, quo spem praemittere, & obliviscendo, quae retro sunt, in quae anteriora nos extendere debeamus.* lib. I. contr. Julian. cap. 2. Basilii dictum, quod peccatum facile possit ab hominis voluntate separari, ut munda sit per omnia, explicat hoc modo, *facile est non humanae voluntati, sed naturae Dei, & quod ait: munda per omnia tunc fiet, quando in altera vita Deus erit omnia in omnibus.* Bellarminus reponit suam crambem, hominem non posse quidem vivere absque peccato, interim tamen perfecte implere posse præcepta, cum peccata venialia non sint contra sed præter mandata, de quo subterfugio, quid statuendum sit, diximus superius.

§. CXCVII. Cap. XIII. produ- *Rationes pro stabilienda perfecta legis impletione.*
cit Bellarminus aliquot rationes, quibus evincere conatur, legi divinæ perfectam obedientiam a nobis præstari posse. I.) *Potest homo plus facere, quam Deus praecipiat, igitur multo magis potest implere praeceptum.* Resp. Antecedens ex topica Pelagii petitum manifesta falsitate laborat, ut in examine operum supererogationis ostendetur. II.) *Si praecepta essent impossibilia, neminem obligarent, ac per hoc praeceptа non essent, neque enim fingi potest, quomodo aliquis peccet in eo, quod vitari non potest.* Resp. Distinguendum inter naturam *institutam* & *destitutam*, Deus legem homini proposuit in statu innocentiæ, cum viribus adhuc esset sanis atque integris, per lapsum homo sua culpa in ἀδυναμίαν istam incidit, per quam rigori divinæ legis & justitiæ nihil decedit. Quid enim? num obligatio atque obæratio tollitur, si quando debitor sua culpa ad extremam paupertatis lineam redigitur? Minime vero, sed creditori suum jus, quod dederat repetendi, manet salvum atque integrum; & si nemo in eo peccat, quod vitare non potest, quid de peccato origi-

1. Possumus plus praestare, quam lex requirit?

2. Impossibilia neminem obligant.

nali faciemus? Videmus infantes mori, mors peccati est stipendium, utique ergo infantes peccatis sunt obnoxii, quod ipsum tamen vitare non possunt. Num hoc judicium Dei injustum? absit. Apud Anshelmum lib. I. cur Deus homo c. 24. Baso proponit quæstionem. *Si non potest homo debitum reddere, quomodo injustus est, debitum non reddendo?* cui hoc modo respondet Anshelmus: *Forsitan si nulla est in illo impotentiae causa, aliquatenus excusari potest, sed si in ipso impotentiae est culpa, sicut non levigat peccatum, ita non excusat non reddentem debitum, sicut si quis injungat servo suo aliquod opus, & ei praecipiat, ne dejiciat se in foveam, quam illi demonstrat, unde nullatenus exire possit, non propterea is a culpa liberabitur.* Idem de conc. virgin. cap. 28. *Deus recte exigit a natura, quod ei dedit, & quod sibi juste debetur, si quis vir & uxor ejus ad magnam dignitatem quandam vel possessionem nullo suo merito, sed gratia sola provecti simul crimen grave inexcusabiliter committunt, & pro eo juste dejiciuntur, & in servitutem rediguntur, quis dicet filios, quos post damnationem genuerunt, eidem non debere subjacere servituti?*

3. Deus foret tyranno crudelior.

§. CXCVIII. III.) *Si lex esset impossibilis, sequeretur, Deum omni tyranno esse crudeliorem & stultiorem, quippe qui ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo solvere posset, & leges ferret, quas sciret a nemine observandas.* Resp. 1.) Lex Dei pertinet ad omnes omnino homines etiam non renatos; quare si connexum argumenti satis firmum, sequetur, aut homines non renatos itidem implere posse legem, quibus non minus, quam renatis, proponitur, aut illorum respectu Deum tyrannum esse, quorum neutrum concedere poterit Bellarminus. 2.) Legem suam non eo fine post lapsum repetivit Deus, quasi perfecte eam homines implere & vitam æternam promereri possent, sed ut ex eo esset *cognitio peccati*; Rom. III. 20. ut esset *paedagogus noster ad Christum*, Gal. III. 24. ut exstaret norma bonorum operum, in quibus renati perpetuo ambulare debent &c. 3.) Deus non solum mortificat per legem, sed etiam vivificat per evangelium, non solum ostendit morbum per vocem legis, sed etiam adfert medicinam per vocem evangelii, *infundit vulneribus nostris oleum & vinum.* Luc. X. 34. Augustinus de Spiritu & lit. cap. 19. *Lex data est, ut gratia quaereretur, gratia data est, ut lex impleretur. Neque enim suo vitio lex non implebatur, sed vitio prudentiae carnis, quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.* Si vel maxime doctrina evangelii non fuisset ex immensa Dei misericordia hominibus post lapsum patefacta, per quam remissio peccatorum & Spiritus renovationis credentibus obtingit, ut mandatis Dei obedire incipiant; nemo tamen Deum in jus vocare fuisset ausus, si per legem exigeret debitum, ab illis, qui sua culpa in paupertatem ac persolvendi debiti ἀδυναμίαν inciderunt. (*)

4. Christus passus, ut justificatio legis in nobis impleretur.

§. CXCIX. IV.) *Christus passus est, ut justificatio legis in nobis impleretur* Rom. VIII. item docuit nos orare, *fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, Matth. VI. ubi petimus gratiam, implendi præcepta, denique *Christus factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis aeternae* Hebr. V. at si lex impleri non potest, Christus non obtinuit, quod voluit, frustra nos oramus quotidie, & nemo salvari poterit. Nam si lex impleri non potest, justificatio legis nunquam impletur in nobis, nec fit Dei voluntas in terra, nec unquam vere obedimus Christo. *Resp.* 1.) Vere hic est finis missionis & passionis Christi, ut justificatio τὸ δικαίωμα legis in nobis impleretur, siquidem perfecta

(*) *Præcepit Deus impossibilia*, a.) ob justitiæ suæ commendationem; b.) propter gloriæ Christi illustrationem; c.) propter nostri humiliationem; d.) propter nostri institutionem, ut sciamus, quales fuerimus, quod facere debeamus, & quales futuri simus; e.) propter hypocritarum confusionem. GERHARDUS.

fecta illa legis impletio, quam Christus nostri loco præstitit, per fidem nobis imputatur, *Christus est τέλος finis & impletio legis ad justitiam omni credenti* Rom. X. 4. ideoque notanter dicit apostolus τὸ δικαίωμα legis impleri non a nobis, nostris viribus vel operibus, sed in nobis, videlicet per imputationem, cui spiritus renovationis individuo nexu conjunctus est, per quem lex Dei in corda nostra scribitur, ut non *amplius secundum carnem, sed secundum spiritum ambulemus.* Rom. VIII. 4. Tota scriptura dicit, Christum pro peccatis nostris & propter peccata nostra mortuum esse, ut eorum remissio per fidem nobis contingeret; nusquam autem dicit, Christum esse passum pro bonis operibus nostris, ut tantam illis vim atque efficaciam impetraret, qua coram Dei judicio subsistere possint. Ambrosius in comm. Rom. VIII. *Ideo dicit damnatum peccatum, ut impleretur in nobis justificatio legis datae a Mose. Sublati enim de conditione legis facti sumus amici ejusdem, justificati enim amici legis sunt. Quomodo autem impletur in nobis justificatio, nisi cum datur remissio omnium peccatorum? ut sublatis peccatis justificatus adparet mente serviens legi Dei.* 2.) *Voluntas* quidem *Dei est sanctificatio nostra*, 1 Thess. IV. 3. interim & hæc Dei voluntas, ut *videns Filium & credens in eum, habeat vitam aeternam* Joh. VI. 10. Utrumque igitur petimus, ut justificatio nobis contingat per fidem in Christum, & ut renovatio & sanctificatio nostra quotidie crescat, ideo in ipsa oratione dominica peccatorum remissionem petimus, qua certe non indigeremus, si voluntas Dei in lege patefacta perfecte a nobis impleretur. 3.) Vere Christus obedientibus factus est αἴτιος salutis æternæ, Hebr. V. 9. sed notandum, quod dupliciter Christo obedire dicimur; a.) vera in ipsum fide Rom. I. 5. εἰς ὑπακοὴν πίστεως Rom. XV. 18. *Non audeo quicquam loqui eorum, quae per me effecit Christus in obedientiam gentium.* Hac fidei obedientia coram Deo justi sumus, ideo 1 Petr. I. 2. obedientiæ conjungitur *adspersio sanguinis Christi.* b.) Obedire dicimur Christo in operibus bonis Act. V. 29. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Rom. VI. 12. *Non regnet peccatum in corpore vestro, ut obediatis concupiscentiis ejus.* v. 16. *Cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis &c.* Hæc operum obedientia in hac vita nondum est numeris omnibus absoluta & in contaminata.

5. Fructus Spiritus S. non accusantur a lege.

§. CC. V.) Omnes vere justificati habent Spiritum S. qui parit suos fructus Gal. V. enumeratos. Jam vero, qui hos fructus habet, non accusatur a lege, quia *adversus illos non est lex*, & hoc est, quod apostolus dicit, *per legem Spiritus vitae nos liberari a lege peccati & mortis*, Rom. VIII. Resp. 1.) In hac vita tantum *primitias Spiritus accipimus*, Rom. VIII. 23. 2.) Operationes Spiritus S. fiunt in *corpore peccati & mortis*, Rom. VII. 24. ergo pro ratione instrumenti & modulo infirmitatis nostræ perficiuntur. 3.) Proinde indigemus *renovatione de die in diem.* 2 Cor. IV. 16. 4.) Quamvis non ambulemus secundum carnem, sed secundum Spiritum, tamen ex parte adhuc *carnales sumus, venundati sub peccatum*, Rom. VII. 14. 5.) Proinde licet ipsam, ut ita loquar, substantiam fructuum Spiritus lex non accuset, tamen qualitatem, hoc est, imperfectionem eorundem, ut & peccatum in carne renatorum adhuc habitans accusat. 6.) Ideo autem renati liberi sunt ab accusatione legis, quia per fidem sunt in Christo. Rom. VIII. 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*, non quia inhærens vel actualis operum justitia perfectissime cum lege congruit. Ab accusatione legis renatos immunes præstat non inhærens justitia propria, sed Christi justitia per fidem imputata. Ambrosius in comm. *Lex spiritus vitae ipsa est & lex fidei. Nam & lex Mosis spiritualis est, quia prohibet peccare, non tamen vitae, quia reis mortis peccata remittit. non potest, ut vivificet morituros. Haec vero quia & peccare non vult & a morte revocat, lex spiritus vitae adpellatur, non per litteram constans, sed per spiritum, quia corde creditur, & spiritus est,*

quod creditur. Hæc itaque lex in Christo Jesu, hoc est, per fidem Christi, liberat credentem a lege peccati & mortis. Lex peccati est, quam in membris dicit habitare. Lex vero mortis Mosis lex est, quia mortificat peccatores. Hactenus Ambrosius. (*) Hujus loci est illud sophisma: *Opera Dei sunt perfecta.* Deut. XXXII. 4. Sed obedientia renatorum est opus Dei, ergo perfecta. *Resp.* Quædam opera Deus immediate per se ipsum operatur, quæ certe perfectissima sunt, quædam vero in renatis ac per renatos, qui nondum sunt in hac vita penitus renovati, sed sub vetustate carnis ex parte adhuc constituti; in æterna demum vita perfecte consummabitur, quod in hac vita Deus per renovationem operari incipit. Quid enim? Si omnia Dei opera statim perfecta, ex semine non prius frutex, sed perfecta statim arbor nascetur.

6. Renati sunt ex Deo nati.

§. CCI. VI.) Omnes justificati sunt ex Deo nati, sed qui *ex Deo natus est, non peccat, nec potest peccare;* 1 Joh. III. 9. qui non peccat, legem implet. *Resp.* 1.) Aliud est peccare, aliud peccatum habere. Renati non peccant, hoc est, non indulgent concupiscentiis carnis, nec patiuntur in corpore mortali peccatum regnare, interim tamen, *si dixerint, se peccatum non habere, mendaces erunt,* 1 Joh. I. 8. 2.) Quædam sunt peccata ignorantiæ & infirmitatis, quædam vero malitiæ & contra conscientiam. Renati non peccant, hoc est, non indulgent sceleribus contra conscientiam, interim tamen a peccatis ignorantiæ & infirmitatis nondum sunt immunes, Prov. XXIV. 16. *Septies in die cadit justus, & resurgit,* Psalm. XIX. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* 3.) Renatos non peccare intelligendum est cum *reduplicatione*, videlicet, quatenus sunt renati, interim tamen illi ipsi renati adhuc circumgestant carnem, in qua habitat peccatum, quod singulis diebus, imo horis, quin & momentis eos solicitat ad actualia peccata, cujus concupiscentiis si quando obsequuntur, eisque secure indulgent, desinunt esse in renatorum numero, donec vere ad Deum vicissim convertantur. Rom. VIII. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si vero spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis.* Augustinus tractat. V. in epist. Joh. disputat: *Peccatum illud, quod renatus non facit, esse violationem caritatis.* Idem exposit. in epist. ad Galat. *Aliud est non peccare, aliud peccatum non habere. Nam in quo peccatum non regnat, non peccat, id est, qui non obedit desideriis ejus. In quo autem non existunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum. Quod etiamsi ex multis partibus in ista vita possit effici, ex omni tamen parte nonnisi in resurrectione carnis atque commutatione sperandum est.*

Quo fine propugnetur ἀδυναμία perfecte implendi legem.

§. CCII. Neque vero doctrina de impossibilitate legem implendi hoc fine traditur, ut ejus prætextu securitas, ignavia, & adfectata omissio vel alantur, vel excusentur, quo inclinat Becanus tract. de ecclesia q. III. concl. 2. num. 6. scribens: *Doctrina de impossibili impletione legis repugnat sanctitati, & præbet occasionem peccandi. Si enim præcepta decalogi sunt impossibilia, frustra de eorum observatione solicitus sim, frustra caveam a furtis, homicidiis, adulteriis.* Sed 1.) ut agnita virium nostrarum ἀδυναμίᾳ & justitiæ nostræ imperfectione confugiamus ad Christum, qui nos *redemit a maledicto legis, factus pro*

(*) Pererius disp. XVII. in cap. II. Rom. num. 103. pag. 361. tale argumentum texit: *Circumcisio prodest, si legem observes Rom. II. 25. Atqui Abrahæ & aliis sanctis vet. test. profuit circumcisio.* Resp. 1.) Apostoli dictum est conditionale, quod nihil ponit. 2.) Sancti imperfectionem operum suorum agnoscunt, perfectam obedientiam habent in Christo. 3.) Observantia ergo legis, quæ in circumcisione requiritur, non est causa salutis vel nota legis perfectæ impletæ, sed indicium circumcisionis spiritualis recte usurpatæ cum spirituali cordis circumcisione conjunctæ. GERHARDUS.

pro nobis maledictum: Gal. III. 13. *Per quem Deus praestitit, quod erat legi impossibile* Rom. VIII. 3. *ut sit finis legis ad justitiam omni credenti*, Rom. X. 4. Haec gloria perfectae justitiae soli Christo relinquenda est, qui est ὅσιος ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτολῶν. Hebr. VII. 26. Illius justitiam qui ignorant ac repudiant, suam *quaerentes statuere, justitiae Dei non sunt subjecti.* Rom. X. 3. 1) *Primus* igitur hujus doctrinae usus est in articulo justificationis, ne scilicet imperfectam illam & multis modis contaminatam, quam legi praestamus, obedientiam judicio Dei opponamus, sed fide in Christum nos justificari discamus. 2.) *Alter* hujus doctrinae usus est in articulo de bonis operibus, ut discamus, non posse naturalibus liberi arbitrii viribus sinceram & veram obedientiam legi debitam inchoari, sed per Spiritum sanctum *legem Dei in corda nostra scribi* oportere, Jer. XXXI. 33. ut non externam tantum qualemcunque, sed etiam interiorem obedientiam & quidem spontaneo spiritu & ex animo praestare incipiamus. Vicissim, cum a perfectione illa, quam lex requirit, inchoata obedientia adhuc procul absit, ideo de ea coram Dei judicio non possumus gloriari, sed fateri cogimur, *omnes nostras justitias esse quasi pannum mulieris menstruatae*, Esa. LXIV. 6. *& cum omnia fecerimus, nos tamen servos inutiles esse*, Luc. XVII. 10. 3) *Denique* ut sciamus inchoatam illam renatorum obedientiam ideo Deo placere, quia proficiscitur ex fide in Christum, per quam tegitur ejus imperfectio & adhaerens vitium, non autem quia perfecte legi satisfacit.

Usus legis triplex.

§. CCIII. Quamvis vero legem Dei non possimus perfecte in hac vita implere, & ex ea coram Deo justificari, usus tamen ejus longe maximus est & dignissimus, 1 Tim. I. 8. καλὸς ὁ νόμος, ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται. Sequemur autem vulgatam illam enumerationem in libris ecclesiarum nostrarum symbolicis receptam, qua triplex usus legis sta-

1. *Politicus.* tuitur: 1) πολιτικὸς seu paedagogicus, ut regat τὸ ἐπιθυμητικὸν, ac coërceat homines nondum renatos, ne in manifesta scelera prorumpant, quibus societas, honestas & tranquillitas humanae vitae turbetur, sed in externo obsequio hoc legis freno contineantur. 1 Tim. I. 9. *Lex justo non est posita, sed injustis & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, patricidis & matricidis, homicidis* v. 10 *fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris.* Quamvis enim externa illa nondum renatorum disciplina, *cum non fit ex fide, peccatum sit*, Rom. XIV. 23. ac proinde personam non reddat Deo gratam & acceptam, cum *sine fide impossibile sit Deo placere*, Hebr. XI. 6. severe tamen a Deo flagitatur & exigitur, quin & corporalibus praemiis remuneratur, ut politica societas conservetur, & homines de Christo doceri possint. Hieronymus in q. ad Algasiam. 8. *Lex data est, ut peccatorum venena monstret, & hominem male libertate sua abutentem, qui prius ferebatur improvidus, & per praecipitia labebatur, freno legis retineat, & compositis doceat incedere gressibus, ita, ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literae.* D. Lutherus in comm. III. Gal. tom. IV. latin. fol. 99. b. *Primus intellectus seu usus legis est, coërcere impios. Diabolus enim regnat in toto orbe terrarum, & impellit homines ad omnis generis flagitia. Ideo ordinavit Deus magistratus, parentes, praeceptores, leges, vincula & omnes ordinationes civiles, ut, si non possint amplius efficere, revinciant saltim diabolo manus, ne pro libidine sua ita saeviat in suis. Sicut ergo hominibus obsessis, in quibus diabolus potenter regnat, vincula & catenae injiciuntur, ne quem laedant, sic toti mundo, qui est obsessus a diabolo, & praeceps fertur in omnia scelera, adest magistratus suis vinculis & catenis, hoc est, legibus cohibens manus & pedes, ne praeceps ruat in omnis generis flagitia. Haec civilis coercitio summe necessaria est & a Deo instituta, cum propter publicam pacem, tum propter omnes res conservandas, maxime vero ne tumultibus & seditionibus ferocium hominum cursus evangelii impediatur.* 2) Θεολογικὸς ἐλεγχτικὸς, *ut peccatum arguat.* Of. VI. 6. lex vocatur *do-*

2. *Theologicus ἐλεγχτικὸς.*

labra. Rom. III. 20. *Per legem est agnitio peccati.* Rom. IV. 15. *Lex iram operatur.* Rom. V. 20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum,* Rom. VII. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces,* Gal. III. 19. *Lex propter transgressiones posita est,* v. 22. *Conclusit scriptura omnia sub peccatum, &c.* De hoc legis usu exstant multa veterum dicta. Ambrosius comm. in III. Rom. *Per legem peccati cognitio, per fidem autem abolitio, ideo sequenda fides est.* Idem in cap. VII. Rom. *Index peccati lex est, non genitrix, reos faciens peccatores.* Idem lib. de fug. secul. cap. 7. *Lex factum damnat, non aufert malitiam.* Cyrillus lib. VIII. in Joh. *Omnes sub lege condemnantur propter peccatum.* Hieronymus in eccles. cap. II. *Lex rigida, inbenigna, non parcens, peccatorem interficiens.* Chrysostomus in c. IV. Rom. *Si ergo lex iram operatur, transgressionisque reos facit, manifestum est, quod & maledictioni faciat obnoxios. Porro qui maledictionis, supplicii, transgressionisque rei sunt, digni certe non sunt, qui haereditatem capiant, sed potius, qui & panas luant & ejiciantur.* In comm. ep. Rom. καὶ αἱ κατηγορίαι, καὶ οἱ ἔλεγχοι διὰ τοῦτο πάντως ἐγένοντο, ἵνα λαμπρὰ ἀνάβασιν ἀνοιγῇ τῆς πίστεως ἡ θύρα. 1 Tim. I. ἐὰν νομίμως χρῆσῃ τῷ νόμῳ, παραπέμπει σε πρὸς χριστὸν, ὅταν γὰρ αὐτὸς σκοπὸς ἢ δικαιῶσαι τὸν ἄνθρωπον, μὴ δυνηται δὲ, παραπέμπει πρὸς τὸν δυνάμενον. Augustinus de pœnit. medic. cap. 1. *Ad hoc data lex est, ut superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo paenitentiam suaderet. Ad hoc data lex est, ut vulnera ostenderet peccatorum, quae gratiae benedictione sanaret. Ad hoc data lex est, ut diceremus etiam in convalle ploralionis,* video aliam legem in membris meis &c. *& succurret nobis exaudiente Deo, qui erigit elisos, & solvit compeditos, illuminat caecos gratia Dei per Jesum Christum.* Idem de actis cum Felice Manich. l. II. c. 11. *Data est lex superbis hominibus & viribus suis totum attribuentibus, ut cum implere non possent legem datam, praevaricatores inventrentur, & factirei sub lege misericordiam peterent a Deo conditore.* Idem epist. CLVII. ad Optatum: *Danda fuerat lex, quae manifestius sibi ipsum ostenderet hominem; ne superbus animus humanus a se ipso se posse esse justum putaret, & ignorans Dei justitiam, id est, quae homini ex Deo est, & suam volens constituere, id est, quasi suis viribus partam, justitiae Dei subjectus non fieret. Oportebat itaque, ut addito mandato, cujus vox est:* non concupisces, *superbo peccatori etiam praevaricationis crimen accederet, atque ita gratiae medicinam non sanata per legem, sed convicta infirmitas quaereret.* epist. CC. ad Asellicum: *Utilitas legis est, ut hominem de sua infirmitate convincat, & gratiae medicinam, quae in Christo est, implorare compellat.* De Spiritu & lit. c. IX. *Per legem ostendit Deus homini infirmitatem suam, ut ad ejus misericordiam per fidem confugiens sanaretur.* cap. XIII. *Lege operum dicit Deus, fac, quod jubeo, lege fidei dicitur Deo, da, quod jubes, ideo enim jubet lex, ut admoneat, quid faciat fides, &c.* cap. XVII. *Velamen positum est in lectione vet. test. donec ad Christum transeatur & auferatur velamen, id est, transeatur ad gratiam, & intelligatur, ab ipso nobis esse justificationem, qua facimus, quod jubet, qui propterea jubet, ut in nobis deficientes ad illum confugiamus.* In Ps. LXXXIII. *Data est lex hominibus, non quae salvaret eos jam, sed per quam cognoscerent, in qua aegritudine jacebant &c. Data est lex, ut aegrum de morbo convinceret, qui sibi sanus videbatur, ut peccata demonstrarentur, non ut auferrentur.* Bernhardus serm. II. in vig. nat. col. 53 seq. *Propterea mandata sua mandavit custodiri nimis, ut videntes, imperfectionem nostrom deficere & non posse implere, quod debet, confugiamus ad misericordiam & dicamus, quoniam melior est misericordia tua super vitas.* Serm. L. in Cant. col. 642. *Deus mandando impossibilia non praevaricatores homines facit, sed humiles,* ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus coram Deo, *quia* ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram ipso. *Accipientes quippe mandatum, & sentientes defectum, clamabimus*

in

in cœlum, & miserebitur nostri Deus, &c. De hoc usu legis sæpissime Lutherus tom. IV. opp. lat. p. 101. præsertim in comm. epist. ad Gal. c. III. *Lex ostendit hominem sibi ipsi, quod sit peccator, ergo reus mortis & dignus aeterna ira. Ad quid prodest ista humiliatio, contusio & contritio per istum malleum, legem scilicet? Ad hoc prodest, ut gratiae pateat ad nos aditus. Sic ergo lex ministra & praeparatrix est ad gratiam.* pag. 110. *Lex est carcer spiritualis & vere infernus, quia cum revelat peccatum, minatur mortem & aeternam Dei iram, homo non potest effugere, nec consolationem invenire, &c.* Hoc suum officium lex exsequitur, non externa tantum, sed interiora peccata, imo absconditam naturæ pravitatem accusando, peccati atrocitatem manifestando, contritionem operando, & suis verberibus ad Christum compellendo, uti passim Lutherus docet.

3. *Theologicus διδακτικὸς.*

3) *Tertius* legis usus est θεολογικὸς διδακτικὸς, quo instruit renatos, quæ sint vere bona opera, in quibus ambulare debeant, ac Deo placere possint. Quemadmodum enim equus indomitus freno coërcetur & constringitur, domitus vero equus eodem freno dirigitur, ut intra metas recti itineris juxta arbitrium sessoris retineatur: ita lege Dei intractabiles homines coërcentur, regenerati vero ea diriguntur & retinentur intra metas eorum operum, in quibus juxta Dei voluntatem debent ambulare, qua similitudine Cyrillus utitur, qui lib. III. contra Julian. f. 53. *Quemadmodum*, ait, *equis conducunt frena, ut bene currant, & ornamenta sunt, & sicut navibus gubernacula, per quae ad rectum scopum contendant, ita & hominibus lex utilis est.* Ezech. XX. 19. *In praeceptis meis ambulate.* Jer. XXXI. 33. *Scribam legem in corda eorum, &c.* Rom. III. 31. *Num legem destruimus per fidem? absit, sed legem stabilimus.* Rom. XIII. 8. *Qui proximum diligit, legem implevit.* Primam legis usum tantum ad non renatos pertinere volunt, quod intelligendum cum restrictione illa, quatenus credentes sunt renati ac renovati: cum enim renati itidem ex parte adhuc carnales sint, ideo ipsis quoque frenum legis necessarium est, ut caro cum suis concupiscentiis coërceatur, ne in externa delicta prorumpat, & spiritum sessorem excutiat. Lutherus in cap. III. Gal. tom. IV. latin. p. 114. *Propter carnem adhuc opus est renatis paedagogo, qui fortem asinum exerceat & vexet, ut hac paedagogia minuantur peccata, & Christo via paretur. Christus enim, ut semel secundum tempus corporaliter venit, totam legem abrogavit, peccatum abolevit, mortem & infernum destruxit, ita spiritualiter sine intermissione ad nos venit, & ista perpetuo in nobis exstinguit atque occidit.*

Antinomorum error impugnatur.

§. CCIV. Triplex iste legis usus liquide ostendit, repudiandum esse *antinomorum* furorem, qui legem Dei moralem ex ecclesia proscribendam & eliminandam censent, quibus opponimus hunc syllogismum: quicquid a Deo ipso solenniter promulgatum, a prophetis & apostolis, imo Christo ipso repetitum atque auditoribus inculcatum, & cujus tractatio non solum utilis, sed & necessaria est, illud ex ecclesiæ pomœriis neutiquam proscribendum. Lex moralis 1) ab ipso Deo in monte Sinai solenniter promulgata: Exod. XX. 2) ab omnibus prophetis repetita, quippe qui præter explicationem promissionis gratiæ fuerunt etiam interpretes legis, quod ἔνδηλον: 3) a Christo ipso & apostolis in nov. testam. auditoribus inculcata Matth. V. 17. *Non veni solvere legem, sed implere.* Rom. III. 3. *Legem non destruimus per fidem, sed stabilimus:* 4) utilitatem habet cum quadam necessitate conjunctam, siquidem non renatos in externa disciplina coërcet, accusando peccatum ad Christum nos compellit, renatis normam bonorum operum præscribit, carnis vetustatem in eis arguit, imperfectionem & immunditiem inchoatæ ipsorum obedientiæ adhærentem accusat, ne vel ad arcanos raptus, vel ad carnis licentiam, vel ad ἐθελοθρησκείας vel ad justitiæ propriæ persuasionem ferantur. Breviter dicendo, nisi doctrina legis pura, integra atque illibata in ecclesia conservetur, nec articulo de justificatione,

nec

nec doctrinæ de bonis operibus, nec orthodoxiæ de peccato & libero arbitrio sua constabit puritas & integritas.

Argumenta antinomorum.

§. CCV. Quæ firmando errori suo fulcra adhibent antinomi, facili negotio subruuntur. I.) *Justo non est lex posita*, 1 Tim. I. 9. renati sunt justi. *Resp.* Nec omnes, qui in externo ecclesiæ consortio sunt, renati & renovati sunt, nec illi, qui renati & renovati sunt, ab omni carnis vetustate liberati sunt. Justis non est lex posita, quatenus a maledictione legis per fidem in Christum liberi sunt, & ex fide spontaneam legi obedientiam præstare incipiunt, interim illi ipsi justi sunt ex parte *adhuc carnales & sub peccatum venundati*; Rom. VII. 14. ideo indigent legis speculo, in quo peccati sordes ipsis adhuc adhærentes conspiciantur, & norma in bonis operibus sectanda præscribatur. Justis igitur non est lex posita ratione primi usus, quatenus Spiritus sancti ductu spontaneam legi obedientiam præstant, nec legis verberibus indigent. Deinde respectu condemnationis, quo sensu quidam statuunt ab apostolo dictum: νόμος δικαίῳ κεῖται, non autem δικαίῳ τίθεται, quæ loquendi formula usurpari videtur hoc sensu Matth. III. securis ad radicem arboris posita est. Bernhardus ep. 11. *Apte non dicitur: Justi non habent legem, aut justi sunt sine lege, sed* justis non est lex posita, *hoc est, non tanquam invitis imposita, sed voluntariis, eo liberaliter data, quo suaviter inspirata, unde & pulcre Dominus:* Tollite jugum meum super vos, *ac si diceret: non impono invitis, sed vos tollite, si vultis, alioquin non requiem, sed laborem invenietis animabus vestris.* II.) *Renati non sunt sub lege*, Rom. VI. 14. *Liberati sunt a lege*, Gal. IV. 5. Ergo non indigent doctrina legis. *Resp.* Non sunt sub lege, quoad maledictionem ac condemnationem legis, Rom. VIII. 1. *Nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo.* Deinde quoad rigorem legis, cui gratia opponitur, interim tamen *libertatem illam non debent dare in occasionem carnis, sed per charitatem servire invicem*, Gal. V. 13. Jam vero *omnis lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* v. 14. Ergo ab obedientia legi præstanda non sunt liberi. III.) *Renati aguntur Dei Spiritu*, Rom. VIII. 14. Ergo non indigent calcari legis. *Resp.* Renovatio Spiritus non tollit in renatis omnem vetustatem carnis, sed manent vetus & novus homo, exterior & interior, caro & Spiritus. Caro igitur freno & calcari legis indiget, freno quidem, ne ruat in externa delicta, calcari autem, ut ad serviendum & obsequendum spiritui exstimuletur. Quid? quod Spiritus sanctus regit quidem & agit renatos, non tamen immediate, sed utitur verbo tanquam organo, ideo ex lege bonorum operum norma petenda est, in quibus renati ambulent, quo pertinet integer psalmus CXIX. IV.) Si renati adhuc sub lege essent, ipsorum opera non evangelio, sed legi accensenda forent. *Resp.* Bona opera renatorum pertinent ad legem ratione *objecti*, quia lex est norma & regula istorum operum, ad evangelium ratione *causæ efficientis*, quia per evangelii prædicationem datur Spiritus renovationis, cujus fructus sunt bona renatorum opera. Gal. V. 22. Ex his reliqua facile dijudicari possunt.

Usus legis latius exponitur.

§. CCVI. Quæ de usu legis dicta sunt, latius diduci & explicari possunt hoc modo: 1) Lex est speculum justitiæ, sanctitatis & perfectionis divinæ; id sic declaro. Deus Pater ab æterno genuit Filium, in quo plene & perfecte relucet ipsius imago. Col. I. 15. *Filius est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*, Hebr. I. 3. est ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, quod breviter sic effertur: Filius Dei est imago Patris substantialis, ergo ut Pater est æternus, omnipotens, justus, perfectus; ita quoque Filius est æternus, omnipotens, justus, perfectus: nimirum, quia est substantialis & perfecta Patris imago. Quamvis vero ab æterno Deus Pater hanc sui imaginem, Filium dico, genuerit, tamen ex ὑπερβολὴ ἀγαθότητος suæ voluit etiam aliam sui imaginem exstare, non quidem substantialem, sed

sed accidentalem, hominem igitur (ut & angelos) *creavit ad imaginem & similitudinem suam*, Gen. I. 27. quæ juxta interpretationem apostoli definienda est *justitia & sanctitate vera*, Eph. IV. 24. Propter hanc Dei imaginem in se relucentem homo conformis erat creatori suo. Sicut Deus est justus, bonus, sanctus, misericors: ita quoque homo ad Dei imaginem creatus erat justus, bonus, sanctus, misericors. Nec tamen eo perfectionis gradu homo erat justus, bonus, sanctus, misericors, quo Deus, siquidem non erat substantialis Dei imago, sed creatus ad Dei imaginem; poterat igitur illam Dei in se relucentem imaginem amittere, quia erat in ipso accidens, sicut etiam per lapsum, proh dolor! eam amisit, tenuibus saltim reliquiis adhuc residuis. Deus igitur aliam suæ justitiæ & sanctitatis imaginem nobis proposuit in ipsa lege: quales enim in lege nos esse vult, ab omni scilicet peccati labe immunes, contra vero luce justitiæ & sanctitatis radiantes, talis ipse est, sed modo longe perfectiori, imo plane singulari, cum illa Dei imago, in lege proposita, ne quidem dignitatem ejus imaginis, quæ in primo homine fulgebat, adsequatur, siquidem imago Dei in primo homine fulgens erat viva & interior, sed imago illa Dei, quæ in lege proponitur, est exterior & literarum apicibus ἐκτυπωμένη. Quare cum ex lege ad instaurationem imaginis divinæ in semet ipso suis viribus homo non possit adspirare, ideo misit Deus Filium suum in mundum, qui cum ratione divinæ naturæ sit substantialis Dei Patris imago, in adsumta carne sua imaginem Dei perfectissimo modo relucentem exhiberet, eandemque per fidem & Spiritum renovationis in nobis instauraret. Is non solum purus, sanctus, ab omni ingenita peccati labe immunis inde a primo conceptionis momento fuit, sed & perfectam obedientiam legi præstitit, quam per fidem nobis donat, & per Spiritum sanctum imaginem Dei in nobis reparare incipit, perfecte autem in vita æterna eam in nobis consummabit. 2.) Lex est speculum primævæ hominis justitiæ. Quales enim Deus in lege nos esse vult, talis erat primus homo in concreata sua integritate & justitia. Quicquid exterius in lege nobis præscribitur, id in corde hominis interius vivis literis scriptum erat. Jubet lex, ut Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligamus, talis dilectio fulgebat in corde primi hominis, nulla, ne minima quidem, pravarum concupiscentiarum vel inordinati amoris fuligine contaminata; hinc propter qualescunque divinæ imaginis in homine reliquias *opus legis in cordibus gentilium scriptum esse* pronunciat apostolus Rom. II. 15. Atqui cum lex Dei cordi primi hominis inscripta atque insculpta fuerit, quare specialem illam de non comedendo vetitæ arboris fructu legem Deus ipsi prohibuit? *Resp.* Ad exercitium obedientiæ summo creatori debitæ proponebatur, siquidem imago illa Dei, ad quam primus homo conditus erat, complectebatur non solum justitiæ & sanctitatis veritatem, sed etiam arbitrii libertatem, illam igitur in externo quodam objecto exerceri oportuit. Athanasius serm. de incarn. verbi pag. 39. *Deus ad suam ipsius imaginem hominum genus effiguravit, deditque illis suae rationis dotem, ut veluti umbras quasdam ac lineamenta* (σκιὰς τινὰς) *rationis possidentes rationalesque effecti perseverare possent in beatitudine, viventes veram & re vera sanctorum in paradiso vitam; animadvertens rursum arbitrium defectumque hominis* (legendum potius delectum δυναμένην προαίρεσιν) *utroque vergere,* (εἰς ἀμφότερα νεύειν) *mature hanc gratiam, quam ipsis dederat, legis & loci praesidio communitam voluit.* 3.) Lex est speculum corruptionis per lapsum protoplastorum in naturam humanam introductæ. *Per unius obedientiam peccatores constituti sunt multi;* Rom. V. 19. hoc est, primus homo debitum obedientiæ tributum Deo denegans, ac datam legem transgrediens, peccatum in mundum introduxit, cujus ratione *natura omnes homines sunt filii irae*, Eph. II. 3. *venundati sub peccatum*, Rom. VII. 14. a quo ne ipsi quidem renati in hac vita penitus liberantur: quamvis enim *delectentur lege Dei secundum interiorem hominem* per Spiritum renovatum Rom. VII. 22. *vident tamen aliam*

legem, in membris suis repugnantem legi mentis, & captivantem eos in lege peccati, quae est in membris ipsorum. v. 23. Propter illud ἀντιστρατεύειν semper nitimur in vetitum. Lex jubet, ut Deum ex toto corde diligamus, ipsi confidamus, eumque timeamus, sed homines natura fugiunt Deum, vera in ipsum fiducia ac timore destituti. Lex jubet, ut proximum diligamus, tanquam nos ipsos, sed homines natura propensi sunt ad quærendum suum commodum & suum honorem. Lex prohibet, ne concupiscamus, *sed ex corde hominis*, tanquam ex venenato fonte, *exsurgunt pravae concupiscentiae, quae ipsum coinquinant*, Matth. XV. 19. 4.) Lex est speculum perfectissimæ illius, quam Christus mediator nostri loco præstitit, obedientiæ. Christus non solum natus est sanctus, Luc. I. 35. sed & toto suæ in his terris conversationis tempore sanctis operibus vitam transegit, perfectissimam ac numeris omnibus absolutissimam legi obedientiam præstans, adeo, ut ne quidem *jota unum aut unus apex praeterierit, quem non impleverit*, Matth. V. 18. hinc vere dicere potest: Matth. XI. 29. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Sancta Christi vita est perfectissima pietatis & virtutum omnium regula, quicquid exterius lex præscribit, id in Christi corde interius fulsit, omnes ipsius actiones, omnes sermones exactissime congruerunt cum norma divinæ legis, siquidem *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Esa. LIII. 9. 1 Petr. II. 22. 5.) Lex est speculum vitæ piæ & sanctæ a renatis ducendæ. Christus donat credentibus suam justitiam, quæ per fidem ipsis imputatur, huic justificationis & regenerationis beneficio nexu individuo conjuncta est renovatio, per quam credentes spiritu mentis suæ ad imaginem Dei reformari incipiunt, ut sint *zelotae bonorum operum*, Tit. II. 14. Deoque *serviant in justitia & sanctitate*, Luc. I. 75. Horum operum, hujus justitiæ & sanctitatis, cui renati studere debent, perfectissima norma in lege divina proponitur, adeo, ut novis mandatis ac nova evangelica lege ipsis minime opus sit. Psalm. XIX. 8. *Lex Jehovae perfecta est.* Deut. IV. 2. XII. 32. *Quod praecipio tibi, hoc tantum facias, non addas quidquam nec detrahas;* inde Eph. II. 10. dicitur *Deus praeparasse illa opera, in quibus pii ambulare debent.* Quæ de consiliis perfectionis in nova lege a Christo additis disputantur, solido destituuntur fundamento, ut suo loco adparebit. Non opponit Christus explicationem suam Matth. V. doctrinæ Mosaicæ, sed corruptelæ pharisaicæ; non legi propheticæ, sed glossæ erroneæ ac hæreticæ. 6.) Lex est speculum perfectionis in vita æterna exspectandæ. Renati in hac quidem vita incipiunt legi divinæ sinceram obedientiam præstare, sed hæc ipsorum obedientia non est modis omnibus perfecta, in futura autem vita numeris omnibus absoluta erit. Quemadmodum in vita æterna ipsorum corpora erunt σύμμορφα glorioso Christi corpori, Phil. III. 21. ita quoque spiritu mentis suæ plene & perfecte erunt renovati, ab omni vetustate carnis exuti, ad imaginem Dei perfecte reformati: 1 Joh. III. 2. *cum adparuerit, similes ei erimus.* Qua de re pulcerrime scribit Nazianzenus orat. IV. de theol. μηκέτι πολλὰ ὄντες ὥσπερ νῦν τοῖς κινήμασι καὶ τοῖς πάθεσιν, ἀδὲν ὅλως θεὸν ἢ ὀλίγον ἐν ἡμῖν αὐτοῖς φέροντες· ἀλλ' ὅλοι θεοειδεῖς, ὅλα θεῦ χωρητικοὶ καὶ μόνα, τοῦτο γὰρ ἡ τελείωσις, πρὸς ἣν σπεύδομεν. *Non amplius multa exsistentes ut nunc, variis animorum motibus & adfectibus jactati, nihil omnino Dei aut parum in nobis habentes, sed toti Deo similes & conformes, totius ac solius Dei capaces futuri sumus; haec enim est perfectio, ad quam tendimus.* Hinc Augustinus toties repetit præceptum de dilectione in futura demum vita perfecte impletum iri, ubi nulla amplius erit concupiscentia refrenanda.

Obediendum esse legi.

§. CCVII. Omnino autem hæc obedientia legi debita in hac vita a renatis est inchoanda, siquidem scriptura vere credentes ac renatos hoc modo describit, quod caveant externos lapsus & peccata contra conscientiam; quod ambu-

ambulent in bonis operibus, & præstent externam obedientiam legi congruentem; quod per Spiritum sanctum inchoentur in eis novi motus in corde, mente, voluntate, & omnibus membris juxta singula præcepta; quod Spiritu, id est, novis illis viribus a Spiritu sancto donatis repugnent pravis concupiscentiis, ac carnem suam mortificent: sed quia in hisce omnibus non tantum præstant, quantum lex exigit, ideo agnoscunt immunditiem ac infirmitatem sibi suisque operibus adhærentem, statuunt, fide, non autem suis operibus, se coram Deo justos esse, petunt peccata sua tegi, seque Spiritu sancto regi, & prælucente hac fide & vero Dei timore bona operantur. Huc pertinet observatio Lutheri, quod lege Dei νομίμως hoc modo utamur, 1.) si diebus singulis expendamus, quid in ea a nobis requiratur: 2.) Si gratias Deo agamus, quod Filium redemtorem miserit, qui a maledicto legis nos liberavit. 3.) Si peccatorum, quibus legem transgressi sumus, confessionem subjiciamus, eorumque condonationem per Christum speremus. 4.) Si addamus precationem, ut Spiritu suo in operibus bonis ferventes nos faciat, ac legem suam in cor nostrum scribat. Κελεύσματα illa, quæ ad obedientiam legi præstandam nos invitare debeant, hoc ordine enumerat Chemnitius de lege cap. VIII. p. 255. *a)* Vera fides cupit a peccatis liberari, erit igitur indefessa hortatrix ad vitanda peccata & præstanda bona opera. *b)* Cum fide datur Spiritus sanctus, qui nos impellit ad bonum, cavendum igitur, ne hunc hospitem contristemus vel excutiamus. *c)* Dilectio Dei tot beneficiis erga nos declarata a nobis impetrare debet, ut Deum diligamus, & mandata ejus custodiamus; amantis enim natura est, amato obsequi. *d)* Ex timore filiali solicite cavendum, ne Deum, benignum illum Patrem, offendamus. Atqui ut dilectio proponit sibi Dei beneficia, promissiones & exempla præmiorum, quibus interior homo blande invitetur ad obedientiam præstandam: ita timor filialis proponit sibi Dei iram, comminationes & exempla pœnarum, quibus exterior homo coerceatur ac refrenetur. Media, quibus ad sinceram obedientiam deducimur, sunt, auditus ac meditatio verbi, seriæ preces, fuga occasionum peccandi &c. Psalm. I. 2. *Beatus, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte.* Psalm. CXIX. 11. *In corde meo abscondi eloquium tuum, ne peccem tibi.* Deut. VI. 6. *Verba, quae praecipio tibi, erunt in corde tuo*, v. 7. *Repetes ea filiis tuis, loqueris de eis, quando sedebis in domo tua, quando ambulabis per viam, quando jacebis in lecto, & quando surges.* v. 8. *Ligabis ea in signum in manu tua &c.*

§. CCVIII. Atque hæc dicta sint de *lege morali*, quam si quis exacte definire velit, respiciat potissimum ad hæc membra: 1.) Quod sit doctrina cœlestis & divina, non in monte Sinai primum tradita, sed in creatione patefacta, postea vero solenniter repetita, ac per prophetas & apostolos declarata. 2.) Quod sit æterna & immota justitiæ regula, nulli mutationi vel abolitioni obnoxia: qua ratione non ab humanis solum legibus, sed & ceremonialibus ac forensibus Mosaicis distinguitur. 3.) Quod non solum externorum operum regula sit, sed & cogitationum, imo totius naturæ integritatem, hoc est, perfectam, interiorem & exteriorem obedientiam requirat. 4.) Quod promittat quidem benedictionem & vitam, hoc est, corporalia & spiritualia, hujus & æternæ vitæ præmia, sed sub conditione perfectæ obedientiæ. 5.) Quod propter naturæ corruptionem per peccatum introductam nemo hominum perfectam illam obedientiam in hac vita legi præstare possit, unde promissiones legis nobis redduntur inutiles. 6.) Quod respectu corruptæ naturæ sit judicium universale accusans & condemnans homines, ideoque compellat nos ad Christum, qui est finis legis ad justitiam omni credenti. 7.) Quod sit norma bonorum operum, in quibus renati ambulare debent. Hæc omnia vel certe potiora complectitur Philippea definitio: *Lex moralis* *Definitio legis moralis.*

est æterna & immota sapientia & regula justitiæ in Deo, discernens recta et non recta, et patefacta est hominibus in creatione, et postea sæpe repetita & declarata voce divina, ut sciamus, quod sit Deus, et qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans, ut omnes sint conformes Deo, ac damnans & destruens omnes non conformes, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium mediatorem, cui cum Patre & Spiritu sancto sit honor, laus & gloria in secula, Amen!

APPENDIX.

His, quæ de lege Dei morali copiose atque erudite heic disseruit b. GERHARDUS, supplementi loco pauca de legibus divinis positivis universalibus subjungemus. Intelliguntur vero hocce nomine eæ leges, quæ *ex libero supremi numinis arbitrio profluxere, omnibusque hominibus fuerunt publicatæ, mediante revelatione, nec intercedente luminis naturæ dictamine*. In hancce classem referunt nonnulli *I)* mandatum de non comedendo ex arbore veritæ, quod, ex eorum mente, non tantum primos nostros parentes, sed omnes etiam eorum posteros respexit. *II)* sacrificiorum observantiam; *III)* præceptum de sabbato; *IV)* interdictum polygamiæ *Gen. II.* 22. coll. cum *Matth. XIX. V)* gradus matrimoniales prohibitos *Lev. XVIII. VI)* legem de homicidis capitaliter puniendis, *Genes. IX.* 6. ac denique *VII)* præceptam fidem in Christum, *1 Joh. III.* 23.

Historiam harum legum delineavit JAC. FRID. LUDOVICI, in *delineatione juris div. nat. & positivi universalis*. Add. b. BUDDEUM, in *hist. jur. nat.* §. *XLIII.* Vestigia earum deprehenduntur apud theologos nostrates, DANNHAUERUM, DORSCHÆUM, SCHERZERUM, CALOVIUM, aliosque. In naturam vero atque indolem istarum legum adcuratius inquisivit CHRIST. THOMASIUS, JCtus Halensis, in *institut. jurisprud. div. libr. I. cap. II. p. 63. seqq.* nec non in *dissertat. de crimine bigamiæ*. Sed idem vir doctus, qui primus fundamenta hujus systematis jecit, idque dilucidius exponere adnisus est, primus quoque fuit, qui hocce systema rursus subruere conatus est, non tantum in *fundamentis jur. nat. & gent.* passim, sed etiam in *observat. Halens. tom. VI. obs. XXVII. p. 279 seqq.* cujus exemplum secutus est laudatiss. BUDDEUS, in *theol. morali, p. m. 369. seqq.* qui leges istas positivas universales ad *naturales hypothesicas* retulit. Non defuerunt tamen ex altera parte, qui harum legum defensionem in se susceperunt, veluti HOCHSTETTERUS, in *collegio Fusendorf. p. 135. seqq.* & JO. ANDR. GRAMMLICHIUS, in *2 indiciis legum divinar. positiv. universal.* Francof. & Lipf. *MDCCXVI. 4.* editis; quibus WEBERUS, BEYERUS, ROSLERUS, b. cancell. PFAFFIUS, aliique addi merentur.

Qui philosophiæ recentioris placita hodie sequuntur, ea, quæ olim ex sola lege positiva comprobari posse plerique existimabant, ex ipso jure naturæ derivandum esse censuerunt. Viam iis hac in re præivit ill. WOLFIUS, cujus vestigia pressit b. CANZIUS noter, in *usu philosoph. Leibnitianæ ac Wolf. in theolog. cap. XI.* §. *XXI. p. 470. seqq.* itemque in *disciplinis moralibus omnibus*, §. *378. seqq. p. m. 1144.* nec non in *compendio theolog. p. 137 seqq.* alibique passim. Ad sententiam laudatiss. CANZII proxime accedit DAN. WYTTENBACHIUS, vir doctissimus, in *tentamine theologiæ dogmat. tom. III.* §. *1405. p. 1291. seqq.* Ut alios taceamus.

Quænam nostra de hocce argumento sit sententia, eundo per certas positiones, paucis jam exponemus. Sit itaque thesis *I)* non dantur leges divinæ positivæ universales, quæ *a nudo* DEI *arbitrio* essent profectæ. Quum enim Deus sit legislator sapientissimus, nihil præcipit vel vetat eam tantum ob rationem, quia *vult*, nec ob suam utilitatem fert leges, siquidem nulla re indiget, nec tantum ad ostendendam suam auctoritatem, quod solo homine dignum, sed ob utilitatem totius generis humani publicam. Proinde, quod *II)* notamus, leges istæ universales innituntur rationibus objectivis, in rerum, circa quas voluntas Dei versatur, natura fundatis, hocque respectu, & secundum *radicem* suam, recte dicuntur NATURALES. Nec *III)* obstat huic sententiæ, quod rationes istæ objectivæ nobis non semper satis sint cognitæ atque perspectæ. Nam si vel maxime hoc concederemus, nullum tamen foret dubium, dari omnino ejusmodi rationes a communi hominum utilitate desumtas. Nam nec regis humani subditum dubitare decet, quin lex a sapienti principe lata ad utilitatem publicam spectet, licet quanam id fiat ratione, non satis perspectum habeat. Nec, quod *IV)* notamus, objici heic potest, etiam leges divinas *particulares*, cerimoniales nimirum & forenses, rationibus objectivis pariter esse superstructas; rationes enim, quibus hæ leges innituntur, non a natura hominum *universali*, sed *particulari* duntaxat gentis ebrææ, ejusque indole plane speciali erant desumtæ. Illud etiam *V)* probe notandum, nonnullas leges divinas easdemque *universales* supponere *factum* quoddam, propter quod leges istæ latæ sunt. Quum vero factum istud ex lumine naturæ cognitum haud sit, sed ex sola revelatione constet, facile intelligitur, ejusmodi leges POSITIVARUM titulum jure meritoque gerere. Ita verb. grat. præceptum de celebrando sabbato innititur facto rationi sibi relictæ ignoto, sed ex revelatione cognito, nimirum creatione hujus universi septimo die absoluta, *Exod. XX. 11.* Proinde *VI)* lex positiva universalis MEDIA inter *naturalem* & divinam *particularem*, interjacet, prout recte observavit b. CANZIUS, quem supra jam laudavimus. Nec *VII.)* prætermittendum heic est, eas subinde leges pro naturalibus atque universalibus venditari, quæ duntaxat juris divini positivi sunt, adeoque ad leges particulares pertinent. Ex quibus præceptum de *sacrificiis* heic adlegasse sufficiat. Denique *VIII)* & hoc addimus, leges quasdam, speciatim eas, quæ ad causas matrimoniales *Lev. XVIII.* recensitas pertinent, ita esse comparatas, ut rectius ad leges *naturales*, quam *positivas* referri mereantur. Licet enim nonnulli gradus matrimoniales *loc. cit.* prohibiti, juri naturæ *sociali*, quod officia tantum erga alios, ex ratione præscribit, haud repugnent; adversantur tamen juri naturali *superioris gradus*, quod, præter officia in alios, regulas quoque honestatis, de rectitudine animi, legesque decori præscribit. Qua de re in adnotationibus nostris ad locum *de conjugio* suo tempore uberius differemus.

CONSPE-

CONSPECTUS
LOCORUM
CAPITUM ET CONTENTORUM
IN TOMO HOC V. OCCURRENTIUM.

LOCUS XI.
DE PECCATIS ACTUALIBUS.

Proœmium.

Indicatur *nexus* hujus loci cum præcedente. §. I.

CAP. I.
De Peccati Actualis Natura.

Nominis peccatorum *actualium* ratio traditur, & *Auguſtini* definitio laudatur, & contra *Bellarminum* defenditur, præcipue quoad notionem *voluntarii*. §. II. III.
Adferuntur definitiones *Johannis* apoſtoli, Phil. *Melanchtonis*, & *Patrum*. §. IV. V. Subjungitur quoque reſponſio ad quæſt. an omnis ανομια ſit peccatum? §. VI.

CAP. II.
De Peccati Actualis Ονοματολογια.

Docetur *etymologia* vocum *peccare*, αμαρτια, παραβασις. §. VII.
Adlegantur *ſynonyma* & in textu *hebræo* & apud *LXX. Interpretes*, nec non in *N. T.* occurrentia. §. VIII. IX. quorum *differentia* traditur §. X.
Peccati *homonymia* declaratur. §. XI.
Adferuntur *atroces peccati deſcriptiones* a Patribus traditæ. §. XII.
Denominationes peccati *ſcripturariæ* exhibentur. §. XIII.

CAP. III.
De P. A. Cauſſis & Effectibus.

Peccatorum actualium *cauſſæ tres* adferuntur & ulterius declarantur, additis etiam cauſſis *per accidens*. §. XIV — XVI.
Effectus peccatorum actualium varii exhibentur, additis etiam illis, qui *per accidens* illis adhærent. §. XVII. XIIX.

CAP. IV.
De P. A. Variis Speciebus.

Adferuntur diviſiones actualium peccatorum ratione *cauſſæ efficientis*, *actus* ipſius, *cauſſæ & effecti ſimul*, *ſubjecti*, *objectorum*, *adjunctorum*, *graduum*, *modi*. Subjunguntur etiam diviſiones *ex accidenti*. §. XIX.

CAP. V.
De Peccatis Voluntariis & Involuntariis.

Deſcribuntur peccata *involuntaria* & *voluntaria*, §. XX. utriusque ſpeciei *exemplis* ex Scriptura S. adductis. §. XXI. XXII.
Ignorantiæ ſpecies variæ exhibentur, & gravitas peccati ex deſtinata *malitia* perpetrati docetur. §. XXIII. XXIV.

CAP. VI.
De Peccatis Commiſſionis & Omiſſionis.

Fundamentum hujus peccatorum diviſionis ex multis Scripturæ S. dictis adferitur. §. XXV.
Scholaſticorum de peccato omiſſionis, an ſit illud *voluntarium*, & num *ſpecie* a peccato commiſſionis differat, diſputationes adducuntur, §. XXVI. XXVII.

Cap. VII.

De Peccatis in aversione a Deo & conversione ad creaturas consistentibus.

Utriusque hujus peccatorum speciei *indoles & natura* cum ex *Scholasticorum* effatis, tum ex *Scriptura sacra* docetur. §. XXIIX. XXIX.

Cap. VIII.

De Peccatis, quae simul sunt caussa & pœna peccatorum.

Exsistentia hujus peccatorum speciei ex Augustino & Gregorio probatur, *modus*que quadruplex ex Chemnitio docetur. §. XXX. XXXI.

* In subjuncta observatione historia controversiæ circa quæstionem, *quo modo Deus peccata peccatis puniat? Augustinum* inter & *Julianum*, Pelagii adsectam, subortæ commemoratur, multis & ex Augustini libris, & ex Gregorio Magno, locis adlegatis, adnexaque solida litis hujus epicrisi.

Cap. IX.

De Peccatis Interioribus & Exterioribus, ut & Cordis, Oris, & Operis.

Omnium harum peccati specierum *exsistentia* ex Patribus docetur. §. XXXII.

Interiorum peccatorum duplex species traditur, &, num ad *originale*, an ad *peccata actualia* referenda sint illa, disquiritur. §. XXXIII — XXXV.

Cap. X.

An Concupiscentia in Renatis sit peccatum?

Status controversiæ adcurate determinatur, remotis, quæ huc non pertinent, quæstionibus. §. XXXVI.

Adfirmans sententia *argumentis novem* ex Ep. ad Rom. Capp. VI. VII. VIII. desumtis demonstratur & contra adversariorum exceptiones defenditur, §. XXXVII — LI.

Idem fit *duodecim* argumentis ex aliis scripturæ locis petitis, & itidem ab exceptionibus adversariorum vindicatis. §. LII — LXIII.

Confirmatur hoc idem adsertum *testimoniis patrum*, præsertim *Augustini*, §. LXIV — LXIIX. immo *adversariorum ipsorum*. §. LXIX.

Diluuntur *exceptiones Bellarmini*. §. LXX — LXXIIX.

Subjungitur quæstio Scholasticorum: *an actus peccati exterior habeat malitiam propriam?* §. LXXIX.

Cap. XI.

De Peccatis contra Deum, Proximum, & Nos ipsos, commissis.

Fundamentum hujus divisionis ex Scriptura sacra adseritur. §. LXXX.

Subjungitur divisio peccatorum in ea, quæ contra *primam*, & quæ contra *secundam* decalogi tabulam committuntur. §. LXXXI.

Cap. XII.

De Peccatis in Corpus & extra Corpus commissis.

Divisionis hujus *fundamentum* desumitur ex 1 Cor. VI, 18. cujus dicti sensus exponitur. §. LXXXII.

Cap. XIII.

De Peccatis Carnis & Spiritus.

Differentia utriusque hujus peccatorum speciei quænam sit, docetur. §. LXXXIII.

Cap. XIV.

De Peccatis Manifestis & Occultis.

Sedes hujus divisionis ex 1 Tim. V, 24. 25. desumitur. §. LXXXIV.

Cap. XV.

De Peccatis clamantibus in cœlum.

Quænam peccata huc pertineant, docetur §. LXXXV.

Cap. XVI.

Cap. XVI.

De Peccatis Capitalibus.

Scholasticorum de *numero* horum peccatorum sententiæ exhibentur. §. LXXXVI.

Cap. XVII.

Exsistentia & *varii modi* horum peccatorum exhibentur §. LXXXVII. LXXXIIX.

Cap. XIIX.

De Participatione peccatorum alienorum.

Iterum & *exsistentia & modi* hujus peccatorum speciei docentur. §. LXXXIX.

Cap. XIX.

De Peccatis Venialibus ac Mortalibus.

* In Observatione addita varia vocis *venialis peccati* acceptio docetur, & quæstio ipsa solide deciditur.

Scholasticorum hac de re sententiæ commemorantur. §. XC. XCI.

Verus sensus hujus divisionis docetur. §. XCII.

Nullum peccatum ex se & sua natura veniale esse, demonstratur septem argumentis, & ad Bellarmini exceptiones respondetur. §. XCIII. XCIV.

Patrum hac de re sententiæ adducuntur & a Bellarmini exceptionibus liberantur §. XCV. ad alias quoque ejus exceptiones respondetur §. XCVI.

Diversæ vel ipsorum *Scholasticorum* & *Pontificiorum* sententiæ, quod quædam peccata sint sua natura venialia §. XCVII. inprimis *Bellarmini* §. XCIIX.

Bellarmini pro sua hypothesi argumenta tria ex Matth. V, 22. XXIII. & Luc. XII, 59. adducuntur & diluuntur §. XCIX. C.

* Intersperguntur heic notæ ad locutiones ερρεθη τοις αρχαιοις, ενοχος τη κρισει, ρακα, μωρος, & εις την γεενναν τε πυρος, occasione loci Matth. V, 21. 22.

Ejusdem, cum ex patribus, tum ex ratione, desumtæ probationes hujus theseos infringuntur §. CI.

De *peccatis mortalibus* duplex quæstio adducitur §. CII.

Cap. XX.

De Peccatis Regnantibus & Non - regnantibus.

Divisionis hujus *fundamentum* ex variis Scripturæ locis adseritur. §. CIII.

Cap. XXI.

De Peccatis per se & per accidens.

Utraque hæc peccatorum species declaratur. §. CIV.

Cap. XXII.

De Peccato mortuo & vivente.

Ratio hujus distinctionis & *definitiones* speciei utriusque exhibentur §. CV.

Cap. XXIII.

De Peccato manente & remisso.

Fundamentum utriusque speciei ex Scriptura traditur. §. CVI.

Cap. XXIV.

De Peccato in Spiritum Sanctum.

Patrum descriptiones hujus peccati exhibentur. §. CVII.

Loca Scripturæ, in quibus mentio ejus fit, adducuntur. §. CIIX. peccatum hoc ipsum definitur & explicatur §. CIX.

* In observatione addita, loca ex *Ep. ad Hebr.* & *1 Joh. V, 16.* huc referri alias solita illustrantur, & *huc non pertinere* dicuntur. Deinde doctrina ipsa *de Peccato in Spir. S.* solide ac prolixe tractatur, *sex* quippe *momentis* distincte expositis: adjungitur etiam tractatio *de peccato in filium hominis.*

Cap. XXV.

De Usu hujus loci & peccatorum actualium definitione.

Triplex hujus doctrinæ usus docetur §. CX.

Peccata actualia *definiuntur*. §. CXI.

Locus

Locus XII.

DE LIBERO ARBITRIO:

Hoc est:

DE VIRIBUS HUMANIS POST LAPSUM ADHUC RELIQUIS.

Proœmium.

Nexus hujus cum præcedente loci declaratur. §. I. *Mentis* & *voluntatis* facultatem esse liberum arbitrium, adseritur, &, quo sensu tamen *ad adpetitum magis inclinare* recte dicatur, docetur §. II. III.

Cap. I.

De distinctione libertatis.

Arbitrio *libertas* tribuitur

1. ratione *modi* agendi §. IV. cujus libertatis *denominationes* variæ adferuntur §. V. eamque post lapsum quoque mansisse, nec per providentiam divinam tolli, adseritur §. VI — IX. Deo etiam ipsi illa adscribitur §. X.
2. ratione *normæ* ad judicandum & eligendum propositæ: hæc vocatur libertas *ab obligatione*: quæ *numquam* homini *competit*. §. XI — XIV.
3. ratione *objecti*: de qua heic sermo est. §. XV.

Cap. II.

De Consideratione Liberi Arbitrii secundum quadruplicem statum hominis.

Hæc arbitrii libertas alia fuit *ante*, alia *post lapsum*: & *hæc* iterum alia *ante*, alia *post conversionem*: & denuo *hæc* alia est *in hac*, alia in *futura* vita. §. XVI — XVIII.

Libertas arbitrii *ante lapsum* quæ fuerit, declaratur §. XIX. & quomodo *vocari* possit, ac ab ea, quæ vocatur *libertas a coactione*, discerni debeat, docetur §. XX. XXI. addita doctrina de *illius jactura*. §. XXII. XXIII.

Libertas arbitrii *post lapsum* describitur & declaratur §. XXIV — XXXI.

Cap. III.

De vero controversiæ statu.

Removentur novem quæstiones huc non pertinentes, *verus* contra *quæstionis status* traditur distincte §. XXXII. XXXIII.

Cap. IV.

De amisso libero arbitrio post lapsum.

Extrema *intellectus humani corruptio* & ad spiritualia percipienda ἀδυναμία ex multis Scripturæ S. oraculis adseritur, quæ simul a perversis multorum interpretationibus vindicantur. §. XXXIV — XXXVI.

Eadem ratione & *voluntatis* corruptio probatur, & contra exceptiones aliter sentientium defenditur. §. XXXVII — XLIII.

Antiquitatis hac de re testimonia, in *quinque* classes distributa, adseruntur §. XLIV — XLIX.

Adducuntur etiam *Scholasticorum* & *Pontificiorum* ipsorum testimonia. §. XLIX.

Cap. V.

Errantes de Libero Arbitrio in Excessu.

Pelagii & adsectarum, *Scholasticorum*, & *Pontificiorum*, præcipue *Concilii Tridentini*, *Costeri*, & *Bellarmini*, errores recensentur §. L — LIV.

His accensendi etiam esse censentur *Erasmus* & *Synergistæ*. §. LV.

In Observationibus adjectis de *Erasmi* deque *Synergistarum* moliminibus prolixius disseritur.

Cap. VI.

Cap. VI.

Errores Bellarmini de Libero Arbitrio refutati.

Sectio I.

De distinctione inter auxilium sufficiens & efficax.

Distinctio Bellarmini inter auxilium *sufficiens* & *efficax*, itemque sententia ejus de *efficacia gratiæ*, proponitur & diluitur. §. LVI. LVII.

Sectio II.

De distinctione inter gratiam operantem & cooperantem.

Sententia Bellarmini de gratia *operante* & *cooperante*, una cum ejus *argumentis*, recensetur & confutatur. §. LVIII — LXII.

Sectio III.

Examen libri IIItii Bellarmini de natura liberi arbitrii.

Scholasticorum hac de re diversæ sententiæ adducuntur §. LXIII.

Lutherus contra Bellarminum defenditur, quod Deum libertate arbitrii non privet. §. LXIV.

Sectio IV.

Examen libri IVti Bellarmini de viribus liberi arbitrii in naturalibus.

Quæ vires hominis sint in *notitia Dei naturali*, & num *servum* dicere liceat hominis arbitrium, discutitur §. LXV. LXVI.

Sectio V.

Examen libri Vti Bellarmini de viribus liberi arbitrii in moralibus.

Quo sensu homini liberum arbitrium *in moralibus* tribui possit, docetur §. LXVII.

Bellarmini pro libero arbitrio hominis *argumenta quatuor* proponuntur & solvuntur. §. LXIIX — LXXI.

Respondetur etiam ad argumenta illius *scripturaria* in *sex* classes ab eo distributa, nec non ad ea, quæ ex *patribus* adducit. §. LXXII — LXXIX.

Sectio VI.

Examen libri VIti Bellarmini de viribus liberi arbitrii in spiritualibus.

Doctrina ipsa distincte proponitur §. LXXX.

Bellarmini *exceptiones*, quibus nostram sententiam impugnat, diluuntur §. LXXXI. *rationesque*, quas pro sua hypothesi cum ex *scriptura*, tum ex *patribus* desumit, infringuntur §. LXXXII. LXXXIII.

Multa Scripturæ Sacræ dicta, siniſtre a Bellarmino explicata, vindicantur. §. LXXXIV — CI.

* In nota ad §. XCV. dictum Joh. XV, 5. disucide explicatur, verusque illius sensus exponitur.

Cap. VII.

Errantes de Libero Arbitrio in Defectu.

Nominantur in defectu heic peccantes, eorumque errores describuntur. §. CII.

* In Observationibus additis differitur de *Valentinianis*, *Marcionitis*, *Enthusiastis*, itemque de *fato Stoicorum*, nec non de systematibus *Bened. de Spinoza*, *Thom. Hobbii* i. Hobbesii, *Petri Bælii*, *Ant. Collini*, *Franc. Nic. Malebranchii*, nec non *Leibnitii & Wolfii*.

Cap. VIII.

De Operibus non renatorum.

Opera hominum *irregenitorum* qualia sint in judicio divino, ex Scriptura docetur §. CIII.

* In Nota prolixe & distincte hæc doctrina exponitur.

Dicta *veterum* hac de re adducuntur. §. CIV.

* In Obſ. adjecta de ſententia *Auguſtini*, qui bona infidelium opera *peccata* nuncupavit, peculiariter agitur.

Reſpondetur ad objectiones adverſariorum, & præcipue *Bellarmini* exceptiones ſolvuntur. §. CV — CVII.

* In Nota §. CVI. adjecta de loco Rom. XIV, 23. quædam notatu digna dicuntur.

CAP. IX.

De libertate arbitrii poſt lapſum reliqua, nec non de uſu hujus doctrinae.

Objecta liberi arbitrii adcurate diſtinguuntur in *mundana* & *ſpiritualia*, quæ utraque denuo dividuntur. §. CIIX — CX.

In quibusnam ſuperſit aliqua arbitrii libertas, docetur §. CXI — CXIV.

De *impedimentis* libertatis reſiduæ, cum *externis*, tum *internis*, agitur §. CXV — CXIX.

Quintuplex doctrinæ hujus *uſus* oſtenditur §. CXX — CXXIV. at ejus etiam *abuſus* traditur §. CXXV.

Converſio *non eſt momentanea*, ſed *ſucceſſiva*. §. CXXVI. CXXVII.

CAP. X.

Explicatio dictorum quorumdam huc pertinentium.

Loca *Luc. XI, 13.* coll. 1 Cor. XII, 3. & *Gal. III, 14.* explicantur. §. CXXIIX. CXXIX.

Tractantur quæſtiones: *an homo in converſione habeat ſe pure paſſive? an habeat ſe ſicuti lapis & truncus? an convertatur repugnans?* §. CXXX — CXXXIX.

Summa doctrinæ hujus repetitur §. CXL — CXLVI.

LOCUS XIII.

DE LEGE DEI.

Nexus hujus loci cum præcedentibus oſtenditur §. I.

Vocum *Lex* & תורה *etymologia*, *homonymia*, & *ſynonymia*, una cum variis, quæ legi tribuuntur, *adpellationibus*, exhibentur. §. II — V.

Variæ legis *definitiones* traduntur. §. VI.

Dividuntur leges

1. ratione auctoris, in *divinas* & *humanas*. §. VII.
2. ratione materiæ in *morales*, *cerimoniales*, & *forenſes*: cujus diviſionis fundamenta quoque docentur. §. VII — IX.
3. ratione accidentium in *ſcriptas* & *non-ſcriptas*. §. X.
4. ratione objectorum in *eccleſiaſticas* & *politicas*: ubi etiam differitur de diviſione *juris* in *naturale*, *gentium*, & *civile*. §. XI. XII.

Summa legis *moralis* contineri dicitur in *Decalogo*, licet *diu ante* ſollemnem hujus promulgationem lex moralis ipſa *exſtiterit*: id quod *per ſingula decalogi præcepta* exemplis *patriarcharum* probatur. §. XIII — XXIV.

Promulgatio legis moralis *ſollemnis* inſtituta a Deo eſt: cujus rei *cauſſæ* adferuntur potiores. §. XXV. XXVI.

Docetur promulgationis *modus*, quoad *antecedentia*, *concomitantia*, & *conſequentia*. §. XXVII — XXX.

Tabulæ in promulganda lege morali adhibitæ conſiderantur ratione *cauſſæ efficientis*, *materiæ*, *formæ*, *numeri*, *finis*, & *durationis*. §. XXXI — XXXVII.

Quæ præcepta ad utramque tabulam pertineant, diſquiritur, adlatis partium diſſidentium rationibus, & ſtabilita vera ſententia. §. XXXIIX — LII.

Regulæ generales explicationi veræ cujusque præcepti inſervientes. §. LIII.

Sapiens præceptorum decalogi *ordo* oſtenditur §. LIV.

Explicatur præceptum *primum* §. LV. & quidem

1. ejus *præfatio* §. LVI.
2. *virtutes* in eo mandatæ §. LVII. LVIII.
3. *peccata* contra illud pugnantia. §. LIX — LXI.
4. *adpendix* præcepti primi de *non faciendis ſculptilibus*: ubi prolixa occurrit diſquiſitio de cultu imaginum, rationibus & pro illo & contra illum ſollicite adductis & ſolide penſitatis. §. LXII — CV.

   * In obſervationibus, quarum ingens heic occurrit copia, *hiſtoria controverſiarum* hac de re agitatarum adcuratius ubique edocetur, *auctores*que *præcipui* adlegantur.

5. generalis primo præcepto addita & *promiſſio* & *comminatio* exponitur §. CVI — CVIII. ubi ſubjunguntur quæſtiones:
   a. qua ratione Deo tribuatur *Zelotypia*? §. CIX.
   b. quomodo *filius non portet iniquitatem patris*? §. CX.
   c. an *omne peccatum ex odio Dei ortum* recte dicatur? §. CXI.

Expli-

Explicatur præceptum *secundum*: & quidem

1. locutiones *nomen Dei* & *in vanum sumere*. §. CXII. CXIII.
2. *virtutes* & *peccata*. §. CXIV. CXV.
3. adduntur quæstiones:
   a. an Christianis licitum sit *jurare?* §. CXVI. CXVII.
      * In observationibus controversiæ circa hanc rem exortæ uberius recensentur.
   b. *quæ* juramenta sint licita? §. CXIIX.
   c. an liceat jurare *per creaturas?* §. CXIX.
      * Iterum in Notis additis quæstio hæc prolixius tractatur.
   d. quid statuendum sit de *cerimoniis*, quæ in juramentis adhibentur? §. CXX.
   e. quæ juramenta sint *servanda?* §. CXXI.
   f. an adprobandus usus *ligaturarum* vel *characterum?* §. CXXII.

Explicatur præceptum *tertium*. §. CXXIII.

1. *singula* præcepti hujus *verba*, tamquam totidem momenta, expenduntur §. CXXIV — CXXXV.
2. *virtutes* & *peccata* hujus præcepti indicantur. §. CXXXVI. CXXXVII.
3. Docentur *officia* & *ministrorum verbi* & *auditorum*. §. CXXXIIX.
4. Respondetur ad quæstiones:
   a. *quotuplex* sit sabbatum? §. CXXXIX.
   b. *quo fine* sabbatum Mosaicum a Deo fuerit institutum? §. *CXL.*
   c. cur in locum sabbati *successerit dies primus* septimanæ? §. *CXLI.*
   d. num simpliciter *opera œconomica & politica sabbato sint prohibita?* §. CXLII.

Explicatur præceptum *quartum*.

1. singula ejus *verba* explicantur. §. *CXLIII. CXLIV.*
2. *virtutes* hujus præcepti docentur. §. *CXLV — CXLVII.*
3. quæritur:
   a. *an etiam spurii obligentur hoc præcepto ad honorandos parentes?* §. *CXLIIX.*
   b. *quando parentes sint odio habendi?* §. *CXLIX.*
   c. an μακροβιοτης *beneficii loco habenda?* §. *CL.*
   d. *cur morigeri liberi quandoque non sint longævi?* §. *CLI.*

Explicatur præceptum *quintum*.

1. *momenta* hujus præcepti expenduntur. §. CLII.
2. *virtutes* & *peccata* hujus præcepti. §. CLIII. *CLIV.*
3. quæritur:
   a. *an* αυτοφονια *sit peccatum contra quintum præceptum?* §. *CLV.*
      * In observationibus multa occurrunt notatu omnino dignissima.
   b. *an supplicia a magistratu irrogata pugnent cum quinto præcepto?* §. *CLVI.*
   c. *quid statuendum de homicidio casuali?* §. *CLVII.*
   d. *quid de homicidio defensorio statuendum?* §. *CLIIX.*

Explicatur præceptum *sextum*.

1. *momenta* præcipua ostenduntur. §. CLIX.
2. *virtutes* & *peccata* hujus præcepti. §. CLX. CLXI.
3. quæstiones solvuntur:
   a. *quid proprie sit adulterium?* §. CLXII.
   b. *an lupanaria sint toleranda?* §. CLXIII.
   c. *quale ac quantum sit peccatum adulterii?* §. CLXIV.
   d. *an pollutio nocturna sit peccatum?* §. CLXV.

Explicatur præceptum *septimum*.

1. *momenta* indicantur §. CLXVI.
2. *virtutes* & *peccata* hujus præcepti. §. CLXVII. CLXVIII.
3. solvuntur quæstiones:
   a. *an omne furtum simpliciter sit prohibitum?* §. CLXIX.
   b. *an furtum sit natura prohibitum?* §. CLXX.
   c. *an justum sit fures suspendio punire?* §. CLXXI.

Explicatur præceptum *octavum*.

1. *momenta* docentur. §. CLXXII.
2. *virtutes* & *peccata* hujus præcepti recensentur. §. CLXXIII — CLXXV.
3. quæritur:
   a. *an omne mendacium sit peccatum?* §. CLXXVI.
      * In Nota uberius hæc quæstio dilucidatur.
   b. *an omnis simulatio sit prohibita?* §. CLXXVII.
   c. *an liceat in judicio vel in confessione æquivocationibus uti?* §. CLXXIIX.

* In Notis auctores primarii huc pertinentes adducuntur.

Explicantur præcepta *nonum* & *decimum*. §. CLXXIX. CLXXX.

Tractatur doctrina de *possibilitate perfectæ impletionis legis*, ubi

1. res ipsa & sententia genuina proponitur. §. CLXXXI.
2. *argumenta* negantem sententiam probantia adferuntur
   a. ex *scriptura*. §. CLXXXII.
   b. ex *natura legis*. §. CLXXXIII.
   c. ex *confessione omnium sanctorum*. §. CLXXXIV.
   d. ex iis Scripturæ dictis, quæ testantur, *per legem neminem coram Deo justificari posse*. §. CLXXXV.
   e. ex iis Scripturæ locis, quæ Filium Dei ideo missum esse in mundum docent, ut *nostri loco* legem *perfecte impleret*. §. CLXXXVI.
   f. ex propria *renatorum experientia*. §. CLXXXVII.
   g. ex *allegoriis* ipsis in scriptura sacra obviis. §. CLXXXIIX.
   h. ex veterum testimoniis. §. CLXXXIX.
3. *Pontificiorum* de perfecta legis impletione sententia adlegatur §. CXC. eorumque argumenta adducuntur & simul refutantur, petita
   a. ex Matth. XI, 30. §. CXCI.
   b. ex 1 Joh. V, 3. §. CXCII.
   c. quia renati *diligunt Deum & proximum*. §. CXCIII.
   d. quia scriptura nonnullos homines dicit esse *perfectos*. §. *CXCIV.*
   e. quia quidam dicuntur Deum *ex toto corde* dilexisse. §. *CXCV.*
   f. quia *Veteres* idem docuerunt. §. *CXCVI.*
   g. aliæ *sex rationes* Bellarmini pro stabilienda perfecta legis impletione adferuntur & diluuntur. §. *CXCVII.* — *CCI.*
4. *Finis & scopus* nostræ sententiæ de ἀδυναμίᾳ perfectæ impletionis legis docetur §. *CCII.*

Ostenditur *usus* legis triplex: politicus, theologicus elenchticus, & theologicus didacticus. §. CCIII.

Rejicitur *error antinomorum*, argumentis eorum solide refutatis. §. *CCIV. CCV.*

Ulterius & latius legis *usus* declaratur. §. CCVI.

Necessitas legi obediendi docetur. §. CCVII.

Tandem *Definitio* legis moralis traditur. §. CCIIX.

Subjungitur *Adpendix*, in qua argumentum de *legibus divinis positivis universalibus* pertractatur.

1. ostenditur quænam *leges* hocce nomine adpellari soleant.
2. historia *controversiæ*, quæ hac de re inter eruditos recentiori ævo fuit agitata, edifferitur.
3. additur ἐπικρισις, quid de hac controversia sit sentiendum?

Jg 1830
(5/6)

ULB Halle 3
002 610 817

P
H.

Ub 18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841082-p0373-1

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM IENENSIS

CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS QVINTVS

DENVO EDIDIT

PLVRIMISQVE ANIMADVERSIONIBVS

AVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.



TVBINGAE

IMPENSIS IO. GEORGII COTTAE.

MDCCLXVI.

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches Centimetres

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841082-p0375-3